PROPHETAE
MINORES
ANNOTATIONE PERPETUA

ILLUSTRAVIT

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLER,

THEOL. DOCT. ET LITT. OO. IN ACAD. LIPS. P. P. O.

VOLUMEN PRIMUM.

HOSEAS ET JOEL.

EDITIO SECUNDA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

LIPSIAE

SUMTIBUS JOH. AMBROS. BARTHII

MDCCCXXVII.

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI,

THEOL. DOCT. ET LITT. OO. IN ACAD. LIPS. P. O.

SCHOLIA

IN

VETUS TESTAMENTUM.

PARTIS SEPTIMAE,

PROPHETAS MINORES CONTINENTIS,

VOLUMEN PRIMUM.

EDITIO SECUNDA AUCTIOR ET EMENDATA.

LIPSIAE

SUMTIBUS JOH. AMBROS. BARTHII

MDCCCXXVII.

DUODECIM

PROPHETAE

MINORES.

IN
DUODECIM PROPHETAS MINORES
PROOEMIUM.

Duodecim prophetarum, qui *minores* vocantur, oracula in unum librum collecta sunt, ne, quod ſingula juſto volumina minora eſſent, ſi quaeque ſeorſim ſervarentur, aliaque eorum negligentius haberentur, tandemque amitterentur [1]). Hinc eſt, quod Siracides [2]) duodecim hosce prophetas uno et communi commendet encomio, porro, quod Joſephus [3]), et ex eo Euſebius [4]) aliique eccleſiae priscae doctores, qui canonem recenſuere, uno volumine XII. prophetas complexi ſint. Huc per-

1) Ita Kimchi in *Praeſat.* ſui *in Hoſeam Commentarii:* זה הספר המחובר משנים עשר נביאים אמרו רז״ל כי חברום יחד שלא יאבד ספר מהם מפני קטנוטו אם היה כל אחד מיוחד בפני עצמו *Hic liber compoſitus eſt a duodecim prophetis. Tradunt doctores noſtri piae memoriae, eſſe illos unum in librum coactos, ne, ſi ſinguli ſeorſim manerent, unus aut alter eorum ob parvitatem periret.*

2) Cap. XLIX, 10. *Καὶ τῶν δώδεκα προφητῶν τὰ ὀστᾶ ἀναθάλοι ἐκ τοῦ τόπου αὐτῶν· παρεκάλεσαν γὰρ τὸν Ἰακὼβ, καὶ ἐλυτρώσαντο αὐτοὺς ἐν πίστει ἐλπίδος.*

3) Lib. I. *contra Apion.* §. 8. coll. *Antiqq.* X. c. 2. §. 2. p. 515, ed. Haverc.

4) *Hiſtor. Eccleſ.* L. IV. c. 25. 26.

pertinet, quod *prophetas poſteriores*, quos Judaei dicunt, omnes quaternario numero includunt, et *quatuor prophetas poſteriores*[5]) inſcribunt, Jeſajam videlicet, Jeremiam, Ezechielem, et unum duodecim prophetarum volumen numerantes; nec non, quod communi omnes nomine comprehendunt, et Judaei quidem *duodecim*[6]), Graeci vero Δωδεκαπρόφητον dicunt. Ceterum *minores* hosce vates appellari conſtat, ob ſcriptorum molem[7]), et quod ſermones eorum, qui quidem ſuperſunt, comparati cum Jeſajanis, Jeremianis, Ezechielanis et Danielicis, breviores ſunt. Nec aetate a majoribus prophetis vincuntur; ex illis enim alii Jeſaja vetuſtiores ſunt, alii vero Jeremiam, Ezechielem et Danielem aetate ſuperant. Plurimi ſane illorum ſcripta vel ideo ſunt aeſtimanda, quod ab interitu pluria hiſtoriarum monumenta, ad regna Judae, Iſraelis, Babyloniae, Idumaeae, Aegypti, Moab et Ammon ſpectantia, vindicaverint; monumenta eo majori in pretio habenda, quo rariora ſunt ea, quae ceteroquin in Hebraeorum libris hiſtoricis vetuſtiſſimis ſuperſunt.

Ho-

5) ארבעה נביאים אחרונים.

6) שְׁנֵים עָשָׂר, et frequentius Chaldaice תְּרֵי עֲשַׂר, contracte תְּרֵיסַר. Plane ad eundem modum, quo in N. T. duodecim Apoſtoli ſimpliciter *οἱ δώδεκα*, Matth. XXVI. 14. 20. 47. Marc. VI, 7. al. ſalutantur.

7) Augustinus *de Civitate Dei* L. XVIII, c. XXIX. ***Hi propterea dicuntur minores, quia ſermones eorum ſunt breves, in eorum comparatione, qui majores ideo vocantur, quia prolixa volumina condiderunt.***

Horum prophetarum duo, Hoſeas et Jonas, in regno Samariae vaticinabantur. Poſterioris tamen, Jonae, quae ſuperſunt, oracula, nec non Nahumi, contra regnum Aſſyriacum ſunt directa. Amos, haud longe, ut videtur, ab inito prophetae munere e regno pulſus, in ditionem Juda faceſſere coactus eſt. Joel, Micha, Zephanias, Habacuc ad regnum Juda ſpectant. Habacuc et Obadias excidium urbis Hieroſolymitanae oculis ſpectarunt, vitam etiam ultra eam aetatem prorogantes. Haggai, qui ſtans primum templum viderat, ſecundo poſt reditum e terris Babylonicis excitando adfuit. Ad eandem aetatem ſpectat Zacharias, quamquam in ulteriora vaticiniis ſuis excurrerit, quum Haggai oracula intra templi aedificandi limites contineantur. Malachias omnium poſtremus ſub Nehemia floruiſſe videtur, totusque in criminibus ſacerdotum, miniſterium ſuum non ſancte obeuntium, verſatur.

Ordo duodecim prophetarum in exemplaribus verſionis Graecae Alexandrinae plane differt ab eo, quo in Hebraicis recenſentur [8]); uterque vero discrepat ab ordine chronologico, in quem ſingulos digeſſimus in tabula infra appoſita. Apud Graecos quatuor majoribus prophetis praeponuntur, in Hebraeo ſuccedunt Jeſajae, Jeremiae et Ezechieli; Danielem enim ſubjiciunt libro Jobi, Pſalmorum ſcriptisque Salomonicis.

XII.

8) *Non eſt idem ordo duodecim prophetarum apud Hebraeos, qui eſt apud nos.* Hieronymus in *Praefat. in XII. Prophetas.*

XII. Minores Prophetae

In textu hebraeo et Vulgata Latina.	*In codicibus versionis Graecae Alexandrinae.*
1. Hoſeas.	1. Hoſeas.
2. Joel.	2. Amos.
3. Amos.	3. Micha.
4. Obadias.	4. Joel.
5. Jonas.	5. Obadias.
6. Micha.	6. Jonas.
7. Nahum.	7. Nahum.
8. Habacuc.	8. Habacuc.
9. Zephanias.	9. Zephanias.
10. Haggai.	10. Haggai.
11. Zacharias.	11. Zacharias.
12. Malachias.	12. Malachias.

juxta

juxta ordinem quem tenent

temporis, quo ſinguli vixerunt, ratione,

1. Jonas	floruit	circa	annum	ante	C. N.		800.
2. Joel	—	—	—	—	—		790.
3. Amos	—	—	—	—	—		788.
4. Hoſeas*)	—	—	—	—	—		780.
5. Michas	—	—	—	—	—		754.
6. Nahum	—	—	—	—	—		750.
7. Zephanias	—	—	—	—	—		625.
8. Habacuc	—	—	—	—	—		585.
9. Obadias	—	—	—	—	—		582.
10. Haggai	—	—	—	—	—		527.
11. Zacharias	—	—	—	—	—		526.
12. Maleachi	—	—	—	—	—		435.

---

*) Quod Hoſeas, etſi Iona, Joele, Amoſo aetate ſerior, in codice tamen Hebraeo illis praeponitur, ratio videtur hinc eſſe repetenda, quod prophetarum, qui minores dicuntur, omnium diutiſſime munere ſit functus.

Haud

Haud exiguus ſuppetit numerus Interpretum, qui vel toti Δωδεκαπροφήτῳ explicando operam impenderunt, vel plures eorum, quos *minores* dicimus, prophetarum junctim commentariis illuſtrarunt. Horum itaque nomina, ne ante ſingula illorum vatum ſcripta repetenda nobis veniant, communi cenſu hic exhibebimus, ad quem recurrant, quibus poſt haec ad prophetas ſingulos enumerandi non ſuffecerint interpretes.

I.

Hebraei.

De Salomone Jarchi, Isaaci fil., vulgo Raschi dicto, David Kimchi, Josephi fil., Abrahamo Abenesra, Isaaco Abarbenele, Abrahamo Judae fil., qui prophetae minores omnes cum pluribus V. T. libris illuſtrarunt, vid. *Elenchos Interpretum* Jobo et Ezechieli, a nobis editis, praemiſſos.

Hoſee cum Thargum, id eſt Chaldaica paraphraſi Jonathan, et commentariis R. Selomo Jarchi, R. Abraham Aben-Eſra, et R. D. Kimchi: variis lectionibus ex multorum exemplarium diligenti collatione in margine aſcriptis. 1556. in quatern.

Tha-

Titulus ſolius Hoſeae mentionem facit, additi vero ſunt *Joel, Amos, Obadias* et *Jonas* eodem modo illuſtrati. Vid. *Bibliothec. Sacr. poſt Jac. Le Long* et *C. F. Boerneri iteratas curas edit. ab* A. G. Masch, Hal. 1778. 4. P. I. p. 138.

ספר מנחה טהורה כולל תרי עשר עם תרגום אשכנזי ובאור מאת ארבעה מורי חנוך נערים בדעסויא הנקובים בשמותם כל אחד בראש ספרו. דעסוי ה'תקס'ה I. e. *Oblatio munda* [Mal. I, 11.], *complectens Duodecim* [prophetas] *cum verſione Germanica et Commentario, a quatuor juventutis praeceptoribus Deſſavienſibus, quorum nomina in ſingulorum librorum* [propheticorum] *inſcriptionibus ſunt indicata.* Deſſaviae, anno 5565. [i. e. 1805. aerae Chriſtianae]. In octon.

Praemittuntur Prolegomena ſatis prolixa, סלת למנחה (*ſimila oblationis,* Levit. II, 1.) inſcripta, in *tres* diſtincta partes, quarum *prima* de vatum hebraeorum ſermonibus, eorumque ſcopo, ſtylo, et ſchematis in univerſum agit; *ſecunda,* quae de duodecim prophetis ſcitu ſunt neceſſaria tradit; *tertia* continet notitiam regionum, urbium et populorum, quorum in duodecim prophetarum ſcriptis fit mentio, ordine, quem dicunt, alphabetico. Textui hebraico e regione eſt poſita verſio germanica, literis hebraicis expreſſa, a *Neumanno, Philipſohn, Salomone* et *Wolſio* elaborata, quae alias verſiones vernaculas, Judaeis uſitatas, elegantia longe antecellit. Textui et verſioni ſubjectus eſt Commentarius hebraico ſermone conſcriptus. Pleniorem hujus operis notitiam exhibuimus in Ephemeridibus literariis Lipſienſibus (*Neue Leipziger Literatur-Zeitung*) mens. Octobr. a. 1807. p. 2113. ſeqq.

II.

Patres ecclesiastici.

Hieronymi (de quo vid. *Elenchum Interpretum* Ezechieli praemissum p. V.) in XII. Prophetas Commentarii exstant in Opp. ejus edit. Basilic. 1526. T. VI.; edit. Frcofurt. a. 1684. T. VI.; edit. Martian. Paris. 1706. T. III.; edit. Vallarsii Venet. 1736. T. VI. et edit. alt. in quatern. Venet. 1770. T. IX. P. III.

Theodoreti (vid. *Elench. Interpp.* Ezechieli praemiss. p. VIII.) Commentarii leguntur in ejusd. Opp. edit. Sirmond. Paris. 1642. T. II. p. 702. seqq., et edit. Hal. T. II. P. II.

Theophylacti, Bulgarorum Archiepiscopi, circa annum 1070 clari, *Commentarii in Hoseam, Habacuc, Jonam, Nahum et Micham* graece primum editi sunt in ejus *Operum* Venet. 1754—1763, voll. IV. editorum, volumine *quarto*. *Latine* redditos illos prius ediderat Jo. Lonicerus, Paris. 1542. 1549. in octon. et Basil. 1554. 1570. fol. Exstat quoque Christoph. Henr. Rittmeieri, Ling. Graec. in academ. Helmstad. Prof., Dissert. in *Theophylacti ἀνεκδότους hucusque Commentarios super initium Cap. II. Hoseae cum versione atque annotationibus*, Helmstad. 1702. 4. De Theophylacti Commentariorum in duodecim Prophetas libro, qui exstat in bibliotheca Argentoratensi, vid. J. D. Michaelis in *Biblioth. Oriental. et Exeget.* P. VIII. p. 165. seqq.

III.

III.

Interpretationes XII. Prophetarum inde a Secul. XVI. editae.

Francisci Lamberti *Commentarii in duodecim Prophetas minores* per partes separatim editi, eo ordine, ut in lucem exirent *Commentarii in Hoseam* Argentorati, 1525. 8., post illos *Commentarii in Joelem prophetam*, sine indicio quidem loci annique, prodierunt autem, ut facilis conjectura fieri potest, itidem Argentorati 1525. 8.; *Commentarii in Amos, Obadiam et Jonam* cum *allegoriis in Jonam* Argentor. 1525. 8.; *Commentarii in Micham, Nahum et Habacuc*, Argent. 1525. 8.; *Commentarii in Zephaniam, Haggaeum, Zachariam et Malachiam* ibid. 1526. 8. Conjunctim prodierunt Francofurti 1579. et 1605. tribus voluminibus in octon.

Jo. Oecolampadii *Adnotationes in prophetas minores* in lucem editae sunt primum per partes Basil. inde ab anno 1535. 8., deinde conjunctim una cum Commentariis ejus in prophetas majores Genev. 1558. 1578. duob. voluminn. form. max.

Jo. Calvini *Praelectiones in prophetas minores* a Jo. Budaeo et Carolo Jonvillaeo collectae, Genevae 1559. 1581. 1612., fol.; gallice Genev. 1560. 1567. fol. 1565. 4. Leguntur etiam in ejus *Operum* T. V. cujus partem secundam constituunt, Amstelod. 1667. fol.

Victo-

VICTORINI STRIGELII *Argumenta et Scholia in duodecim prophetas minores.* Lipſiae, 1561. 1570. 1571. in octon.

FRANC. FORERII, Ord. Praedicat., *in XII Prophetas Commentarii,* Venet. 1563. 8.

JO. WIGANDI *Explanationes in duodecim prophetas minores,* Frcof. 1566. 8.

NICOLAI HEMMINGI *Explanationes in Prophetas minores,* Lipſ. 1568. 4.

BENEDICTI ARIAE MONTANI *Commentarii in duodecim Prophetas minores.* Antverp. 1571. fol., ibid. 1582. 4.

FRANCISCI DE RIBERA, Societ. Jeſu (denat. 1601.), *Commentarii in librum duodecim Prophetarum, ſenſum prophetarum hiſtoricum et moralem, perſaepe etiam allegoricum complectentes,* Antverp. 1581. Salmanticae, 1587. Romae, 1590. Colon. 1590. 1593. 1600. Paris. et Duaci 1611. fol.

Compendium operis auctor ipſe dedit in *Commentariis hiſtoricis ſelectis in duodecim prophetas minores,* Salmanticae, 1598. Coloniae, 1600. Antverp. 1611. in octon.

EDUARDI LIVELEI *Annotationes in Hoſeam, Joelem, Amos, Abdiam et Jonam,* Londini, 1587. in octon. Repetitae ſunt in *Criticorum Sacror.* T. III.

JO. MERCERI, in acad. Paris. non ita pridem Profeſſoris regii, *Commentarii locupletiſſ. in Pro-*

Prophetas quinque priores inter eos qui minores vocantur. Quibus adjuncti ſunt aliorum etiam et veterum (in quibus ſunt Hebraei) et recentium Commentarii, ab eodem excerpti.

Hosce Commentarios non indicato anno et loco, quibus editi ſunt, poſt Merceri obitum in lucem emiſit Petrus Cevallerius, qui phraſium grammaticarum, quae in Commentariis Rabbinorum obviae ſunt, interpretationem praemiſit. Singulorum capitum explicationem praecedit verſio latina, verbis hebraicis juſto nimis adſtricta. Eam excipiunt ex Hieronymo et Lyrano excerpta, haec vero Merceri animadverſiones. Tum ſequuntur ex Oecolampadio excerpta, poſt ea autem Salomonis Jarchii, R. Abeneſrae et Davidis Kimchii Commentarii integri latinitate a Mercero donati. Poſtremo aliae ſubjunctae ſunt Merceri notae. Videntur adverſaria eſſe a Mercero in acroaſium uſum concinnata. Soli in Amoſum commentarii non ſunt rudis indigeſtaque excerptorum moles, ſed continuo et magis exculto ſermone decurrunt. De Scholiorum hebraicorum interpretatione, quae in hoc opere legitur, Hermannus von der Hardt in Praefatione ad *Hoſeam Rabbinorum commentariis illuſtratum* Helmſtad. 1703. a ſe editum ita judicat: „Verſionem latinam, Merceri nomine venditatam, ſuppoſititiam aeſtimo, quam claro Merceri nomine ab illius obitu vendidere editores lucri cupidi. Nec enim Merceri eruditionem et peritiam Rabbinicam, nec ſtylum viri refert. Tyronis fuerit, ex ſchola forte Merceriana, tam eſt inſcita, et a mente Rabbinorum aliena." Mutila horum Commentariorum editio prodiit hac epigraphe: Joan. Merceri, in Acad. Pariſienſi Hebraeae Linguae olim Profeſſoris Regii longe lateque celeberrimi, *Commentarii locupletiſſimi in vates quinque priores, inter eos qui minores vocantur; quibus adjuncti ſunt Hebraeorum, nominatim R.* S a l o m o n i s J a r c h i, A b e n E s r a e et D a v i d i s K i m c h i *in eosdem, excepto Amoſo, Commentarii ab ipſo latinitate donati; altera vice editi,*

cura

cura atque studio M. Georg. Christ. Bürcklini, Illustr. Paedagogii Giſſenſis Collegae, et Haſſiacorum Alumnorum Majoris, *cujus etiam acceſſit Praefatio, quae Supplementa in* D. *Pfeifferi Criticam S. exhibet.* Giſſae Haſſorum, 1695. in quatern. Mutilam dicimus hanc editionem, quia in ea excerpta ex Hieronymo ceterisque interpretibus, qui non ſunt Judaei, adeoque plura ex ipſius Merceri notis ſunt omiſſa.

Pauli de Palacio, Coimbrenſis, *Commentarius in duodecim prophetas minores,* Coloniae, 1583. 1588. in octon.

Michaelis de Palacio, Grenadenſis, *Explanationes in duodecim prophetas minores ſecundum litteralem, anagogicum, allegoricum et tropologicum ſenſum,* Salmanticae, 1593. fol.

Lamberti Danaei *Commentarius in Joelem, Amos, Micham, Habacuc, Sophoniam, Haggaeum, Zachariam et Malachiam,* Genevae 1578. in octon., et una cum Commentariis in reliquos quatuor prophetas, ibid. 1586. 1594. in octon.

Joannis Drusii *Lectiones in prophetam Nahum, Habacuc, Sophoniam, Joelem, Jonam, Abdiam. In graecam editionem conjectanea, et interpretum veterum quae exſtant fragmenta.* Leidae, 1595. Lectiones in *Hoſeam* etc. Leid. 1599. In *Amos,* Leid. 1600. In *Micham, Aggaeum, Zachariam* et *Malachiam,* Amſtelod. 1627. in quat. Illas omnes junctim eſſe editas, et quidem emendatiores et locupletiores, a Sixtino

tino Amama, hac inscriptione: Joa. Drusii *Commentarius in Prophetas minores*, Amstelod. 1627. in quat., auctor est Mich. Lilienthal in *Biblioth. bibl. exeget.* p. 730. Leguntur quoque in *Criticorum Sacrorum* T. III.

Quid in hisce Commentariis praestiterit Drusius, ipse in praefatione ad Hoseam hunc in modum enarrat: „Primum convertimus eum [prophetam] in sermonem Latinum, deinde Notas adjecimus, quas *Lectiones* vocamus, quia inter legendum maxima ex parte meditatae et scriptae sunt. In Notis potissimum historiam enarramus et sensum grammaticum, quem vulgo *literalem* nuncupant. Usi sumus ad hoc Commentariis Patrum utriusque linguae, tum etiam Scholiis Ebraeorum trium, et paraphrasi Chaldaica Jonathanis, Uzielis Fil., neque neglexímus editiones veteres, Graecam et Latinam. In Graecam peculiariter scripsimus *Conjectanea*, quod priscos Theologos, religionis nostrae antistites, ipsosque adeo Evangelistas et Apostolos, ea usos esse sciremus. Notavimus etiam diversas Lectiones, quae plurimae occurrunt, conferenti maxime Aldinam editionem cum ea, quam Ximenius Compluti edidit, quam vulgo *Complutensem* vocant. Ad Aldinam quam proxime accedunt Romana, Basileensis et Argentoratensis. Ceterae Complutensem expresserunt, in queis et Antverpiensis, quam Plantinus excudit, *Biblia Regia* vulgo dicta. Fragmenta veterum interpretum a nobis olim collecta, ne quid plus lector desideraret, etiam notis illustravimus."

Francisci a Messana *Paraphrasis in duodecim prophetas minores, cum lectura in Zachariam*, Antverpiae, 1597. in quat.

Jo. Winkelmanni *Commentarius in duodecim prophetas minores*, duobus voluminibus, Francofurti 1603. et 1620. in octon.

As

As fatidicus, ſive *duodecim Prophetae minores latina metaphraſi poetica expoſiti*, partim a Jacobo Augusto Thuano, Senatus Pariſienſis Praeſide, partim a Cunrado Rittershusio, IC. et Anteceſſore Academiae Noricae. Acceſſerunt et Argumenta ac Summae Graeco-Latinae in ſingulos Prophetas, et alia Indice comprehenſa. Ambergae, 1604. in octon.

Hoſeae, Michae, Nahumi, Zephaniae, Malachiae oracula Rittershuſii, ceterorum prophetarum Thuani metaphraſi poetica elegantiſſima illuſtrata ſunt. Quae acceſſerunt praeter argumenta prophetiarum, et Heſychii, Presbyteri Hieroſolymitani, Summas graeco ſermone conſcriptas et a Rittershuſio translatas, ſunt haec: 1) Paraphraſis triplex Threnorum Jeremiae, a *Thuano*, *Joach. Camerario* et *Adam. Sibero* elaborata; 2) Jeſajae Capitis I. paraphraſis poëtica ab ignoto quodam Gallicae gentis homine confecta; 3) concionis Jeſajae Cap. III. de Republ. ad interitum ruente paraphraſis auctore *Henr. Meibomio*, Profeſſ. Helmſtad.; 4) Ezechias redivivus *Jo. Cunr. Rumelii*, ſ. paraphraſis poëtica Jeſaj. XXXVI—XXXVIII. 5) Daniel inter leones ſervatus, a *C. Rittershuſio*; et 6) Enneas Pſalmorum Davidicorum in graecos Verſus hexametros diverſis temporibus translatorum a *C. Rittershuſio*.

Jo. Maldonati *Commentarius in duodecim prophetas minores*, Colon. 1611. fol.

Christophori Castri e Societate Jeſu Theologi, et in Complutenſi olim, nunc in Salmanticenſi Collegio ejusdem ſocietatis Sacrarum Literarum Profeſſoris, *Commentariorum in duodecim Prophetas libri duodecim*, cum paraphraſi

et

et indicibus utilissimis. Lugd. 1615. et Mogunt. 1616. fol.

Praemissi sunt *Isagoges ad Prophetas de Vaticinio libri quatuor*, quorum *primus* de vaticinio naturali, *secundus* de divinatione, sive de artificioso vaticinio, *tertius* de prophetia, seu de vera futurorum praecognitorum praedictione, *quartus* de Prophetis et de his, quae accidunt prophetis, agit. Commentarium in singula capita praecedit Paraphrasis, juxta Vulgatam Latinam posita.

PETRI A FIGEIRO *Commentarii in duodecim prophetas minores*, exstant in ejus *Operibus*, Lugduni, 1615. fol.

JO. WOLDERI *Dispositiones analyticae in prophetas minores, cum paraphrasibus brevibusque explicationibus*. Vitemberg. 1617. in quat.

GASPARIS SANCTII, Centumputeolani, e Societate Jesu Theologi, in Collegio Complutensi sacrarum literarum Interpretis, *in duodecim prophetas minores et Baruch Commentarii cum Paraphrasi.* Nunc primum prodeunt, indicibus cum locorum Scripturae, Regularum et Proverbiorum, tum rerum notabilium illustrati. Lugduni, 1621. fol.

JO. PHELIPPAEI *Commentarii in duodecim prophetas minores*, Paris. 1633. quatuor voll. fol.

JO. COCCEJI *Commentarius in Prophetas minores*, Lugduni Batav. 1652. fol.

A brief Exposition on the twelve small Prophets by DAV. HUDGESON, London, 1655. in octon. et 1657. fol.

ANDR. KUNADI *Commentarius exegetico-practicus in duodecim Prophetas minores,* Dresdae, 1677. in quat.

CAROLI MARIAE DE VEIEL *Expoſitio literalis duodecim prophetarum minorum ex ipſis Scripturarum fontibus, Hebraeorum ritibus et idiomatis, veterum et recentiorum monumentis eruta,* Londini, 1680. in oct.

JOA. SCHMIDII, Theologi Argentoratenſis, *in Prophetas minores Commentarius, cum* D. FRIDERICI BALDUINI, Theologi quondam Wittenbergensis, *in tres poſteriores Prophetas Commentario.* Praemittitur auctoris vita, a Sebaſtiano Schmidio ſcripta. Lips. 1685. 1687. 1689. in quat.

Ex Schmidii ſchedis Commentarium in novem priores duodecim prophetarum edidit defuncti gener, *Balth. Frid. Salzmann,* Theologus Argentoratenſis, atque ad opus ſupplendum et perficiendum adjecit *Balduini Commentarium in Zachariam, Haggaeum et Malachiam,* qui primum Vitembergae 1610. in octon. prodierat.

JOA. TARNOVII, Theologi Roſtochienſis, *in Prophetas minores Commentarius,* in quo textus analyſi perſpicua illuſtratur, ex fonte Hebraeo explicatur, locis SS. parallelis confirmatur, a pravis expoſitionibus vindicatur, uſus vero in locis communibus ex ipſa Scriptura natis et probatis indicatur, cum praefatione *Jo. Bened. Carpzovii.* Francofurti et Lipſiae, 1688. et 1706. in quat.

Commentarios in ſingulos prophetas Tarnovius ipſe edidit inde ab anno 1618., quo in Joelem Commentarius primus prodiit Roſtochii. Carpzovius in Praefatione de Tarnovii

novii vita, meritis et ſcriptis egit. Doctiſſimis ſuae aetatis interpretibus Tarnovius adnumeratur. Cf. Staeudlinii *Beyträge zur Erläuterung der bibl. Propheten* p. 60. not.

Commentaries on Hoſea, Joel, Micah and Malachi by EDUARD POCOCK, Oxford, 1685. fol. Vid. *Acta Eruditor.* anni 1686. mens. Decembr. p. 576. ſeqq. Exſtant quoque in ejus *Operibus theologicis* (*The theological Works of the learned Dr. Pocock* etc.) editis a *Leonard. Twells* praemiſſa notitia de auctoris vita et ſcriptis, Londini, 1740. fol.

Vid. de hisce Commentariis Staeudlinii librum modo memoratum p. 34. ſeqq.

JO. MARCKII *in Prophetas minores Commentarius*, ſeu analyſis exegetica, qua hebraeus textus cum verſionibus veteribus confertur, vocum et phraſium vis indagatur, rerum nexus monſtratur, et in ſenſum genuinum, cum examine variarum interpretationum, inquiritur, Amſtelodami, 1696—1701. quatuor voll. in quatern. Tum praemiſſa *Chriſtoph. Matth. Pfaffii* praefatione, qua de Marckii vita et ſcriptis exponit. Tubing. 1734. duob. voll. in forma max.

POLYCARPI LYSERI *Praelectiones academicae in prophetas minores*, Lipſ. et Goslar. 1709. in quatern.

Edidit has praelectiones *Polycarpus Lyſerus*, auctoris pronepos, ex volumine manuſcripto, quumque in eo interpretatio Haggaei deeſſet, illam compoſuit ipſe atque ad librum ſupplendum addidit.

 D. BRAN-

D. Brandani Henrici Gebhardi, Theologi Gryphiswaldensis, *gründliche Einleitung in die Weissagung der zwölf kleinen Propheten, worinnen der Text kürzlich paraphrasiret, und die gegebene Erklärung befestiget wird; mit angehängtem Elencho wider die Jüdische und chiliastischen Auslegungen.* Sub hac inscriptione singuli prophetae separatim prodierunt inde ab anno 1723. usque ad annum 1728. partim Gryphiswaldae, Rostochii, partim Lipsiae, partim Luneburgi decem voluminibus minoribus in quat. Tum omnes illos commentarios junctim edidit auctoris patruelis, *Jul. Just. Gebhard*, additis in libri inscriptione hisce verbis: *Zuvor einzeln ans Licht gegeben, nunmehro aber bey dieser zweyten Auflage zusammen gedruckt*, Braunschweig, 1737. in quat.

Phil. Dav. Burkii *Gnomon in duodecim prophetas minores*, in quo ex nativa verborum vi simplicitas, profunditas, concinnitas, salubritas sensuum coelestium indicatur. Heilbron. 1753. in quat.

Neue Uebersetzung der Weissagungen Nahums, Habacuc, Zephanja, Haggai, Sacharia und Maleachi von N. D. E. (Christ. Gottfr. Struensee); Halberstad. 1770.

Prophetae minores ex recensione textus hebraei et versionum antiquarum latine versi, notisque philologicis et criticis illustrati a Jo. Aug. Dathio, Hal. 1773. edit. altera emendatior, ibid.

ibid. 1779. et edit. tertia emendat. ibid. 1790. in octon.

Apparatus criticus ad formandum Veteris Testamenti interpretem congestus a D. CAR. FRID. BAHRDT, Prof. Giſſenſi. Vol. I., Lipſiae, 1775. in octon.

Continentur hoc libro animadverſiones ad Hoſeam, Joelem, Habacucum et Haggaeum, eaeque maxime ad veteres verſiones ſpectantes. Vid. de hoc libro J. D. MICHAELIS *Biblioth. Orient.* P. IX. p. 101. ſeqq.

Probe einer Ueberſetzung der kleinen Propheten von C. G. WALTHER, Stendal, 1779.

Die zwölf kleinen Propheten aufs neue aus dem Hebräiſchen überſetzt, und mit kurzen Anmerkungen für unſtudirte Leſer begleitet von JO. CARL VOLBORTH. Götting. 1783. in octon.

Ueberſetzung und Erklärung der Weisſagungen des Propheten Daniels und der zwölf kleinen Propheten, entworfen von JOH. HEINR. DAN. MOLDENHAUER, Quedlinburg, 1787. in quat.

An Attempt towards an improved verſion, a metrical arrangement and a explanation of the twelve minor prophets by WILL. NEWCOME, Lond. 1785. in quatern.

Die kleinen Propheten überſetzt und mit Commentarien erläutert von GEO. LOR. BAUER, Prof. der morgenländiſchen Sprachen zu Altdorf, *erſter Theil, Hoſeas bis Micha,* Leipz. 1786., *zweyter Theil, Nahum bis Malachia, ibid.* 1790. in octon.

CARL

Carl Friedrich Staeudlins *Beyträge zur Erläuterung der biblischen Propheten und zur Geschichte ihrer Auslegung; als Versuche Hoseas, Nahum, Habakuk neu übersetzt und exegetisch-kritisch erläutert.* Stuttgard, 1786. in oct.

Animadversiones in quaedam duodecim prophetarum minorum loca proponit Christian. Gotth. Hensler. Kilon, 1786. in quat.

Versuch einer Uebersetzung der Propheten Nahum, Habakuk, Zephanja, Haggai und Obadja, mit Anmerkungen, Leipz. 1791. in oct.

Observationes philologicae atque criticae ad quaedam prophetarum minorum loca, subjuncta vernacula Chabacuci interpretatione. Auctore J. Ch. Dahl. Neostrelitiae, 1798. in octon.

IN

IN HOSEAM PROOEMIUM.

De Hoſeae gente nil conſtat, niſi quod in libri, qui ab eo nomen gerit, inſcriptione dicitur, eum fuiſſe filium *Beeri* [1]) cujusdam, quem Hebraeorum quidam temere confundunt cum *Beera*, principe Rubenitarum, qui captivus in Aſſyriam abductus legitur [2]) per Tiglathpileſſarem. Sed enim vero, nec nominis conſentit terminatio, nec temporis id admittit ratio, nec ulla probabilis ſuadet cauſa. Nec refutationem meretur, quod itidem Hebraei tradunt, Hoſeae patrem et ipſum prophetam fuiſſe, ex regula nimirum inter illos pervulgata quidem, ſed precaria prorſus, qua prophetam patrem habuiſſe judicatur, cujus pater in ipſo exordio memoratur; opinantur enim, vaticinandi facultatem hereditario quodam jure a majoribus in poſteros paſſim derivari. Nullo firmiori argumento nititur, quod vatem noſtrum produnt Hieroſolymis eſſe oriundum, eo quod natale ſolium ipſius in libro ſuo ſilentio praetermit-

1) בֶּן־בְּאֵרִי Hoſ. I, 1.

2) בְּאֵרָה אֲשֶׁר הֶגְלָה תִּגְלַת פִּלְנְאֶסֶר מֶלֶךְ אַשּׁוּר הוּא נָשִׂיא לָרְאוּבֵנִי 1 Chron. V, 6.

mittatur, unde liquere autumant, ejusmodi prophetam Hieroſolymis natum eſſe. Contra Pſeudo-Epiphanius Dorotheusque [3]) Hoſeam Belemoth [4]), oppido in tribu Iſſaſchar ſito, oriundum tradunt. Sed talia retuliſſe ſufficiat [5]). Illud vero vix in dubium recte vocari poſſe videtur, noſtrum gente Iſraelitam fuiſſe, et in regno Samariae ſive decem tribuum vixiſſe. Perpetuus enim ſcelerum et ſuperſtitionis Ephraimitarum eſt inſectator, et *Ephraimum, Iſraelem, Samariam* ſaepius diſerte compellat. Exprobrat illis impudentiam et pervicaciam Gabaitis parem [6]). Simulacra colebantur Bethel, Samariae, Galgal [7]), in monte Thabor [8]), et in Gileaditide [9]). Fruſtra illos conari demonſtrat, ut alienigenarum ope ab ultione ſe Dei ſubducant; quum pro eo, quod Aegyptios et Aſſyrios implorarent, a Deo potius roganda fuiſſet criminum poenitudine venia [10]). Dejiciendos aureos vitulos, proſtratosque in Aſſyriam asportan-

3) *De vitis prophetar.* Cap. XI. *Opp. Epiphan.* T. II. p. 244.

4) Pro quo tamen *Druſius*, Hieronymi auctoritatem ſequutus, et Huetius in *Demonſtrat. Evangel.* Propoſ. IV. p. 483. edit. Lipſ. *Bethſchemes* legendum arbitrantur.

5) Plura ejusmodi commenta recenſuit Jerem. Friderici in Exercitat. hiſtor. philolog. *de Hoſea et vaticinio ejus*, Lipſ. 1715. quat.

6) Vid. IX, 9. X, 9.

7) IV, 15. IX, 15. XII, 12.

8) V, 1.

9) VI, 8. XII, 12.

10) VII, 11. VIII, 9. 13. IX, 3. XII, 1. XIV, 4.

portandos minatur [11]). Judam rarius tantum et obiter tangit [12]). Quod in libri inſcriptione tempus, quo vixit Hoſeas, ad reges Judae definitur, unius Jeroboami, regis Iſraelitarum addita mentione, inde colligendum nonnulli putarunt, noſtrum in regno Judae oracula edidiſſe. Cujus argumenti tamen nulla omnino eſt vis, arguentibus rationibus aliis multo gravioribus, inter Iſraelitas noſtrum verſatum eſſe. Accedit, quod libri inſcriptionem ab ipſo Hoſea profectam eſſe, parum ſit credibile. Praefixa ea haud dubie eſt ab homine quodam Judaeo, qui quum oracula diſperſa ſacrorum ſcriptorum ſyntagmati inſerenda unum in volumen colligere aggrederetur, in tempore deſignando potiorem Judaeorum regum rationem a ſe habendam eſſe duxerit. Etſi vero manui ſeriori epigraphen illam adſignemus; non tamen eſt, cur ei fidem denegemus, quum oraculis nil inſit, quod aevo in illa indicato repugnet.

11) VIII, 5. X, 5. 6.

12) I, 7. IV, 15. V, 12. 13. 14. VI, 4. 11. VIII, 14. XII, 1. 3. Pertinet huc Jo. Schmidii in *Prolegomm. in Hoſ.* p. 52. obſervatio: *Eſt haec conſuetudo Prophetarum, ut illis populis, ad quos non ſunt miſſi, videantur parcere, adverſus illum vero, ad quem miſſi ſunt, acriter invehantur. Ita Eſajas et Michas acerrime reprehendunt populum Judae, quod non ita faciunt contra Iſraelem, quia non ad hunc, ſed ad illum miſſi fuerant; contra Hoſeas noſter et Amos, qui tamen eodem tempore prophetaſſe creduntur, ſevere arguunt Iſraelem, et regno Judae blandiri videntur, quia rurſus non ad hos, ſed ad illum uterque miſſus fuit.*

pughet. Perhibet autem inscriptio, Hoseam vixisse regnantibus in Judaea Usia, Jothamo, Ahaso et Hiskia, in decem vero tribuum regno Jeroboamo II. filio Joasi, cujus mentio ideo fuit adjecta, ut eo propius cognosceretur, tempus, quo vaticinari incepit, non aliud fuisse, quam id ipsum, quo Usias et Jeroboamus reges σύγχρονοι erant, quod fuit quatuordecim annorum. Namque regnum ille demum obtinuit anno septimo et vigesimo Jeroboami II, qui clavum imperii tenuit annos quadraginta et unum [13]); quo de numero si deducantur viginti et septem anni Jeroboami, quibus Usiae imperium antevertit, reliqui sunt quatuordecim, quibus ambo simul imperarunt, hic Judaeis, ille reliquo decem tribuum populo. Quodsi vero prima oracula edidit Hoseas extremis imperii Jeroboamici annis, ultima autem ineunte Hiskiae regno, per quadraginta fere annos prophetam illum egisse, et aequales sibi in regno Judae Jesajam Michamque habuisse constat.

Quae de illo, quo floruit Hoseas, tempore in V. T. monumentis historicis sunt prodita, satis docent, vixisse illum temporibus difficillimis, statu reipublicae plerumque turbulento, religionis vero penitus corrupto. Maximopere quidem floruerunt res Israelitarum sub Jeroboamo II., qui, rebus feliciter gestis, urbes ab hoste expugnatas recuperavit, populumque a Syrorum oppressionibus

13) Uti constat e 2 Reg. XV, 1. collato cum 2 Reg. XIV, 23.

nibus vindicavit [14]); mox tamen ab ejus obitu cuncta in deterius ruere coeperunt, et turbis, factionibus, belli inteſtini motibus plena fuerunt omnia, dum caedes promiscuae, dum parricidia viam ad regnum obtinendum muniebant, atque adeo, viribus reipublicae fractis et proculcatis, externis hoſtibus apertum latus exhibebant, quorum jugum ſuscipere tandem debuerunt. Pleraque autem eorum, quae ſuperſunt, vaticiniorum Hoſeae edita videntur in illo undecim annorum interregno, quod inter mortem Jeroboami II. et filii in ejus locum ſucceſſionem interceſſit. Anno enim decimo quinto Amaziae, regis Judae, regnum auſpicatus eſt Jeroboamus [15]), idque tenuit per annos quadraginta et unum; ultimus itaque regiminis ejus, ſive primus ſucceſſoris Zachariae, incidere debuit in annum vigeſimum et ſeptimum Uſiae; ſed hujus anno demum trigeſimo octavo patri ſucceſſiſſe legitur Zachariae [16]), unde merito colligitur, hoc non niſi poſt interjectos undecim annos eveniſſe, atque adeo rempublicam, gubernatore deſtitutam, toto illo tempore turbarum civilium aeſtu miſerum in modum fluctuaſſe. Qui vero poſt graves illas et maxime pernicioſas civium inter ſe digladiantium contentiones, regnum tandem occuparunt, bini reges, Zacharia et Sallum, non niſi paucorum admodum menſium reges fuerunt. Paullo quidem diutius rerum potitus

14) Vid. 2 Reg. XIV, 27. 28.
15) Vid. 2 Reg. XIV, 23.
16) 2 Reg. XV, 8.

titus fuit Sallumi percussor, Menahemus, sed ita tamen, ut dignitati male partae suis viribus tuendae nunc impar eam magna pecuniae vi ab Assyriorum rege redimere, eique obnoxius fieri necesse habuerit. Successit ei filius, Pekahja, sed post biennium a Pekaho, Remaljae filio, trucidatus. Quo parricida regnante contigit fatalis illa regis Assyriorum expeditio, qua regnum Israeliticum nobilissima sua parte multavit, civibusque in exilium missis, regiones trans Jordanem sitas et superioris Cananaeae partes sui juris fecit [17]). Hoc vero tempore interregnum iterum statui debere videtur, et quidem octo annorum; namque vigesimus annus imperii Pekahi, qui simul ultimus ejus fuit, incidit in annum quartum Achazi, primus vero Hoseae, regis Israelitarum, qui illo interemto successit, in duodecimum demum ejusdem Achazi [18]); quae pugna vix aliter videtur tolli posse, quam si statuamus, sive Pekahum, post imperium viginti annorum per octo adhuc annos superstitem quidem, sed aut profugum, aut captivum abductum fuisse, ita ut reliqui illi octo in censum venire non meruerint; sive potius, effluxisse totidem inter Hoseae conspirationem et illud tempus, quo rex ab universo populo fuerit salutatus [19]). Ultimus ceterum ille fuit Israelitarum rex.

Tali-

17) 2 Reg. XV, 29.

18) Vid. 2 Reg. XVII, 1.

19) Usi sumus verbis S. H. Manger in *Prolegomm. in Hos.* p. 8.

Talibus vero temporibus mores penitus corruptos perditosque exstitisse, et res ipsa docet, et vatis nostri questus crebraeque objurgationes satis declarant. Summi aeque ac infimi turpissimae superstitioni publice litabant. Vitulorum aureorum cultui, quo Aegyptiorum superstitionem aemulabantur, religionem addiderunt longe adhuc deteriorem, quam, inter vicinos Phoenices prognatam, et Jezabelis, mulieris propudiosae, patrocinio sibi commendatam, non ita pridem susceperunt [20]). Proceres injustitia, expilationibus, et caedibus innocentum in ceteros cives saeviebant [21]). Sacerdotes, auspiciis illius Jeroboami, cujus nusquam sine vituperatione mentio injicitur, introducti, et ab ejus successoribus conservati, quum tueri deberent religionis patriae ac virtutis causam, populumque veram ejus rationem docere, non modo negligebant, quod sui esset muneris, verum etiam contraria faciebant, opibusque et potentia elati, luxuria et lascivia diffluebant [22]). Privati denique homines neglectis sanctissimis quibusvis officiis, quae tam Deo, quam inter se sibi cives in societate debent, in hoc praecipue studium incumbebant, ut quibus possent artibus ac dolis, opes corraderent aliorumque incommodo ditescerent, atque solo voluptatis amore ducti, vitiorum se illecebris et cu-

20) 1 Reg. XVI, 30. 31.

21) Hos. IV, 1. 2.

22) Hos. IV, 6. 8. VIII, 13.

cupiditatum lenociniis dabant, pietatis vero doctores deridebant [23]). In tanta igitur quibuscum noſter viveret hominum perverſitate, conciones ejus, quae quidem nobis ſuperſunt, quis miretur potiſſimum verſari in ſeveris comminationibus gravique caſtigatione ſcelerum, per omnes tunc ordines turpiter graſſantium? Minis tamen atque adhortationibus ſuis ad reſipiſcentiam identidem admiſcet promiſſiones de laetiori temporum facie, aliquando futura, quibus meliorem populi partem in adflictiſſimis reipublicae temporibus erigeret. Dicendi genere utitur gravi et pathetico, pleno fervoris et audaciae. Quamquam vero ſermonum ſuorum argumentum univerſum ſit ſatis apertum, vix tamen alius vates Hebraeorum aeque eſt difficilis et involutus, quod tum ex ipſa rerum natura, utpote qui multum a noſtra cognitione remotas hiſtorias, parumque ex monumentis illorum temporum exploratas innuat, cum etiam ex ipſa ſtyli indole derivatur. Quum enim ex antiquiſſimis ſit Hebraeorum vatibus, ſtylus quoque ejus incorruptam ſermonis vetuſtatem exprimit, priſtinam generis ſententioſi brevitatem retinens, a qua vates inferiores aliquid, judice Lowthio, remiſerunt. Saepe ex uno in aliud argumentum, ex uno in aliud tempus perſonamve, non per viam, ſed veluti per ſaltum tranſilit. Id eſt, quod de eo notat Hieronymus, *Oſee*, inquiens, *commaticus, et quaſi per ſententias*

23) Hoſ. IV, 2. 11. 13. 14. XII, 8. 9.

tentias loquens. Obtruncata ſententia lectorem ſuspenſum, ejusque prudentiae, quod deeſt, ſupplendum relinquit. Res quidem, quas tractat, magna lectiſſimarum imaginum varietate illuſtrat; ſed quum ſimilitudines uſurpatas vel auditoribus applicandas relinquat, vel ſtatim ſignificatas deſerat, multum de illarum elegantia et concinnitate lectorem nunc fugere neceſſe eſt.

Duae commodiſſime hujus libri *partes* conſtituuntur, quarum *prior* capitibus tribus parabola continua uxoris adulterae populi Iſraelitici defectionem a cultu Jovano perſidiaeque poenas ſiſtit; *altera* vero, reliquis undecim capitibus, plura continet minora oracula, minime inter ſe cohaerentia, quibus nullo allegoriae involucro Iſraelitarum ſcelera caſtigantur, intermixtis mox poenarum comminationibus, mox etiam feliciorum temporum promiſſionibus. Ea vero oracula, delecta, uti credibile eſt, ex multo pluribus, quae per ſatis longum annorum ſpatium edidit vates; quum ſint inter ſe ſine ullis temporum notis, aut argumenti diſtinctione connexa; minime mirum eſt, ſi, ut Lowthii [24]) verbis utamur, *Hoſeam perlegentes nonnumquam videamur in ſparſa quaedam Sibyllae folia incidere.* Quae quum ita ſint, cujuslibet oraculi veros limites, initia et fines dignoſcendi ratio ſuppetit nulla, niſi quae ex ipſius argumenti diverſitate elicitur, ſolli-

24) *De Sacra Hebraeor. poëſi* p. 280. edit. Oxon. ſ. p. 432. edit. Gotting.

ſollicite comparata cum diverſis itidem rerum Iſraeliticarum viciſſitudinibus, quarum aliquam ſaltem memoriam nobis conſervarunt codicis hebraei monumenta hiſtorica.

Praeter illos interpretes, qui minores, quos dicimus, prophetas vel omnes, vel plures eorum junctos commentariis illuſtrarunt, quorum elenchum ſupra p. 8. ſeqq. exhibuimus, ſunt etiam, qui ſeorſim et data opera Hoſeae illuſtrando incubuerunt. Eorum igitur ſcripta, quae quidem nobis innotuerunt, nunc recenſebimus.

I.

Hebraei.

Trium celeberrimorum ex Hebraeis interpretum Salomonis Jarchii, Abrahami Aben-Esrae, et Davidis Kimchi Scholia in Hoſeam edita ſunt cum annotationibus *Guil. Goddaei* Lugdun. Bat. 1623. in quat., nec non per *Ludov. de Dieu* ibid. 1631. in quat.

Hoſeas antiqua Chaldaica Jonathanis paraphraſi, quae veterum Judaeorum, a captivitate Babylonica, Scripturam explicandi et inflectendi modum refert, ut et recentiorum inter Rabbinos Philologorum, R. *Salomonis Jizchak*, R. *Abrahami Aben-Eſrae*, et R. *Davidis Kimchii Commentariis illuſtratus.* Ex antiquo Roberti Stephani

phani emendato codice Pariſino recenſitus ab HERMANNO VON DER HARDT, Praepoſ. Mariaeb. Lingg. Orr. in Academ. Jul. [Helmſtad.] Prof. P. Helmſtadi, 1703. in quat. Repetit. ibid. 1712., nec non Gotting. 1775., curante *J. D. Michaelis.*

Rabbi ISAACI ABRABANELIS *Commentarius in Hoſeam:* cui et praemiſſum Prooemium in duodecim Prophetas minores, latinitate donatum, una cum Notis ſuis ab FRANCISCO AB HUSEN, V. D. M. in Wetſinge. Lugduni in Batavis, 1687. in quat.

II.

PATRES ECCLESIASTICI.

HIERONYMUS *in Prooemio in Hoſeam ad Pammachium:* „Qui exponere ſunt conati Oſee, apud Graecos reperi *Apollinarium Laodicenum*, qui quum in adoleſcentia ſua breves et in hunc et in alios Prophetas commentariolos reliquiſſet, tangens magis ſenſus: quam explicans, rogatus eſt poſtea, ut in Oſee plenius ſcriberet, qui liber venit in noſtras manus, ſed ipſe nimia brevitate ad perfectam intelligentiam lectorem ducere non poteſt. *Origenes* parvum de hoc Propheta ſcripſit libellum, cui hunc titulum impoſuit: Περὶ τοῦ πῶς ὠνομάσθη ἐν τῷ Ὡσηὲ Ἐφραίμ, hoc eſt, *quare appellatur in Oſee Ephraim*, volens oſtendere, quaecunque contra eum dicuntur, ad haereticorum referenda perſonam. Et aliud volumen ἀκέφαλον καὶ ἀτέλεστον, quod et capite careat,

et fine. *Pierii* quoque legi tractatum longiſſimum, quem in exordium hujus Prophetae die vigiliarum dominicae paſſionis extemporali et diſerto ſermone profudit. Et *Euſebius Caeſareenſis* in octavo decimo libro Εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως quaedam de Oſee Propheta disputat. Unde ante annos circiter viginti duos, quum rogatu ſanctae et venerabilis ſocrus, imo matris tuae, Paulae, illud enim nomen carnis, hoc ſpiritus eſt, quae monaſteriorum et ſcripturarum ſemper amore flagravit, eſſem Alexandriae, vidi *Didymum*, et eum frequenter audivi, virum ſui temporis eruditiſſimum, rogavique eum, ut, quod Origenes non fecerat, ipſe compleret, et ſcriberet in Oſee commentarios; qui tres libros, me petente, dictavit, quinque quoque alios in Zachariam. Haec dico, ut noveris, quos in Prophetae hujus campo habuerim praecurſores, quos tamen, ut ſimpliciter et non ſuperbe (ſicut quidam meorum amicorum ſemper inſibilat) tuae prudentiae fatear, non in omnibus ſum ſecutus, ut judex potius operis eorum, quam interpres, exiſterem, diceremque, quid mihi videtur in ſingulis, et quid ab Hebraeorum magiſtris vix uno et altero acceperim, quorum et apud ipſos jam rara avis eſt, dum omnes deliciis ſtudent et pecuniis, et magis ventris, quam pectoris, curam gerunt, et in hoc ſe doctos arbitrantur, ſi in tabernis medicorum de cunctorum operibus detrahant."

III.

III.

Interpretationes Hoseae inde a Sec. XVI. editae.

Martini Lutheri *in Oſeam Prophetam Adnotationes* Vitembergae praelectae anno 1526., eodem loco annoque prodierunt in octonis. Germanice redditae leguntur in Lutheri Operibus T. VI. p. 1497. edit. Walch. Ejusdem *in Hoſeam Prophetam Enarratio ab ipſo in publicis praelectionibus tradita et poſtea recognita, collecta per* Vitum Theodorum, Norimbergenſem, *plena piae doctrinae et ſalutarium conſolationum.* Vitemberg. 1545. in octon. Francofurti, 1546. Exſtat in Lutheri Operibus latinis T. IV. p. 391. edit. Viteberg., ac tom. IV. p. 598. edit. Jenens. Itidem germanice reddita eſt a *Friderico Drackſtetio,* ſed negligentius (vid. J. G. Walchii Praefat. ad Tom. VI. edit. Halens. p. 16. ſeqq.). Legitur inter Lutheri opera germanica T. VIII. p. 233. edit. Vitemberg., T. VIII. p. 593. edit. Altenburg., T. VIII. p. 1., T. VI. p. 1550. edit. Halens.

Wolfg. Fabr. Capitonis *Commentarius in Hoſeam,* Argentor. 1528. in oct.

Joa. Brentii *Commentarius in Hoſeam Prophetam,* Hagenoae, 1560. in quat., Tubing. 1580. fol.

Hieronymi Box, Guadalupenſis, *Commentaria in Hoſeam prophetam, chriſtianae philoſophiae praeceptis adcommodata, adjectis*

obſervationibus cum parabolis elegantiſſimis. Caeſaraugustae, 1581. fol. Venetiis, 1585. in quat. Lugdun. 1587. in octon., ac locupletata a *Gabr. Gyrelo,* Brixiae, 1604. in quat.

Jacobi Matthaei *Praelectiones in Hoſeam,* Baſileae, 1590. in quat.

Amandi Polani a Polansdorf *Analyſis libri Hoſeae prophetae,* Baſil. 1599. in quat., 1601. in octon.

Hieron. Zanchii *Commentarius in Hoſeam,* Neoſtadii, 1600. in quat. Obtinuit quoque locum in auctoris *Operibus theologg.* T.V. Genev. 1619. fol.

Salomon. Gesneri *Hoſeas illuſtratus,* Vitemberg. 1601. et 1614. in octon.

Continetur hoc libro duplex verſio latina Hoſeae, altera Hieronymi ex ebraeo, altera Bened. Ariae Montani ex paraphraſi chaldaica Jonathanis, cum Hieronymi Commentario. Ipſe autem Gesnerus praeter Praefationem ac notas, margini adpoſitas, nihil addidit.

Davidis Parei *Hoſeas propheta commentario illuſtratus,* Heidelb. 1605. 1609. in quat.

Michaelis Krackewitzii *Commentarius in Hoſeam,* Francofurti, 1619. in quat.

Balthasaris Meisneri *Hoſeas, novo commentario per textus analyſin, ejusdem exegeſin, dubiorum ſolutionem, et locorum communium adnotationem perſpicue illuſtratus.* Viteberg. 1620. in octon.

Andr.

Andr. Riveti *Commentarius in Hoſeam*, Lugd. Batav. 1625. in quat., et in ejus *Oper. theologicor.* T. II. p. 481.

Expoſition of the prophecy of Hoſea by Jerem. Burroughs, Oxford. 1643. 1652. tribus voll. in quat.

Jo. Henr. Ursini *Hoſeas commentario literali enucleatus*, Noriberg. 1677. in oct.

Sebast. Schmidii *Commentarius in prophetam Hoſeam, in quo textus ebraeus, tam Chriſtianis, quam Ebraeis interpretibus non parum difficilis viſus, ea, qua fieri potuit, adcuratione expenditur, ſingula capita analyſi commoda disponuntur, et loci communes ſubjunguntur.* Francof. ad Moen. 1687. in quat.

Francisci Vavassoris *Commentarius in Hoſeam prophetam* exſtat in ejus Operibus, quae Amſtelodami 1709. in form. max. prodierunt. Separatim ille non eſt editus.

De Prophetie van Hoſea ontledigt door Jo. Biermann, Ultrajecti, 1702. in quat.

Jo. Conr. Wackii *Expoſitio atque illuſtratio Hoſeae*, Ratisbon. 1711. in octon.

Hoſeas hiſtoriae et antiquitati redditus ab Hermanno von der Hardt, Helmſtad. 1712. in quat.

Saft und Kraſt des ſchweren und in Redensarten kurzgefaſsten Propheten Hoſeae, beſtehend in einer Erklärung, auserleſenen Praeloquiis,

loquiis, Exordiis, lehrreichen Propoſitionen jeder Verſe, und ſonderlichen doctrinal- moral- und philoſophiſchen Anmerkungen über alle Capitel und Verſe aufs fleiſsigſte verfaſſet von Joh. Georg Terne, erſtes Stück, Jena, 1740., zweytes Stück, Eiſenberg, 1748. in octon.

Continetur hisce duobus particulis primi tantummodo atque partis ſecundi Capitis vaticiniorum Hoſeae enarratio. Imperfectum igitur eſt opus.

Vaticinium Hoſeae verſum, paraphraſi, notisque illuſtratum a Joh. Christ. Klemmio, P. I. Tubingae, 1744. in quatern.

Diſſertatio, Klemmio praeſide a tribus Stipendiariis defenſa. Continet priora ſeptem Capita: num ſequuta ſint reliqua, ignoramus.

Joa. Aug. Dathii *Diſſertatio in Aquilae reliquias interpretationis Hoſeae,* Lipſ. 1757. in quat. Repetita in Auctoris *Opusculis ad criſin et interpretationem V. T. ſpectantt.* noſtris curis editt. Lipſ. 1796. in octon.

Neue Ueberſetzung der Weiſſagung Hoſeae nach dem ebräiſchen Texte, mit Zuziehung der griechiſchen Verſion von (Chriſtia) N. (Gottfrie) D. (Struenſe) E. Franf. u. Leipz. 1769.

Joa. Henr. Manger *Commentarius in Hoſeam,* Campis, 1782. in quat.

Der Prophet Hoſeas aus der bibliſchen und weltlichen Hiſtorie erläutert, und mit kritiſchen, philologiſchen und theologiſchen Anmerkungen verſehen von Joh. Gottfr. Schroeer. Deſſau, 1782. in octon.

Magni

MAGNI EUREN *Examen variantium lectionum in textu hebraeo Prophetae Hoſeae,* Spec. I. Upſal. 1782. Spec. II. ibid. 1786. Repetit. in AURIVILLII *Diſſertatt. a J. D. Michaelis junctim editt.* p. 594. ſeqq.

Hoſea, aus dem Ebräiſchen neu überſetzt von AUG. FRIEDR. PFEIFFER, Erlang. 1785.

Annotationum hiſtorico-exegeticarum in Hoſeam auctore LUD. JOS. UHLAND, Pars I—II. (totum Hoſeae librum complectentes), Tubing. 1785—1797. in quat.

Erklärung des Propheten Hoſea von JOH. CARL VOLBORTH, erſte Abth. Götting. 1787. in oct.

Hoſeas neu überſetzt nebſt einigen Erläuterungen von CHRIST. GOTTL. KÜHNÖL, Leipzig, 1789. in octon.

Hoſeae Oracula hebraice et latine; perpetua annotatione illuſtravit CHRIST. THEOPH. KUINOEL, Lipſ. 1792. in octon.

Der Prophet Hoſeas erklärt von M. JOH. CHR. VAUPEL. Dresd. 1793. in octon.

Hoſeas von ERNST GOTTFR. ADOLPH BÖCKEL, Königsberg, 1807. in octon.

JOA. FRID. GAABII, Theologi Tubingenſis, *Dijudicationis antiquarum, quae in Bibliis Polyglottis Anglicanis continentur, Hoſeae verſionum* Pars I. et II., Tubing. 1812. in quat. Pertractantur in duabus hisce partibus Capita ſex priora et Capitis ſeptimi Verſus 1—6.

Ho-

H O S E A S.

Cap. I.

A R G U M E N T U M.

Praemissa gemina inscriptione, generaliori altera totius voluminis (Vs. 1.), altera specialiori, primi vaticinii (Vs. 2. init.), enarrantur signa quaedam et portenta, quibus regni Israelitici mores ac fata significantur. Jubet enim Deus prophetae, ut meretrici sibi conjugio copulet, ex qua susceptum filium Isreelem vocat, quo Israelitici imperii interitus ostenditur (Vs. 2—5.). In filia, quae ex eadem impudica uxore nata est, alienum se ostendit Deus a populo, cui ad suam misericordiam aditum dicit esse praeclusum (Vs. 6. 7.). Prole tertia, mascula, portenditur, Israelitas non amplius fore Dei populum peculiarem (Vs. 8. 9.). Istae tamen comminationes mox mitigantur promisso redeundorum aliquando Deo in gratiam Israelitarum, consociandique, uno sub principe, utriusque, Judaici et Israelitici, regni (Vs. 10—20.).

Caput hoc primum scriptis peculiaribus illustrarunt Joa. Steuber in *Dissertat. de conjugio Hoseae prophetae cum meretrice ex jussu Dei*, in Menthenii *Thesauro Theologico-philologico*, Amstelod. 1701. T. I. p. 938. seqq. Jo. Marckius in *Diatribe de uxore fornicationum accipienda cum liberis fornicationum ab Hosea, qua exponitur fere integrum Caput primum Hoseae*, Lugd. Batav. 1696.

1696. in quat., repetita in Auctoris *Commentario in duodecim Prophetas*, Tubing. 1737. edit., T. I. p. 124. et Frid. Theod. Rinck in *Commentarii in Hoseae Vaticinia Specimine, primum eorum Caput complectente*, Regiomont. 1789. in quat.

---

1. Pro דְּבַר־יְהוָה Chaldaeus posuit: פִּתְגַם נְבוּאָה מִן קֳדָם יְיָ *Verbum prophetiae a Jova.* הוֹשֵׁעַ] Hieronymus: „*Osee*, in lingua nostra salvatorem notat, quod nomen habuit etiam Josue, filius Nun [יְהוֹשֻׁעַ], antequam ei a Deo vocabulum mutaretur. Non enim, ut male in Graecis codicibus legitur et Latinis, *Ause* [Αὐσῆ] dictus est, quod nihil omnino intelligitur, sed *Osee*, id est, salvator, et additum est ejus nomini *Dominus*, ut *salvator Domini* diceretur." Verum הוֹשֵׁעַ est vel Infinitivus (vid. Jerem. XI, 12.) explicandus *salvando* scil. salvabit Deus, vel Imperativus, *salva* o Deus!, ut הוֹשִׁיעָה נָּא, Ps. CXVIII, 25. De בֶּן־בְּאֵרִי vid. Prooem. עֻזִּיָּה, qui et עֲזַרְיָה dictus, et 52 annos regnavit, 2 Reg. XIV, 21. XV, 1. seqq. יוֹתָם, qui sedecim annis rex fuit, 2 Reg. XV, 32. אָחָז, et hic sedecim annis regno praefuit, 2 Reg. XVI, 1. seqq. יְחִזְקִיָּה, novem supra viginti annos regnavit, 2 Reg. XVIII, 1. וּבִימֵי יָרָבְעָם *Nempe* incipiens *in diebus* viventis adhuc *Jeroboami* II., Amos. I, 1. VII, 9., qui quadraginta annos et unum satis feliciter regnavit, usque ad annum vigesimum septimum Usiae, vid. 2 Reg. XV, 1.

2. Verba תְּחִלַּת דִּבֶּר alii vertunt: *principio loquutus est*, ut prius nomen adverbiascat, quemadmodum רַבַּת, Ps. CXX, 6. CXXIX, 2. Alii: *initium* quo *loquutus est*, subaudito pronomine relativo אֲשֶׁר, ut Exod. VI, 28. בְּיוֹם דִּבֶּר יְהוָה *die* quo *loquutus est Jova*; cf. Jesaj. XXIX, 1.; ut plena esset formula תְּחִלַּת דְּבַר אֲשֶׁר־דִּבֶּר יְהוָה. Verum nihil subaudire necesse erit, si דִּבֶּר habes pro nomine formae חִבֵּל, *malus navis*, כִּסֵּא *thronus*; quod ipsum nomen (הַדִּבֵּר) Jerem. V, 13, legitur. Pro דִּבֵּר vero h. l. cum Segol דִּבֶּר est scriptum

ſcriptum ob ſtatum, quem dicunt, regiminis, et arctiorem propterea cum nomine proximo conjunctionem, quae et lineola Makkaph indicatur. Pro nomine noſtrum דִּבֶּר habuerunt veteres omnes, quos דְּבַר legiſſe, quod exſtat in altero codicum eorum, qui Regiomonti Boruſſ. aſſervantur (nec non in duobus codd. de Roſſii, in altero tamen a prima manu); ſine neceſſitate conjecit Lilienthal in *Commentat. crit.* qua codd. illos deſcripſit (Regiom. 1770. 8.) p. 349., ſuffragante J. D. Michaelis in *Biblioth. Orient.* T. XIX. p. 170. LXX: Ἀρχὴ λόγος Κυρίου. Chaldaeus: שֵׁרוּת פִּתְגָמָא דַיְיָ. Syrus: ܪܫ ܡܠܠܘܬܗ ܕܡܪܝܐ. Vulgatus: *principium loquenti Domino.* Sunt, qui ex his verbis conjectent, primum omnium prophetarum Hoſeam fuiſſe, quaſi Deus primus per Hoſeam hominibus conſiliorum ſuorum arcana et futurarum rerum eventus revelaverit. Vid. e. c. Lightfooti *Chronol.* in *Oper.* T. I. p. 93. Verum Jonam noſtro anteriorem fuiſſe, evicerit 2 Reg. XIV, 25. Neque dubium eſt, Joelem et Amoſum ſuorum vaticiniorum plura ante Hoſeam ediſiſſe. Quare noſtris verbis ſolum hoc indicatur, illud vaticinium, cui ea praepoſita leguntur, eorum oraculorum, quae Hoſeas edidit, eſſe primum. Cf. Aurivillii *Diſſertatt.* p. 597. בְּהוֹשֵׁעַ *Per Hoſeam*, ut Num. XII, 2. *Num Jova ſolum* בְּמֹשֶׁה דִּבֶּר *per Moſen loquitur, nonne* גַּם־בָּנוּ *et per nos loquitur?* Cf. 2 Sam. XXIII, 2. Hebr. I, 1. ὁ Θεὸς λαλήσας ἐν προφήταις. Hieronymus: „Aliud eſt, loqui Dominum *in Oſee*, aliud *ad* (אֶל) *Oſee: in Oſee*, non ipſi loquitur *Oſee*, ſed per Oſee ad alios, *ad Oſee* vero loquens ad ipſum ſignificat conferre ſermonem.“ Cf. Drusii *Animadverſſ.* L. II. Cap. XLIX. (in *Criticor. SS.* T. VI. p. 1254.). לֵךְ *I!* i. e. agedum, ut infra III, 1., quod nec Latinis inſolitum. Sic Propertius *Eleg.* I, 9. 13. *I quaeſo et triſtes iſtos compone libellos.* קַח־לְךָ *Sume*, duc *tibi* uxorem matrimonio, de quo ineundo verbum לָקַח et Geneſ. IV, 19. XXIV, 3, 67. XXXIV, 4. Jerem. XXIX, 6. uſurpatur. Eodem ſenſu λαμβάνειν legitur Marc. XII, 19., et

et *παραλαμβάνειν* Matth. I, 20. אֵשֶׁת זְנוּנִים *Mulierem ſcortationum*, i. e. maxime libidinoſam, ut אִישׁ־דָּמִים, *vir ſanguinum*, ſanguinarius, Pſ. V, 7., אִישׁ מַכְאֹבוֹת, *vir dolorum*, i. e. doloribus conſumtus, Jeſaj. LIII, 3. HIERONYMUS: „Verbum hebraicum *Zenunim* non *fornicariam* et *fornicationem*, ut plerique aeſtimant, ſed multas *fornicationes* ſonat [cf. Geneſ. XXXVIII, 24, ubi de Thamare הָרָה לִזְנוּנִים *gravida facta eſt per ſcortationes*]. Ex quo oſtenditur, mulier iſta, quam propheta aſſumit in conjugem, non ſemel, ſed frequentius fornicata." Vates num enarret rem in facto poſitam, vel talem, quae per quietem aut viſionem ei oblata eſſet, vel denique parabolam, operoſe disquirunt interpretes. Et ad primam quidem ſententiam quod attinet, vere eſſe ab Hoſea geſta, quae hic leguntur, ut portenderet illis ſuorum popularium mores ac fata; nos minime ignoramus, nihil fuiſſe priscis hominibus familiarius, quam ut animi cogitata et conſilia factis et actionibus declararent, geſtibusque pro verbis uterentur; qua de re nemo ſubtilius doctiusque diſſeruit GUIL. WARBURTONO in opere, quo divinam Moſis legationem demonſtravit (*The divine legation of Moſes demonſtrated*) Lib. IV. Sect. 4. Vol. III. p. 105. ſeqq. edit. Londin. 1765., vel in verſ. teuton. Vol. II. p. 126. ſeqq. Sic Idanthura, Scytharum rex, narrante Pherecyde apud Clementem Alexandrinum (*Strom.* p. 567.), ut Dario, qui Iſtrum transiiſſet, ſignificaret, ſe exercitum contra eum ducturum, non literas, ſed ſymbolum miſit, *murem, ranam, avem, telam et aratrum* (*Φασὶ γοῦν καὶ Ἰδάνθουραν, τῶν Σκυθέων βασιλέα, ὡς ἱστορεῖ Φερεκύδης, ὁ Σύριος, Δαρείῳ διαβάντι τὸν Ἴστρον πόλεμον ἀπειλοῦντα, πέμψαι σύμβολον ἀντὶ τῶν γραμμάτων, μῦν, βάτραχον, ὄρνιθα, οἰστὸν, ἄροτρον*). Et in vetuſtiſſimis oraculis ſigna pro verbis uſurpata fuiſſe, docet illud Heracliti effatum, quod Plutarchus nobis ſervavit (in libro, qui inſcribitur *περὶ τοῦ μὴ χρᾷν ἔμμετρα*, p. 962.): *Rex ille, cujus oraculum eſt Delphis, neque loquitur, neque tacet, ſed per ſigna oracula edit* (*Οὔτε λέγει, οὔτε κρύπτει, ἀλλὰ σημαίνει*). Ejusmodi vero actionem

ſymbolicam ſimplicem eſſe oportere, breviſſimo temporis ſpatio abſolvendam, et pauciſſimis ſignis geſtibusque circumſcriptam, quis non videt? Longe diverſa eſt ratio eorum, quibus Hoſeas populi Iſraeliticae ſcelera et poenas adumbraſſe legitur. Fac enim, quae hoc Capite commemorantur, vere geſta eſſe, fieri profecto per rei naturam non potuit, ut ea ſingula, matrimonium, a propheta initum, trium liberorum, unius poſt alterum ortus, filiolae ablactatio, eodem tempore contingerent. Illa autem per plurium annorum ſpatium producenda ſigna nihil ſane apud populum effeciſſent, nec ad eum erudiendum admonendumque quicquam valuiſſent. Cf. Staeudlinii *Novas Symbolas ad Prophetarum interpretationem* (*Neue Beyträge zur Erläuterung der bibliſchen Propheten,* Götting. 1791.) p. 130. Quis talia inania atque inutilia ab homine ſano umquam ſuscepta eſſe credat? Abjicienda igitur ſententia, quae vati, ne dicam ſapientiſſimo numini, cujus ille juſſu egiſſe narratur, affingit inſulſi et inepti aliquid. Quod vero alii, auctore Maimonide, in *Doctore Perplexorum* P. II. Cap. XLVI. (p. 324. vers. lat.) ſtatuunt, exponi rem, quae vati in viſione aut per inſomnium oblata fuiſſet, ſine ulla ratione ſumitur; nam in toto, qui ſequitur, ſermone, ne leviſſimum quidem veſtigium apparet, quod viſionem nocturnam a vate referri arguat. Reſtat itaque tertia ſententia, quae ſola probanda, adumbrari populi Iſraelitici mores ac fata *narratione allegorica,* ſive *parabola matrimonii cum uxore adultera* initi. Nihil uſitatius eſſe prophetis, quam rationem, quae Deo cum populo Iſraelitico intercedebat, *conjugii* imagine ſiſtere, quis neſcit? Dei amorem et curam pro iſto populo comparant cum amore, quo maritus fertur in conjugem a ſe amatam; illius vero impietatem et invictam ad idolorum cultum propenſionem comparant cum ſcortatione et adulterio, quo fidem marito datam ac debitam fallat libidinoſa uxor. Vid. Jeſaj. LIV, 5. ſeqq. Ezech. XVI. et XIII. „Quae notio V. T. ſcriptoribus ita eſt familiaris, ut pro idolorum cultu paſſim uſu receptum ſit *ſcortandi* vocabulum

cabulum, nec alienum locum ibi occupaſſe, ſed paene ſuum ac proprium obtinuiſſe videatur," ait LOWTHIUS *de S. Poëſi Hebraeor.* Prael. XXXI. p. 401. edit. Oxon. (p. 617. edit. Götting.), qui allegoriae ejus originem et rationem pluribus expoſuit. *Parabolam* ab Hoſea narrari, vidit Chaldaeus interpres, qui illius ſenſum verbis propriis declarat. Ita autem ille noſtrae narrationis exordium exponit: אֱזֵל אִתְנַבֵּי נְבוּאָה עַל יָתְבֵי קַרְתָּא טַעֲוָתָא דְּאִנּוּן מוֹסִיפִין לְמֶחְטֵי *Vade, profer vaticinium contra habitatores civitatis idololatrae, qui addunt peccare.* Et HIERONYMUS in Commentario ad Vs. 8. poſtquam haec omnia allegorice expoſuiſſet, in hunc modum pergit: „Si quis autem contentioſus interpres noluerit recipere iſta, quae diximus; ſed meretricem nomine Gomer, filiam Deblaim, primum et tertium masculos, ſecundam, quae media eſt, feminam intellexerit procreaſſe, hoc volens Scripturam ſonare, quod legitur; reſpondeat, quomodo in Ezechiel [IV, 4. ſeqq.] illud exponat, ubi jubetur a Domino portare iniquitates domus Iſrael, id eſt, decem tribuum, et trecentis nonaginta diebus in uno latere ſiniſtro dormire perpetuo, et dormire ita, ut numquam evigilet, nec mutet latus. Hoc enim rerum natura non patitur, ut quisquam hominum per trecentos nonaginta dies in uno ſemper latere dormiat. Si illa et cetera his ſimilia, quae in Scripturis ſanctis legimus, facta non poterit approbare, ſed aliud quid ſignificare contenderit; ergo et meretrix iſta mulier, et illa adultera mulier, quae aut Prophetae jungebantur, aut ſervantur a propheta, non turpem ſtupri conjunctionem, ſed ſacramenta indicant futurorum." Quae quum ita ſint, non eſt neceſſe, ut cum LACKEMACHERO in *Obſervatt. philologg.* P. IV. Obſ. III. p. 69., ne quid Deo indignum admittatur, Imperativis לֵךְ et קַח Futuri tribuamus poteſtatem, ut conjugium cum femina meretrice non tam imperet Deus, quam quibus moribus futura ſit ſponſa, qualiterque in ipſo conjugio ſeſe geſtura praenuntiet. Imperativorum autem pro futuris uſurpatorum exempla profert Geneſ. XII, 2. וֶהְיֵה בְּרָכָה, *eſto benedictio*, pro תִּהְיֶה בְּרָכָה, *eris*

eris benedictio f. *beatus*, XX, 7. וְחְיֵה *et vive* pro תִּחְיֶה, *vives*, XLV, 18. אִכְלוּ, *comedite*, pro תֹּאכְלוּ, *comedetis*, Deut. XXXII, 50. וּמֻת *Morere in monte, quo ascendes, et aggregare* (וְהֵאָסֵף) *populis tuis*, pro תָּמוּת, תֵּאָסֵף, *morieris, aggregaberis*; cf. et Pf. XXXVII, 27. Nec Atticis inusitatam hanc loquendi rationem fuisse, pluribus locis allatis comprobat. Verum ea a nostro loco plane aliena esse, nemo non videt, quippe qui narratione parabolica exsequutum esse vatem mandatum divinum, quod acceperat de ducenda conjuge meretricia, disertis verbis refert Vs. 3. Praetermitto alia interpretum commenta, quibus quae hic narrantur cum summi numinis sanctitate et cum prophetae dignitate conciliare tentarunt. Illorum plura recensuit et examinavit J. F. Roos in *Observatt. philologico-exegeticis ad difficiliora quaedam loca Hoseae*, Erlang. 1780., in quat. (in quibus tamen solus noster locus pertractatur). Ad verba, quae in Hebraeo sequuntur, וְיַלְדֵי זְנוּנִים, repetendum esse קַח, quod praecessit, recte observat Hieronymus: „Quodque additur, *ac filios fornicationum*, ἀπὸ κοινοῦ subauditur *sume tibi.*" Drusius: „*Accipit* uxorem, qui ducit, *suscipit* liberos, qui procreat. Posses ergo hunc locum ita supplere: *accipe tibi uxorem scortationum, et suscipe ex ea filios scortationum.* Nam ut recte dicimus *accipere uxorem*, non, *suscipere*, ita e contrario dicimus *suscipere natos ex aliqua uxore*, non, accipere. Utrumque uno verbo enunciant Ebraei, quod nunc jam in duo resolvi debet, ita exigente idiotismo linguae Latinae." *Natos scortationum* Hieronymus ait utrumque intelligi posse, „quod et fornicariae mulieris priores de fornicatione susceptos recipiat filios, et ipse ex meretrice generet filios, qui idcirco *fornicationis* appellandi sint *filii*, quod sint de meretrice generati." Sed intelligendos esse filios ex ipso propheta generatos, inde apparet, quod Vs. 3. seqq. uxor vati matrimonio gravida facta et filios peperisse narratur. Quemadmodum vero אֵשֶׁת זְנוּנִים *uxorem scortationibus deditam* notare vidimus, ita יַלְדֵי זְנוּנִים erunt liberi, qui, matri similes, scortationi et libidini

libidini ſint addicti. כִּי־זָנֹה תִזְנֶה *Nam ſcortando ſcortatur*, i. e. deos alienos colit, vid. quae paulo ſuperius monuimus, et cf. Jerem. III, 1. 6. ſeqq. et infra III, 8. IV, 12. 15. הָאָרֶץ *Haec terra*, metonymice pro *terrae* Iſraeliticae *incolis*, יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ, ut habetur infra IV, 1. מֵאַחֲרֵי יְהוָה *Relicto Jova*, ut Pſ. LXXIII, 27. Zephan. I, 6. 2 Reg. XVII, 21., cf. 1 Reg. XI, 2. ſeqq. Chaldaeus: אֲרֵי מִטְעָא יִטְעוּן דָּיְרֵי אַרְעָא מִבָּתַר פּוּלְחָנָא דַיְיָ *Nam errando errant habitatores terrae a cultu Jovae.*

3. וַיֵּלֶךְ וַיִּקַּח *Abiit* igitur propheta divinum juſſum (Vs. 2.) exſequutus, *et duxit* uxorem אֶת־גֹּמֶר בַּת־דִּבְלָיִם, *Gomeram filiam Diblaiimi*, quibus poſterioribus verbis quidam ſignificari opinantur, *oriundam* eam fuiſſe *Diblaiimis*, quae *Diblah* Ezech. VI, 14., vel דִּבְלָתַיִם, *Diblataim*, Jerem. XLVIII, 22. dicta fuerit, urbs Moabitarum. Sed quum illa loquendi formula parentes, a quibus ſint orti liberi, indicari ſoleant, vates דִּבְלָיִם ſine dubio pro nomine patris *Gomerae* haberi voluit. Eſt autem illud nomen viri, ut אֶפְרַיִם. Quemadmodum vero liberorum nominibus ſingulis, *Iſreel* (Vs. 4.), *Lo-Ruchama* (Vs. 6.), *Lo-Ammi* (Vs. 9.) aliquid portenditur, ita nec matris nomen ſua poteſtate carere veriſimile eſt. In ea tamen definienda non plane conſentiunt interpretes. Hieronymus: „*Gomer* interpretatur τετελεσμένη, id eſt, *conſummata* atque perfecta; alii θώρακας, id eſt, *loricas*, ſignificari putant. Sunt, qui *menſuram* [עֹמֶר], ſive *amaritudinem* [מַר] ſuspicentur: quod recte dicerent, ſi ג literam non haberet. *Deblaim* παλάθας ſonat, quarum in Palaeſtina permagna copia eſt, et quas Eſajas propheta ulceri Ezechiae regis jubetur apponere [2 Reg. XX, 7. Jeſaj. XXXVIII, 21.]. Eſt autem maſſa pinguium caricarum, quas in morem laterum figurantes, ut diu illaeſae permaneant, calcant atque compingunt. Igitur ex Iſrael *conſummata* in fornicatione atque perfecta filia voluptatis, quae fruentibus ſuavis videtur et dulcis, in typo ab Oſee uxor accipitur.“ Hebraei, Jarchio referente, Hoſeae uxorem גּוֹמֶר dici exiſtimant, a גָּמַר, *complere*, quod omnes

omnes in ea complerent libidinem [נוּמְרִין], filiam vero דְּבְלָיִם vocatam eſſe, quod comprimerent eam frequenti concubitu ſicut maſſam ficuum. Chaldaeus גּוֹמֶר *conſummationem* interpretatus eſſe videtur, quod uxor illa imago eſſet populi Iſraelitici brevi delendi, דְּבְלָיִם vero de *foliis ficulneis* mox defluendis intellexit. Ita enim hunc Verſum interpretatur: נְאֲזַל וְאִתְנַבִּי אֲלֵיהוֹן דְּאִם יְתוּבוּן יִשְׁתְּבַק לְהוֹן וְאִם לָא כְּמַתַּר עַלֵּי תֵּינִין יִתְּרוּן וְאוֹסִיפוּ נַעֲבָדוּ עוֹבָדִין בִּישִׁין *Abiitque et vaticinatus eſt contra eos, quod, ſi converſi fuerint, fore, ut iis remittatur, ſin minus, ſicut defluunt folia ficulnea, caſuros et ipſos.* Nos quidem גֹּמֶר non dubitamus indicare *perfectionem*, ſive *conſummationem* vel ſcelerum, vel libidinis, דְּבְלָיִם vero *voluptatis lenocinia*; ut igitur in rei ſumma cum Hieronymo conſentiamus.

4. Filio e Gomere ſuſcepto vates a Deo jubetur nomen imponere (uti Jeſajas VII, 3. VIII, 3. filiis qui popularibus oſtenta eſſe debebant) יִזְרְעֶאל, quod ſignificare poteſt vel, *disperget Deus* (hinc Chaldaeus h. l. מְבַדְּרַיָּא, *disperſos* vertit) vel, *ſeminabit Deus;* ut enim hic in malam partem, ſic infra II, 21. (al. 24.) in bonam ſumitur. Levi flexu differt a nomine יִשְׂרָאֵל; nil enim frequentius in Hebraeorum figurato dicendi genere, quam iſtiusmodi luſus, et levis aliqua vocum in aliam prorſus et oppoſitam ſignificationem inflexu. Sic nomen עָכָן Joſ. VII, 24. 1 Chron. II, 7. in עָכוֹר, ut a *perturbatione* diceretur, inclinatum reperimus. Ex בֵּית־אֵל fit בֵּית־אָוֶן, *domus vanitatis*, infra IV, 15. V, 8. Ad eundem itaque modum honorificum *Iſraelis* nomen h. l. in odioſum, imo ominoſum *Iſreelis* nomen deflectitur; infauſtum enim eſſe, verba declarant proxima, quae nominis rationem indicant: כִּי־עוֹד — יֵהוּא *Nam parum adhuc propediem* (ut Jeſaj. XXIX, 17. Hagg. II, 6. LXX: *ἔτι μικρόν*, ut Joa. XVI, 16.) *et viſitabo ſanguines Iſreel ſuper domo Jehu*, i. e. poenas ſumam ſanguinis effuſi in Iſreel de poſteris Jehu. Verbum פָּקַד, quod in univerſum valet *attendere, conſiderare, obſervare* (ut Arabicum فقد, cf. Num. III, 10. Pſ. XVII, 3.), in utramque partem dici notum eſt,

eſt, vel in bonam, ut ſignificet, *conſiderare aliquem benevolo animo,* curare aliquem, proſpicere alicui, ut Geneſ. XXI, 1. Ruth. I, 6., vel, *conſiderare aliquem irato animo,* animadvertere in aliquem, poenas delictorum ab aliquo repetere, ita Exod. XX, 5. *Ego, Deus tuus,* פקד־עון אבות על־בנים *ſupplicia ſumam delictorum patrum a filiis.* Cf. infra apud Noſtrum II, 15. IV, 9. Hinc recte LXX h. l. ἐκδικήσω, et Syrus ܐܬܒܥ ܐܢܐ, *ulciſcar ego* reddiderunt. יזרעאל, *Jezreel,* ut ait Hieronymus ad h. l., „eſt civitas metropolis decem tribuum, in qua interfectus eſt Naboth [1 Reg. XXI, 1. ſqq.], ob cujus ſanguinem ſuſcitatus Jehu, qui delevit domum Achab et Jezabel. Verum quia et ipſe ultor ſanguinis juſti ingreſſus eſt per vias Hieroboami, filii Nebath, qui fornicari fecit Iſrael, et conſtituit vitulos aureos in Dan et in Bethel; regnum quoque ejus dicitur ſubvertendum, ſub cujus pronepote Hieroboam [II.] prophetare coepit Oſee, quo mortuo filius ejus Zacharias ſucceſſit in regnum, quem ſexto menſe imperii ſui occidit Sellum, de alia ſtirpe generatus. Quam ob cauſam nunc dicitur: *adhuc modicum, et viſitabo ſanguinem Jezreel,* id eſt, occiſionem populi mei, *ſuper domum Jehu,* regiam, quae eo tempore praeerat Iſrael. Pro *Jehu* in editione Vulgata legitur *Juda;* ſed hoc mihi videtur non vitio Septuaginta interpretum, ſed ſcriptorum inoleviſſe imperitia, qui ignorantes Jehu, quod magis tritum erat, ſcripſerunt Juda." *Caedibus in Iſreele,* arce regia impii Achabi, commiſſis, quarum ream vates h. l. dicit peragendam eſſe domum Jehu, et Chaldaeus, uti Hieronymus, intelligit caedem illam a Jehu perpetratam, qua Achabum cum ſuis omnibus e medio ſuſtulit, vid. 2 Reg. IX, 21. ſeqq. X, 1. 7. ſeqq. En illius verba: ואסער דם פלחי טעותא דאשד יהוא ביזרעאל דקטלינון על דפלחו לבעלא חבו אנון למטעי בתר עגליא דבביתאל בכן אחשבניה דם זכי על בית יהוא *Et viſitabo ſanguinem colentium idola, quem effudit Jehu in Jezreel, quos occidit, quod ſervirent Baal, et converſi ſunt etiam ipſi, ut errarent*

rarent poſt vitulos, qui erant in Bethel; ideo reputabo illum ſanguinem innocentem ſuper domum Jehu. Recentiores plures interpretes דְּמֵי יִזְרְעֶאל, *caedibus Iſreele commiſſis,* omnino facinora quaevis, a regibus e Jehui familia oriundis patrata, homicidia, injuſtas condemnationes, aut alias crudelitates in arce regia Jeſreele commiſſas indicari exiſtimant. וְהִשְׁבַּתִּי *Et* ſic tandem prorſus *ceſſare faciam,* ut infra II, 13. Jeſaj. XIII, 11. מַמְלְכוּת בֵּית יִשְׂרָאֵל *Regnum domus Iſrael,* decem tribuum, quod inde a tempore Jehui debilitari coepit, et a vicinis hoſtibus male mulctari, vid. 2 Reg. X, 32., tandemque poſt accepta ab Aſſyriis detrimenta varia, plane eſt ſublatum, vid. 2 Reg. XVII, 6.

5. וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא *Et fiet die illa,* qua vindicabo ſcelera regum Iſraeliticorum et populi, cf. infra V, 9. IX, 7. Amos. V, 18. וְשָׁבַרְתִּי אֶת־קֶשֶׁת יִשְׂרָאֵל *Et frangam arcum,* arma et praeſidia, *Iſraelis,* vid. eandem figuram Jerem. XLIX, 35. Ezech. XXXIX, 3. Pſ. LXXVI, 4. בְּעֵמֶק יִזְרְעֶאל *In valle* ſ. planitie *Iſreelis.* Hieronymus: „Supra diximus, Jezraelem, quae nunc juxta Maximopolim eſt, fuiſſe metropolim regni Samariae, prope quam ſunt campi latiſſimi, et vallis nimiae vaſtitatis, quae plus quam decem millium tenditur paſſibus." In hac igitur planitie, tantae amplitudinis ut maximos exercitus facile caperet, eaque de cauſa praeliis committendis maxime erat idonea, unde in bellis Iſraeliticis vix alibi frequentius, quam ibi pugnatum legimus (vid. e. c. Joſ. XVII, 6. Jud. VI, 33.), aliquando copiis Iſraelitarum vulnus mortiferum infligendum eſſe, vates h. l. praeſagit. Quod autem Hieronymus, et poſt eum alii, in planitie Iſreelis Iſraelitas ab Aſſyriis caeſos ſuperatosque eſſe aſſerunt, nullo probari poteſt librorum V. T. hiſtoricorum loco.

6. Regnum, cujus jacturam portenderat vatis filius e meretrice ſusceptus, numquam recuperaturum eſſe Iſraelem, ſignificat jam ſecunda prole, feminina, cui nomen לֹא רֻחָמָה, *Non-miſeranda* imponendum erat, cujus nominis,

nis, ut prioris Vs. 4., rationem ſtatim addit: כִּי לֹא אוֹסִיף עוֹד אֲרַחֵם אֶת־בֵּית יִשְׂרָאֵל *Nam non addam amplius ut miſerear* (cf. eandem loquendi formulam Jeſaj. XLVII, 1. 5. Proverb. XXIII, 35.), non porro miſerebor, *domus Iſraelis.* Hieronymus: „Poſtquam contritus eſt atque confractus arcus Iſrael in valle Jezrael, et regnum decem tribuum deſtitutum, ita ut ducerentur in captivitatem, nequaquam jam Jezrael, id eſt, ſemen Dei, nec masculini ſexus filius naſcitur, ſed *filia,* id eſt femina fragilis ſexus, et quae victorum pateat contumeliae, et vocatur *Absque miſericordia!* idcirco enim captiva ducta eſt, quia miſericordiam Dei non habuit." Nomen לֹא רֻחָמָה Graecus Alexandrinus interpres reddidit οὐκ ἠλεημένη, quem ſequitur Petrus 1 Petr. II, 10. Sed olim codices fuiſſe, in quibus οὐκ ἠγαπημένη exſtaret, uti habet Paulus Rom. IX, 25., ex hisce intelligitur Hieronymi: „Pro οὐκ ἠλεημένη, id eſt, *absque miſericordia,* in quibusdam fertur exemplaribus οὐκ ἠγαπημένη, id eſt, *non dilecta.* Sed veriora ſunt exemplaria, quae habent *absque miſericordia,* maxime quia ad diſtinctionem Iſraelis, cujus non miſeretur, infert Deus [Vs. 7.]: *domui autem Juda miſerebor.*" Sane verbum רָחַם videtur *diligere* magis in *Cal* (vid. Pſ. XVIII, 2.), *miſereri* autem in Piel, qua forma ſaepius occurrit, ſignificare. Chaldaeus partem priorem Verſus ita exponit: וְאוֹסִיפוּ וַעֲבַדוּ עוֹבָדִין בִּישִׁין וַאֲמַר לֵיהּ קְרֵי שׁוּמְהוֹן דְּלָא רְחִימִין בְּעוֹבָדֵיהוֹן *Et addiderunt et fecerunt opera mala, et dixit ei: voca nomen eorum: non miſericordiam conſequuti ſunt operibus ſuis.* In verbis, quae ſequuntur, כִּי־נָשֹׂא אֶשָּׂא לָהֶם, interpretandis magna eſt interpretationum varietas, quam creat verbi נָשָׂא πολυσημία. Ut ordiamur ab antiquiſſimis, 1) LXX verba illa verterunt: ἀντιτασσόμενος ἀντιτάξομαι αὐτοῖς, *adverſans adverſabor eis,* q. d. ſuſtollam me contra eos. 2) Hieronymus: *ſed oblivione obliviſcar eorum,* ſignificatione verbi נָשָׂא mutuata a נָשָׁה, uti ſolent literae ה et א, praeſertim in fine vocis, haud raro permutari; et ſimili modo legitur Jerem. XXIII, 39. וְנָשִׁיתִי אֶתְכֶם נָשֹׁא, *et obliviſcar veſtri obliviscendo.*

cendo. Sed verba נָשָׂא et נָשָׁא, quorum illud cum *Sin*, hoc cum *Schin* fcribitur, ut fono, ita fignificatu quoque, plane funt diverfa. 3) Chaldaeus: בְּרַם אִם יְתוּבוּן מִשְׁבַּק אֶשְׁבּוֹק לְהוֹן *attamen fi convertantur dimittendo dimittam eis*, i. e. ignofcam eis. Sane verbum נָשָׂא, ubi cum ל perfonae jungitur, pluribus locis *condonare* peccatum (עָוֹן) denotat, vid. e. c. Genef. XVIII, 26. Num. XIV, 19. Pf. XCIX, 8. Quare et alii poft Chaldaeum interpretes verbum illud eadem notione h. l. capiendum exiftimant, five fubaudita ex verbis, quae antecedunt, negandi particula: *non enim condonabo illis* fcelera; five כִּי eventualiter expofito: *ut ignofcam illis*; five adverfative: *quamvis condonaverim eis*. Quarum tamen interpretationum nulla fententiam creat fatis concinnam. 4) Jarchi verborum noftrorum fenfum hoc modo reddit: *distribuam eis portionem calicis fui prout facinoribus fuis fuerint promeriti*, adhibita notione *portionis*, quam nomen מַשְׂאֵת obtinet Genef. XLIII, 34. 2 Sam. XI, 8. Quod quam fit coactum, unusquisque intelliget ipfe. 5) Kimchi: *fuftollam*, excitabo, *eis*, contra eos, hoftes. Unde Drufius: „poffes etiam legere: *importando importabo eis*, videlicet hoftem Affyrium." 6) Abarbenel fubaudiendum cenfens nomen יָד, ut *jurantis* geftus exprimatur, coll. Ezech. XX, 5. 15. 23. Deut. XXXII, 40. Pf. CVI, 26., locum noftrum fic interpretatur: *nam manu fublata hoc juro.* Quae interpretatio longe petita eft: *tollere* enim abfolute pofitum, ut hic, nusquam *jusjurandum* indicat. Nec magis placet, quod 7) Coccejus, fubaudito nomine מַשָּׂא, verba hoc modo exponit: *nam proferam in eos fententiam*, coll. 2 Reg. IX, 25. יְהוָה נָשָׂא עָלָיו אֶת־הַמַּשָּׂא הַזֶּה *Jova protulit contra eum hanc fententiam.* Quo fenfu hoc quidem loco nihil effe poteft languidius. Nihil vero tot ambagibus eft opus, fi 8) cum Aben-Efra verbum נָשָׂא ufitata *tollendi*, *anferendi* notione capimus, ut v. c. Job. XXXII, 22. כִּמְעַט יִשָּׂאֵנִי עֹשֵׂנִי, *veluti momento auferet me creator meus.* Cf. Jefaj. XL, 24. XLI, 16. Mich. II, 2. Thren. V, 13. Dan. II, 35. Quare noftra verba commodiffime redduntur: *nam*

five:

ſive: *imo vero auferendo auferam eos,* לָהֶם poſito pro אוֹתָם, uſu Praefixi לְ Syris familiari pro Accuſativi nota, ut 2 Sam. III, 30. הָרְגוּ לְאַבְנֵר *interfecerunt Abnerum,* pro אֶת־אַבְנֵר. Exempla plura hujus uſus Praefixi ל collecta reperies in Buxtorfii *Theſaur. Grammat.* L. II. Cap. XII. Reg. I. ſub fin. et in Noldii *Concordantt.* p. 411. ed. Tymp. Ita noſter locus ſenſu prorſus conveniet cum eo quod infra Cap. V, 14. dicitur, Deum leonis ſaeviſſimi inſtar *rapturum et iturum, ablaturum, nec fore, qui eripiat* (אֶשָּׂא וְאֵין מַצִּיל). Quodſi vero enallagen vocis לָהֶם pro אוֹתָם admittere nolis, verba ita capere poteris: *auferam penitus illis,* videlicet domui Iſraelis, quam antea indulſi, miſericordiam. *Auferendi* ſignificatum inter veteres ſolus expreſſit Syrus: ܐܠܐ ܡܫܩܠܘ ܫܩܠ ܐܢܐ ܠܗܘܢ *ſed auferendo auferam eis.*

7. Ne de integra Jacobi poſteritate actum crederetur, ſubjicit Deus, *domus Judae ſe miſerturum,* בֵּית יְהוּדָה אֲרַחֵם (propr. *domum Judae* quod attinet, *miſerebor eorum*), eamque in communi illa, qua Iſraelitas opprimendos minatus eſt ruina, ſolam ſervatum iri. Quod autem Judaeos Deus ait ſalvos reddendos non copiarum atque armorum vi, ſed *ſe ipſo,* i. e. ſumma ſola ſua potentia et virtute, modo igitur inaudito et plane ſingulari (cf. Deuter. XXXIII, 29. ubi populus Iſraeliticus prodigioſo modo Aegypto eductus vocatur עַם נוֹשַׁע בַּיהוָה, *populus ſervatus per Jovam*), id plerique interpretes referunt ad prodigioſam illam coelituſque Aſſyriaco exercitui illatam cladem, qua, tempore Hiskiae regis, Judaeorum reſpublica ab interitu fuit ſervata, vid. 2 Reg. XIX. et Jeſaj. XXXVI. Alii vero hunc locum accipiunt de reditu ab exilio Babylonico. Sed inane eſt ſtudium, promiſſa generalia, quibus vates hoc unum ſpectabant, ut aequalium, graviſſimis malis oppreſſorum, animos erigerent, ad ſeriores eventus referre, de quibus illi ne cogitare quidem potuerunt. בַּיהוָה אֱלֹהֵיהֶם i. e. *per me ipſum, qui ſum Jova, Deus ipſorum,* ſive, ut Hieronymus, ait: *in ſe ipſo, qui loquitur.* Noſtrum imitatur Zachar. IV, 6., ubi

ubi Deus loquens inductus ſe Judaeos ſalvos redditurum dicit: לֹא בְחַיִל וְלֹא בְכֹחַ כִּי אִם־בְּרוּחִי, *non copiis* ſ. *viribus, nec robore, ſed ſpiritu meo.* Chaldaeus noſtro loco vertit: בְּמֵימְרָא דַיְיָ, *per verbum Jovae*, q. d. ſolo Jovae juſſu. בְּקֶשֶׁת וּבְחֶרֶב *Per arcum et per gladium*, cf. infra II, 17. (al. 20.), et Pſ. XLIV, 7. בְּסוּסִים וּבְפָרָשִׁים *Per equos et equites*, quibus Iſraelitae fidebant, cf. infra X, 13. XIV, 4.

8. וַתִּגְמֹל אֶת־לֹא רֻחָמָה *Quumque ablactaſſet* (vid. Geneſ. XXI, 8. et ibi not.) mater, Gomer (Vs. 3.), filiam, cui vates nomen *Lo-Ruchama* impoſuerat, Vs. 6. „Quando Hoſeae conjux ſimul ac *Lo-Ruchamam a lacte depuliſſet, gravida facta* (וַתַּהַר) dicitur, quaeri vulgo ſolet, qua de cauſa id nunc expreſſe addatur, et quonam id tendat? Amplificationis ergo, ut in parabolis uſu ſaepenumero venit, ubi ſingula non aeque premi debent, hoc ſi quis factum dixerit, a vero forſan non longe aberraverit. Ceteroquin non inepte quis cogitet, hac addita temporis nota haud obſcure perſtringi inſatiabilem Gomeris adulterae libidinem, furtivis amoribus ita deditae, ut, ſimulac juxta conſuetum naturae ordinem liceret, uterum ferret, quod plerumque poſt ablactationem demum fieri ſolet; aut hoc veluti ſigno indicari, poſt breve temporis ſpatium, quale illud eſt, quo lacte nutriuntur infantes, judicium illud divinum, quod per filium hunc recens natum portendebatur, effectum redditum iri. Quod enim quam plurimi per *ablactationem Lo-Ruchamae* ſignificari autumant ablatum ab Iſraelitis verbi divini uſum, quod cum *lacte* alias comparatur, aut aliorum commodorum, quibus hucusque in patria ſua fruiti fuerant, longius utique petitum eſt, et ab indole hujus emblematis abhorret, dum ablactatio per ſe nihil mali inferat, praeſertim apud Hebraeos, qui diem, quo ad illam aetatem puer pervenerat, feſtum et genialem habebant [Geneſ. XXI, 8.]." Manger. Chaldaeus noſtrum Verſum ita exponit: וְדָרֵיהוֹן דְּאִתְגְּלִיאוּ לְבֵינֵי עַמְמַיָּא אִשְׁתַּכַּחוּ דְּלָא הֲווֹ רְחִימִין בְּעוֹבָדֵיהוֹן וְאוֹסִיפוּ וַעֲבַדוּ עוֹבָדִין בִּישִׁין *et generationes eorum, quae trans-*

transportatae sunt inter populos, inventae sunt non consequutae misericordiam operibus suis, addideruntque perpetrare opera mala.

9. Rationem nominis filio jam nato impositi declarat his verbis: כִּי אַתֶּם לֹא עַמִּי *Nam vos*, Israelitae, cum quibus in toto hoc sermone actum, minime vero, ut quidam volunt, Judaei, *non* estis *populus meus*, non amplius vos pro populo mihi peculiari agnoscam, וְאָנֹכִי לֹא־אֶהְיֶה לָכֶם *nec* vicissim *ego ero vobis* auxilio, sive Deus, ut Ps. LVI, 10. *Hoc scio*, כִּי־אֱלֹהִים לִי, *quod Deus mihi* scil. defensor contra hostes, quorum mentio praecesserat. Ps. CXVIII, 6. יְהוָה לִי לֹא אִירָא *Jova pro me, nihil timeo;* quem locum citans e LXX scriptor epistolae ad Ebraeos XIII, 6. reddidit: Κύριος ἐμοὶ βοηθός. Ps. CXXIV, 1. 2. לוּלֵי יְהוָה שֶׁהָיָה לָנוּ *Nisi Jova* esset is, *qui pro nobis sit*. Hinc Chaldaeus nostrum locum sic exposuit: אֲרֵי אַתּוּן לָא עַמִּי בְּדִיל דְּאַתּוּן מְקַיְמִין פִּתְגָּמֵי אוֹרָיְתִי מֵימְרִי לָא הֲוָה בְּסַעֲדְכוֹן *Quia vos non estis populus meus, propterea quod vos non confirmatis verba legis meae, verbum meum non erit in auxilium vestrum.* Alii capiunt לָכֶם pro *possessivo*, ut vertendum sit cum Vulgato: *et ego non ero vester* (LXX: καὶ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ὑμῶν), collatis locis Exod. XIX, 5., ubi Deus Hebraeis sua praecepta servaturis promittit, eos *peculium sibi fore* (וִהְיִיתֶם לִי סְגֻלָּה) ex reliquis populis orbis terrarum: Deut. VII, 6. *Deus te elegit* לִהְיוֹת לוֹ לְעַם סְגֻלָּה *ut sis ei populus peculiaris.* Jesaj. XLIII, 1. *Vocavi te nomine tuo*, לִי־אָתָּה, *meus es tu*, ut Vulgatus recte. Cf. Ezech. XVI, 8. Ps. CXIX, 94. Cant. II, 16. Utrolibet modo לָכֶם capias, sententia erit, arctissimum illud communionis vinculum, quo Deus cum populo Israelitico fuerat conjunctus, penitus esse dirumpendum, et, quemadmodum ipsi sanctissimum illud foedus perfide violassent, sic Deum quoque eos, tanquam tutela et patrocinio suo prorsus indignos, benevolentiae suae fructu privaturum, nec quicquam amplius commune cum iis habiturum esse. Sine ratione idonea Hubigantius, quem Dathe et Manger sequuti sunt, conjecit, post לָכֶם excidisse,

cidiſſe, culpa librariorum, לֵאלֹהִים, quod reponendum ſit collato Levit. XXVI, 12. וְהָיִיתִי לָכֶם לֵאלֹהִים. Cui conjecturae praeſidium admodum leve eſt, quod in Aldina τῶν LXX editione, ſed in ea ſola, legitur, *ἐγὼ οὐκ εἰμὶ Θεὸς ὑμῶν.* In plerisque codicibus Hebraeis hoc Verſu clauditur Caput primum; ſed in Graecis et Latinis libris, et in multis verſionibus recentioribus tres, qui ſequuntur Verſus, Capiti primo accenſentur: recte; nam Hebraeorum diſtinctio hoc habet incommodi, quod a ſe divellat promiſſionem divinam minis ſuperioribus, more vatum, ſubjunctam; cum ſermone contra conſolatorio minarum atque interpretationis plenam orationem proxime conjungat.

10. Moris prophetarum eſt, ut laeta triſtibus admisceant. Quem morem ſequutus vates noſter, poſtquam maxime infauſta ſuis comminatus eſſet, piorum animos protinus erigit ſpe laetiorum temporum, quibus populus aliquando inſtaurandus inſignique augendus incremento communem nacturus ſit regem, ſublata prorſus, quae tum cum vates loqueretur, regnabat adhuc inter Judaeos et Iſraelitas discordia. Ceterum pauſa aliqua interjecta, quae jam ſequuntur, vates ſubjeciſſe cogitandus erit. Nec erat, cur nonnulli, quibus ſubitaneus ille a minationibus ad feliciſſimorum temporum promiſſiones transitus parum eſſet viſus concinnus, hosce tres Verſus ſtatuerent eſſe particulam oraculi longioris deperditi. Noſtrum enim ſaepius ab una re ad aliam repente transeuntem deprehendemus, neque poeta vetuſtiſſimus noſtro metiendus eſt modulo. וְהָיָה Aliquando tamen *futurum erit*, temporibus Meſſiae, ad quae haec eſſe referenda ſaniores ex Hebraeis interpretes obſervant, מִסְפַּר בְּנֵי יִשְׂרָאֵל — וְלֹא יִסָּפֵר *ut numerus Iſraelitarum inſtar arenae maris ſit, quae nec menſurari nec numerari poteſt,* comparatio ad ingentem copiam exprimendam Hebraeis familiaris, vid. Geneſ. XXII, 17. XXXII, 12. XLI, 49. Joſ. XI, 4. Jud. VII, 12. Jeſaj. X, 22. Jerem. XV, 8. Habac. I, 9., neque exteris ſcriptoribus inſueta. Sic Horatius *Carm.* I. 28. 1. Archy-

Archytam, inſignem Geometram, *Numero carentis arenae menſorem vocat.* Et Ovidius *de arte amandi* I, 254. *Numero cedet arena meo.* Triſt. IV, 55. *Meque tot adverſis cumulant, quot litus arenas habet.* בִּמְקוֹם אֲשֶׁר *Eo loco, quo,* i. e. in patria terra, Palaeſtina, in quam redituros eſſe noſter praedicit Verſu proximo, et infra XI, 11. Alii intelligunt terras, per quas exſules diſperſi futuri ſint, ubi Deus illis denuo favoris ſui documenta daturus ſit, reducendo eos. Ita Chaldaeus, vid. infra. Sunt, qui phraſi hebraea *viciſſitudinem* conditionis ſignificari putent, ut vertenda ſit: *loco, pro eo quod* (*anſtatt, au lieu que*), quibus repugnat uſus loquendi, vid. Levit. IV, 24. Jerem. XXII, 12. Ezech. XXI, 35. Nehem. IV, 14. Eccleſ. XI, 3. Quare Paulus Rom. IX, 26. noſtrum locum adducens, recte ἐν τῷ τόπῳ — ἐκεῖ, poſuit. In eo ipſo loco igitur, quo olim Jova Iſraelitis patrocinium renuntiavit (Vs. 8.), illos rurſus filios adoptabit: יֵאָמֵר לָהֶם בְּנֵי אֵל־חָי, *acclamabitur eis*, vocabuntur, *filii Dei vivi,* i. e. vere exiſtentis, nam falſi dii tanquam mortui reputantur. *Filii Dei* autem ſunt, quos peculiaribus beneficiis ornat, et qui viciſſim eum patronum et defenſorem colunt. Chaldaeus hunc locum ita expoſuit: וִיהֵי בְּאַתְרָא דְּאִתְגְּלִיאוּ בֵּינֵי עַמְמַיָּא כַּד עֲבָרוּ עַל אוֹרָיְתָא וְאִתְאֲמַר לְהוֹן לָא עַמִּי אַתּוּן יְתוּבוּן וְיִתְרַבּוּן וְיִתְאֲמַר לְהוֹן עַמֵּיהּ דֶּאֱלָהָא קַיָּמָא *Et fiet in loco, quo exſules acti fuerint inter populos, quando transgreſſi fuerint legem meam, et dictum fuerit eis, non eſtis populus meus, convertentur et magnificabuntur, et vocabuntur populus Dei vivi.*

11. וְנִקְבְּצוּ בְּנֵי־יְהוּדָה וּבְנֵי־יִשְׂרָאֵל יַחְדָּו *Congregabuntur*, ſ. congregabunt ſe *Judaei et Iſraelitae una*, ex terris exteris in patriam redeundi, quod ipſum promittit Jeſajas XI, 12. XLIX, 18. LX, 4. וְשָׂמוּ לָהֶם *Et ponant*, conſtituent, *ſibi.* Sic verbum שׂוּם Deut. XVII, 15. de *rege conſtituendo* dicitur, et reſpondet graeco τιθέναι, vid. e. c. Actor. XX, 28. רֹאשׁ אֶחָד *Caput*, principem (ut Num. XIV, 4.) *unum*, quem inde a Salomone duplicem habuerant.

rant; cf. Ezech. XXXVII, 22, Mich. II, 13. Hoc principe vero et noſter vates, et Ezechiel atque Micha, locis indicatis, non Serubabelem, ut quidam nugantur, ſed *regem*, eumque longe potentiſſimum ſapientiſſimumque, e Davidica ſtirpe oriundum, innuere, non eſt, cur dubitemus. Nec aliter Hebraei, Chaldaeum ſequuti: וִימַנּוּן לְהוֹן רֵישׁ חַד מִן בֵּית דָּוִד, *et conſtituent ſibi caput unum e domo Davidis.* וְעָלוּ מִן־הָאָרֶץ *Et aſcendent e terra* reliqua, in quam exſules disperſi erant, *e quatuor plagis terrae*, uti loquitur Jeſajas XI, 12. in ejusdem rei promiſſione; redibunt in terram patriam. Judaea vero quum reliquis terris et ſitu, et dignitate, altior cogitaretur, qui ex his illam petunt, *adſcendere* dicuntur, vid. Eſr. II, 1. Nehem. VII, 6., ubi עָלָה ſimiliter de redeundis exſulibus, et cf. C. B. Michaelis *Diſſertat. de notionibus, Superi et Inferi, indeque adſcenſus et deſcenſus*, Hal. 1735. (repetita in *Commentatt. Theologicc.* T. V. p. 400.) §. XXXVIII. Hinc Chaldaeus: וְיִסְקוּן מִן אַרְעָא גָלוּתְהוֹן, *et aſcendent e terra transmigrationis eorum.* כִּי גָדוֹל יוֹם יִזְרְעֶאל *Nam magnus*, illuſtris, glorioſus erit *dies Iſreelis*, i. e. tempus illud, quo disperſi undecunque patriam tellurem repetent. *Dies alicujus* Hebraeis dicitur illud tempus, quando inſigne aliquod fauſtum vel infauſtum ei contigit, vid. Mich. VII, 4. Obad. Vs. 12. Joel. I, 15. II, 1. 2. Pſ. XXXVII, 13. Similiter *magnum diem* Latini dicunt diem, quo res in ultimum discrimen adducitur, res maxime clara patratur. Ita Tacitus *vit. Agricolae* c. 34. *Inponite quinquaginta annis magnum diem.* Cf. Burmann. ad *Ovid. Amor.* III, 9. 27. et *Lucan.* VII, 90. Duker. ad *Flor.* II, 6. 58. *Iſreele* (יִזְרְעֶאל) ſignificatur populus Iſraeliticus, ita dictus vel quod disperſus undique eſſet colligendus, vel quod denuo ſeminandus eſſet a Deo, quod hoc ipſo nomine innuitur infra II, 22. Certe quicquid dirum et atrox in nomine *Iſreel* ſupra Vs. 5. erat obſervatum, in meliorem partem nunc inflectitur. Chaldaeus ultimum hujus Verſus inciſum ita vertit: אֲרֵי רַב יוֹם כְּנִישַׁתְהוֹן, *quia magnus* erit *dies congregationis ſuae.*

12.

12. אִמְרוּ לַאֲחֵיכֶם עַמִּי וְלַאֲחוֹתֵיכֶם רֻחָמָה *Dicite fratribus vestris Ammi! et sororibus vestris Ruchamah!* i. e. acclamate vobis invicem *Ammi* et *Ruchamah*, i. e. sumus Deo cari, nos ille servavit, felicitatem amissam restituit. Totam enim gentem, non, ut quidam volunt, Israelitas, a Judaeis compellatos (vid. infra Hieronymi explicationem), complectitur haec in fratres et sorores distributa oratio, quae simul mutui illius amoris indicium facit, quo sub uno capite collecti Judaei et Israelitae (Vs. 11.) deletis omnibus prioris aemulationis vestigiis sese invicem prosequentes futuri sint. לַאֲחוֹתֵיכֶם pro לַאֲחְיוֹתֵיכֶם, usitatior enim pluralis forma nominis אָחוֹת, *soror*, est אֲחָיוֹת, sive additis pronominibus, אַחְיוֹת, vid. Job. I, 4. XLII, 11. 1 Chron. II, 16. Legitur tamen et Ezech. XVI, 61. אֲחוֹתַיִךְ הַגְּדֹלוֹת מִמֵּךְ *sorores tuae te majores.* Alexandrinus Graecus interpres in numero singulari vertit: εἴπατε τῷ ἀδελφῷ ὑμῶν, καὶ τῇ ἀδελφῇ ὑμῶν, quo forsan innuere voluit respici utroque nomine עַמִּי et רֻחָמָה ad eandem illam sobolem, quae prius (Vs. 9.) לֹא־עַמִּי et לֹא־רֻחָמָה dicta fuerat. Eam autem tum, cum in patriam e terris exteris redibit, pristinam suam dignitatem, et cum ea conjuncta jura, ut sit *populus Dei*, recuperaturam esse, indicari patet nomine עַמִּי; quam in eandem reipublicae instauratae faciem quadrat alterum, רֻחָמָה, i. e. *misericordiam consequuta* nomen; quemadmodum enim triste illud exsilium et reipublicae eversio, a qua populus לֹא־רֻחָמָה dicendus fuerat, ex Dei in populi sui excandescentia provenerat, ita ex adverso ipsa illa liberatio Vs. 11. promissa argumentum luculentissimum erat, in gratiam illum Deo ad misericordiam adducto reconciliatum esse. Chaldaeus hoc Versu prophetas existimavit jussos excitare populum ad resipiscentiam: נְבִיַּיָא אֱמַרוּ לַאֲחֵיכוֹן עַמִּי תּוּבוּ לְאוֹרַיְתִי וְעַל כְּנִישְׁתְּכוֹן אֲרַחֵם *Prophetae, dicite fratribus vestris: popule mi, convertimini ad legem meam, et congregationis vestrae miserebor.* Hieronymus: „Quia magnus est dies Jezrael, in quo Judas et Israel unum habebunt principem,

et

et nequaquam dicetur Iſraeli *non-populus-meus*, ſed e contrario vocabuntur *filii dei viventis*; idcirco, o homines tribus Juda, nolite deſperare decem tribuum ſalutem, ſed eam quotidie et ſermone et voto et literis ad poenitentiam provocate, quia frater veſter appellatur et ſoror; *frater*, ex eo, quod dicitur *populus meus*, *ſoror*, ex eo, quod appellatur miſericordiam conſequuta."

Cap. II.

ARGUMENTUM.

Judicio Deus cum populo Israelitico tanquam cum adultera conjuge disceptat, illamque violatae fidei ac temeratae religionis incusat: quare grave illi supplicium minatur, quo ab amentia atque errore resipiscat et ad desertum et proditum thalamum se referat (Vs. 1—12.). Suam deinde benevolentiam et studium promittit, quod nihilo erit languidius, quam si sponsam duxisset primum, cujus esset integer et illibatus pudor. Qualia vero illa conjugalis animi ac fidei promissae pignora futura sint, inde a Vs. 13. ad Capitis finem abunde persequitur.

1. Hieronymus: „Hucusque ad Israel populum, hoc est, decem tribus, sermo directus est; nunc alterum caput incipit, et praecipitur filiis, id est, populo, ut ineant judicium adversus matrem suam, quae eos genuit, quae de meretrice uxor effecta mores pristinos non reliquit, et rursum fornicata est cum amatoribus suis. Et vide clementiam viri: jam repudiata est, jam abjecta est, jam ei loquutus est: *haec non uxor mea, et ego non vir ejus;* tamen praecipit filiis, ut nequaquam ad uxorem patris, quem illa dimisit, sed ad matrem suam loquantur, quae eos genuit, loquantur autem ad poenitentiam provocantes, ut auferat fornicationes a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum." ריבו באמכם *Contendite cum matre vestra*, litem ei intendite, cf. infra IV, 1. Genes. XXXI, 36. Jerem. II, 9. *Matris* nomen

men monſtrat, alloquium fieri ad *liberos* ſeu *filios*, quibus deſignantur reipublicae decem tribuum cives, ex ea prognati et in ejus ſinu educati, qui illam pro matre habebant, ut ſolet idem populus *matris* nomine venire, quando universe ſumitur, *filiorum* vero, habita ſingulorum ratione, qui ex eo populo naſcuntur. Cui figurationi anſam nunc dabat *Gomeris*, tanquam uxoris perfidae, imago, Capite ſuperiore propoſita, qua populus repraeſentabatur, olim a Deo in foedus adſumtus, ſed qui dudum depravatus progeniem tulerat aeque vitioſam. Chaldaeus; אוֹכַחוּ לִכְנִשְׁתָּא דְיִשְׂרָאֵל, *argue coetum Iſraelis.* Quod vero *filii contendere* jubentur *cum matre*, Grotius recte hoc modo explicat: „Jubentur ſinguli, qui ſibi bene eſſe cupiunt, accuſare palam male facta gentis totius, nempe decem tribuum, ut communes poenas evadant.“ Kimchi: „Jam redit ad objurgationes, quales initio protulerat. Quia vero populum Iſraeliticum cum meretrice comparaverat, ſingulisque ſeculis natos ſoboli impudicae, nunc jubet huic, ut cum matre ſua contendat. Totus populus junctim ſumtus comparatur matri, ſinguli autem filiis. Et quod *litigare* jubentur, indicat, ſeſe invicem exhortari debere, ut ad frugem meliorem redeant.“ Verba quae ſequuntur, כִּי־הִיא לֹא אִשְׁתִּי וְאָנֹכִי לֹא אִישָׁהּ, Coccejus, quem Dathius et Kuinoelius ſequuntur, parentheſeos nota a reliquis ſeparanda arbitratus eſt, ut reddant cauſſam litis inſtituendae, et cur dignus ſit populus, qui a Deo rejiciatur. Sed non inhaeret ipſe Coccejus huic ſententiae, addens, poſſe etiam verti, *quod illa non ſit*, atque ita hisce verbis contineri argumentum ſive ſummam contentionis. Quod merito a plerisque praefertur, etiam a Mangero, qui particulae כִּי h. l. eam eſſe vim obſervat, ut ſermonem indicet alterius, ex certa quadam formula habendum, ut Pſ. CXLVIII, 13. *Laudate Jovam*, כִּי־נִשְׂגָּב שְׁמוֹ, i. e. his ipſis verbis, haec ſit hymni formula: *nomen ejus excelſum eſt.* Adde Jerem. XXX, 5. Hinc Chaldaeus praemiſit: וְאֵמְרוּ לַהּ, *et dicite ei*, meo ſcil. nomine. Quod vero Deus negat, *hanc talem ſuam eſſe uxorem, aut ſe ejus*

ejus maritum, non abſolute eſt intelligendum, nam prorſus eſſe repudiandam, proximo demum commate illi minatur Deus, ſed hoc modo: populus decem tribuum, cujus perſonam gerit propudioſa iſta Gomer, inſano foedarum religionum amore impulſus, ſanctiſſimas illius foederis leges, ex quo meus cenſebatur, quantum in ſe erat, violavit, ſeque adeo indignam oſtendit, ut ejus maritus in poſtérum dicat. Bene Cyrillus: *Κρίθητε πρὸς τὴν ἑαυτῶν μητέρα, ὅτι μὴ σέσωκεν ἀγάπης τῆς εἰς ἐμὲ τὸ γνήσιον, ἠρνήσατο δὲ τὴν οἰκειότητα, καὶ ὀλίγου που παντελῶς ἠξίωσε λόγου, τῆς πρὸς ἐμὲ πνευματικῆς κοινωνίας τὴν καθαρότητα, οὐκ ἠθέλησέ τε τοὺς τῶν ἐμῶν θελημάτων ὠδίνειν καρπούς — — — οὐκ ἐμοὶ τέτηκεν ὑμᾶς, ἀλλ' ἑτέροις.* Chaldaeus unum membrum ad culpam, alterum ad poenam refert: אֲרֵי הִיא לָא מִתְעַבְּרָא בְּפוּלְחָנִי וּמֵימְרִי לָא מְקַבֵּל צְלוֹתַהּ, *quia ipſa ſeſe non addicet cultui meo, etiam verbum meum non ſuſcipiet orationem ejus.* וְתָסֵר *Ut auferat,* nam particula ו *τελικῶς,* pro *ἵνα,* eſt capienda, contentionis ſcopo id exigente. Minus commode Druſius disjunctive; *aut removeat;* ſi vult eſſe uxor mea, det operam, ne amplius ſcortetur. Nec placet, quod quidam vertunt: *ſi forte, εἰ ἄρα.* Plane non expreſſit illam particulam Hieronymus, qui ſimpliciter *auferat* poſuit. Vitio porro manifeſto LXX, perſona tertia in primam mutata, *καὶ ἐξαρῶ τὴν πορνείαν αὐτῆς ἐκ προσώπου μου* verterunt. זְנוּנֶיהָ מִפָּנֶיהָ *Scortationibus* quas *a facie ſua* removere jubetur, nonnulli, Abarbenelem ſequuti, intelligunt fucum, quo meretrices formoſitatem mentiri ſtudent, ut נַאֲפוּפֶיהָ מִבֵּין שָׁדֶיהָ, *adulteriis e medio uberum ſuorum* removendis, vel ipſam uberum inverecundam nuditatem, vel alia quaedam ornamenta, quae ſuſpenſa ad ubera libidinis eſſent irritamenta, et iis quidem hoc loco effigies innui exiſtimant idolorum, quas in auribus, aut e collo ſuſpenſas inter ubera geſtare ſolerent. Quemadmodum enim per metonymiam haud raro ſignum pro re ſignificata ponitur, ſic etiam res ſignificata pro illius ſigno nonnumquam uſurpatur. Quomodo *fortitudo,* quae ſignificatur

in

in armis, pro armis adhibetur Pſ. XCIII, 1. *Indutus eſt Jova* עֹז, *fortitudinem, et praecinxit ſe.* Cf. Jeſaj. LI, 9. Sic ſaepe *laetitia* pro laetitiae ſignis, puta pro canticis et choris. Eodem igitur modo poſſent et hic *ſcortationes* meretricios ornatus indicare. Simplicius tamen eſt, dictionibus זְנוּנִים et נַאֲפוּפִים *geſtus laſcivos* et *blandimenta meretricia* intelligere, quae *vultui* atque *uberibus* tribuuntur, ut ſiſtatur mulier toto habitu libidini addicta, atque ad eam excitandam et exercendam unice compoſita. Solutae enim laſciviae feminis ſolet ſuus *vultus* eſſe, qualis Glycerae apud Horatium L. I. *Od.* XIX, 7. 8.

Urit grata protervitas,
Et vultus nimium lubricus adſpici.

Ab Anacreonte *Od.* XXVIII. 21. dictus *βλέμμα ὑγρὸν ὡς Κυθήρης*, ab Alciphrone Lib. III. Epiſt. 40. *πρόσωπον ἐπίπλαστον, καὶ ὁ τρόπος μοχθηρίας*, a Perſio *Sat.* I, 18. *ocellus patrans.* Cujus in culpae partem *ubera* quoque veniunt, quae, Jarchio obſervante, mulier adultera praebet pertractanda et premenda, plane ut Ezechiel XXIII, 3. Iſraelis, feminae impudicae imagine propoſitae, *ubera in Aegypto preſſa* dicit, quod ibi ab avitae religionis puritate deficere coeperat. Senſum poëtica paraphraſi bene expreſſit Rittershusius:

Probra ſua amoveat, ſcortari denique ceſſet;
Ubera adulterii illecebras ſua nec velit eſſe,
Veneturque viros alios oblita mariti.

Dei monitum igitur huc redit: miſſam tandem faciat putidam iſtam ficta numina colendi conſuetudinem, et mores corruptiſſimos emendet. Chaldaeus: עַד דְתַעְדֵי עוֹבָדָהָא בִּישַׁיָא מִקֳבֵל אַפָּהָא וּפוּלְחַן טַעֲוָתָהּ מִבֵּין קִרְוָהָא *usque removeat opera ſua mala a conſpectu ſuo, et cultum idolorum e civitatibus ſuis.* Obſervationis grammaticae eſt, quod Aben-Eſra ad nomen זְנוּנֶיהָ notat, eſſe ex eorum numero, quae ſecundam radicalem geminant; nam a זָנָה formari זְנוּנִים ut ab הָגָה, הָגִיג, Pſ. V, 2., in נַאֲפוּפִים vero geminari tertiam radicalem, ut סַגְרִיר Proverb. XXVII, 15. a סָגַר.

Ejus-

Ejusmodi formis intendi significationem, exprimique multitudinem et magnitudinem, notum. Vid. Storrii *Observatt.* p. 179. 189. sequ. Ceterum nostrum locum imitatur et explicat Jeremias Cap. III. Quemadmodum enim ab Hosea Deus sistitur animo miti et ad misericordiam prono, qui etsi repulisse videbatur cum libello repudii adulteram uxorem, ei tamen viam ostendit, per quam possit ad gratiam antiquam, unde exciderat, et ad connubiale pactum, quod adulterando violarat, reverti (vid. Hieronymum sub initio hujus notae allatum). Ita apud Jeremiam, loco laudato, quum jam esset Israelitis in exsilium abducta quasi jam demissa et abalienata cum libello repudii indicatur; Deus tamen illam oratione quam mollissima revocare contendit, et ad torum, quem prodiderat, rursus invitat. Dimissam cum libello dicit Vs. 8. *Et vidit perfida ejus soror Juda, quod ego defectricem Israelitidem, propter tot ejus adulterii caussas repudiassem, eique libellum divortii dedissem;* et Vs. 12. quam repudiatam dixerat, rursus vocat ad sponsae delicias et nomen. Sic enim Vs. 10. seqq. Jova ad Jeremiam: *I, et haec verba pronuntia aquilonem versus* (ubi tunc Israelitis captiva agebat), *et dic: revertere aversatrix Israel, ait Dominus, nec avertam faciem meam a vobis.*

2. Adhortationem ad morum emendationem confirmat addita gravissimorum malorum comminatione, quae non nisi ista lege averti possent. פֶּן־אַפְשִׁיטֶנָּה עֲרֻמָּה *Ne exuam eam* ita ut reddatur plane *nuda,* vestes scilicet a me datas auferendo adulterae; cf. infra Vs. 8. 9. Verbo פָּשַׁט significatur *violenta vestium detractio,* cf. Genes. XXXVII, 23. 1 Sam. XXXI, 8., quae et aliis locis, veluti Jerem. XIII, 26. 27. Nah. III, 4. 5. Ezech. XVI, 39. XXIII, 29., ut poena prostibularum proponi solet, qua contumeliis omnibus vexandae tradebantur. וְהִצַּגְתִּיהָ *Et sistam eam,* Exod. X, 24. Jud. VII, 5. Jerem. LI, 34., Job. XVII, 6., in conspectu omnium, cum summo pudore et ignominia nudam, כְּיוֹם הִוָּלְדָהּ, *sicut die quo nata fuit,* quo nuditas non modo, sed summa

ma etiam foeditas adulterae exprimitur, qualis ſolet eſſe infantis recens nati, nec a ſordibus ſanguinis puerperii abluti. Eandem imaginem pluribus exornavit Ezechiel XVI, 4. ſeqq., retentis ſubinde ipſis Hoſeae verbis. Senſus eſt: contemtum, opibus, potentia, omnibus ornamentis deſtitutum reddam Iſraelitarum populum, qualis erat, dum commorarentur in Aegypto, ubi dura, iniqua et ſervilis eorum conditio. Eam enim indicari *die quo nata eſſet*, recte obſervant Jarchi aliique inter Hebraeos interpretes, nec non Theodoretus: *ἡμέραν δὲ γενέσεως καλεῖ τῆς ἐν Αἰγύπτῳ διαγωγήν.* Chaldaeus: דִלְמָא אֲסַלֵּק שְׁכִינְתִּי מִנַּהּ וְאַעְדֵּי יְקָרַהּ וְאַשְׁוִינַּהּ רְטִישָׁא כְּיוֹמַיָּא קַדְמָאֵי עַד לָא אִתְקָרִיבַת לְפוּלְחָנִי *Ne auſeram majeſtatem meam ab ea, et tollam gloriam ejus, et ponam eam derelictam, ſicut diebus priſtinis, antequam acceſſiſſet ad cultum meum.* Hieronymus: „*Fornicaria* eſt, quae cum pluribus jungitur, *adultera*, quae unum virum deſerens alteri jungitur. Quorum utrumque eſt Synagoga, quae ſi permanſerit in fornicatione, et adulterio, auferet ab ea Deus veſtes et ornamenta, quae dederat. De quibus ſcribit Ezechiel [XVI, 4. ſeqq.]: *In die quando nata es, non ligaverunt mamillas tuas, et ſale non es ſalita, et tranſivi per te, et inveni te nudam et deturpatam et conſperſam in ſanguine.* Et poſt paululum [Vs. 10.]: *Indui te byſſino et ſubtilibus, et ornamenta circumpoſui tibi, et dedi armillas circa manus tuas, et monile circa collum tuum.* Haec tunc ei dedit maritus largiſſimus, quando invenit illam in Aegypto idololatriae libidine conſtupratam, et divaricantem omnibus pedes ſuos. Et nunc comminatur, ſi ad virum ſuum noluerit reverti, ita eam futuram absque Deo et viro, ſicut prius in Aegypto fuerat." Hemiſtichii poſterioris verba etſi ipſa nihil habeant difficultatis, tamen in ſenſu illius conſtituendo variant interpretes. Et plerique quidem recentiorum verba וְשַׂמְתִּיהָ כַמִּדְבָּר וְשַׁתִּהָ כְּאֶרֶץ צִיָּה interpretantur: *ponam* i. e. reddam (cf. infra Vs. 11. Jeſaj. XIV, 23.) *eam tanquam deſertum, et efficiam* (cf. eundem uſum verbi שׁית Jerem. XXII, 6.) *ſicut terram aridam*, i. e. omni

omni dignitatis ornamento ac vitae subsidio orbabitur; in eam speciem et squalorem adducetur, quam habet triste et sterile desertum, quod a coeli nubibus nihil accipit incrementi. Conferuntque Jesaj. V, 6. Jerem. VI, 8. Zephan. II, 13. Ita LXX: *καὶ θήσω αὐτὴν ἔρημον, καὶ τάξω αὐτὴν ὡς γῆν ἄνυδρον.* Quod Cyrillus explicat: *ἄκαρπον ἔσεσθαί φησι τὴν πεπορνευμένην, ξηρὰν καὶ ἀκανθοτόκον, διψάδα καὶ ἄνυδρον.* Verum ut taceamus, minus concinnam esse comparationem mulieris cum solitudine, verba, quae in fine Versus subjunguntur, וַהֲמִתִּיהָ בַּצָּמָא, *enecabo eam siti*, vix sinunt, verba, quae proxime praecedunt, indicato modo accipere; nam desertum non intersicitur, sed homo in eo constitutus. Perstat manifesto vates in metaphora mulieris, quam tunc, cum primum nata esset, in solitudine versatam innuit. Quemadmodum igitur in hemistichio priori כְּיוֹם pro כְּבְיוֹם, *sicut in die*, positum, ita et hic כַמִּדְבָּר et כְּאֶרֶץ pro כְּבַמִּדְבָּר, et כְּבְאֶרֶץ צִיָּה ponuntur, ut ita sit vertendum: *ponam eam tanquam in deserto, collocemque eam veluti in terra arida*, i. e. talem eam reddam, qualis fuerat olim, tempore nativitatis, in deserto, *qua etiam siti intersiciam.* Et recte hunc locum exponit Jarchi: „ne pronunciem contra illos talem sententiam, qualem olim in deserto [Num. XIV, 35.]: בַּמִּדְבָּר הַזֶּה יִתַּמּוּ וְשָׁם יָמֻתוּ, *in hac solitudine conficientur et ibi morientur.*“ Ita jam Chaldaeus: וְיִחוֹל רוּגְזִי עֲלַהּ כְּמָא דְחַל עַל עַם דָּרָא דַעֲבַרוּ עַל אוֹרָיְתִי בְּמַדְבְּרָא וְאֲשַׁוֵי אַרְעָא צַדְיָא וְאֶקְטְלִנַּהּ בִּבְצוֹרְתָּא *Et residebit furor meus super eam, sicut resedit super populo generationis illius, quae legem meam in deserto transgressa est, reddamque terram desertam, et intersiciam eam siccitate.* Hieronymus: „Si noluerit ad meliora converti, faciam illi, quod feci in solitudine, ut ducti in captivitatem cadant in terra aliena patientes sitim omnium bonorum, et ad patriam suam redire non valeant.“ Cf. Jerem. II, 6. Pro defective scripto וְשַׁתִּהָ in libris pluribus, a Kennicotto et de-Rossii enumeratis legitur plenum וְשַׁתִּיהָ.

3. Verba וְאֶת־בָּנֶיהָ לֹא אֲרַחֵם sunt, qui vertant cum Hieronymo: ***et filiorum ejus non miserebor***, ut inchoetur hic novus ipsius Dei sermo, quo post comminationem incipiat suam sententiam declarare. Verum quum res hoc Versu enuntiata ad praecedentium minarum complementum spectet, praestat, novi sermonis initium sequenti commati, cui כִּי praemissum, statuere, atque hic subaudito כֵּן (e Vs. 2.), sic vertere: ***nec filiorum ejus miserear.*** כִּי־בְנֵי זְנוּנִים הֵמָּה *Quia filii scortationis* sunt *ipsi*, impurae matris progenies nihil melior. Cf. not ad I, 2. יַלְדֵי זְנוּנִים, et infra V, 7. Chaldaeus: אֲרֵי בְּנִין דְטָעַן אִנּוּן, *quia filii sunt, qui idola colunt.* Bene Hieronymus: „Hoc plus faciam ei, cui dixi: ***non uxor mea, et ego non vir tuus, et ponam eam quasi solitudinem, et faciam velut terram inviam.*** Quando enim de Aegypto eduxi eam, interfectis parentibus filii eorum terram repromissionis ingressi sunt. Nunc autem fornicariae matris liberi peribunt cum matre meretrice, *quoniam filii fornicationis sunt*, et mali ex malis geniti.“

4. כִּי alii vertunt *nam*, quasi ratio nunc reddatur, cur filiis miseratio sit deneganda; alii *sed*, ut opponatur hoc prioribus redargutionibus filiorum frustra futuris; alii asseverative, *utique*, *certo*; sed vix dubium, eam particulam hic ita capiendam esse, ut כִּי, *quia*, et לָכֵן, *propterea* (Vs. 5.), sibi invicem respondeant. זָנְתָה אִמָּם ***Scortata est mater eorum***, cf. Vs. 1. I, 2. Jerem. III, 8. Chaldaeus: אֲרֵי טְעָת כְּנִשְׁתְּהוֹן בָּתַר נְבִיאֵי שִׁקְרָא ***quia erravit congregatio eorum post falsos prophetas.*** הוֹבִישָׁה quidam explicant, *pudefecit* scil. opera sua, i. e. ignominiosa, pudenda commisit. Sed rectius Hieronymus: ***et confusa est***; nam verbum הֵבִישׁ f. הוֹבִישׁ notat ***de re pudenda convinci***, atque ita publice confundi, ut Jerem. VI, 15. VIII, 12. הוֹרָתָם ***Genitrix eorum***, ut Cantic. III, 4., cf. masculinum, הוֹרַי, ***genitor meus***, Genes. XLIX, 26. Chaldaeus: בְּהִיתוּ מַלְּפֵיהוֹן, ***erubuerunt doctores eorum.*** Quod Jarchi ita explicat: „Sapientes, qui alios instituunt, pudore afficiuntur coram aliis

popu-

populis, nam ipſi (doctores) dicunt illis: non furabimini; et ipſi furantur; dicunt: non mutuo dabitis, ipſi vero mutuo dant.“ כִּי אָמְרָה *Nam dixit*, et adhuc dicit; Praeteritum enim ſaepe ita uſurpari ſolet, ut et continuatio actionis ad praeſens tempus ſignificetur, ut Jeſaj. I, 4. Jerem. II, 25. XLIV, 16. 17. אֵלְכָה אַחֲרֵי מְאַהֲבַי *Ibo poſt amatores meos* (propr. *amare me facientes*, quod alienas uxores in ſui amorem pellicerent donis ac muneribus, Vs. 6. 9. Jerem. XXII, 20. Ezech. XXIII, 5. 9.), i. e. Chaldaeo explicante, אֵהָךְ בָּתַר עַמְמַיָא רָחֲמַי, *ſequar gentes* alias, *amicos meos.* Jarchi: בדרכי האומות, *in viis gentium.* Grotius: „Lubet mihi exempla ſequi Aſſyriorum, Syrorum, Aegyptiorum.“ נֹתְנֵי לַחְמִי — שַׁמְנִי *Qui praebent mihi panem, et aquam, lanam et linum, oleumque.* „Pane et *aqua* vivimus, *lana* et *lino* veſtimur; *oleo* utimur ad venuſtatem, item ad robur conciliandum corpori. *Oleum* ſaepe Ebraei uſurpant pro *unguento,* quod bona pars unguenti ex oleo conſtaret. Horum, inquit, beneficio non ſolum victus et amictus, verum etiam unguenta reliquaque omnia, quae ſunt delicatioris et mollitioris vitae inſtrumenta mihi abunde ſuppetunt.“ Drusius. וְשִׁקּוּיָי *Et potus meus*, Pſ. CII, 10., vinum aliosque potus factitios vel inebriantes. Quibus ſignificantur reliqua, quae non ſolum ad victum et amictum pertinent, verum ad delicias etiam et abundantiam faciunt. Chaldaeus: כָּל פַּרְנוּסִי, *omnem victum meum.* Kimchi: „*Amicis* (מְאַהֲבַים) innuit Aſſyrios et Aegyptios, Iſraelitis foedere junctos, qui eos ab hoſtibus liberabant, ut tuto viverent, pro muneribus, quae eis dare ſolebant. Senſus eſt, ſe tranquillos, pro foedere cum eis inito, vixiſſe, et veluti omnia neceſſaria ab eis accepiſſe. Nam eorum praeſidio tuti ſine metu terram ſuam colebant, et ſecuri in exteras regiones (mercaturae exercendae cauſa) proficiſcebantur.“ Nec aliter Hieronymus: „*Amatores* Hieruſalem et gentis Judaeae, ſecundum hiſtoriam illius temporis, Aſſyrios atque Aegyptios, nationesque ceteras intelligamus, cum quorum idolis fornicata eſt, a quibus bellorum tempore et prementibus malis fruſtra ſperavit auxilium.“

5. לָכֵן

5. לָכֵן הִנְנִי־שָׂךְ *Propterea ecce ego obſepiens ſum*, Job. I, 10. cf. Jeſaj. V, 5., i. e. occludam, ut Jarchi interpretatur. Utitur praeſenti ob eventus certitudinem. LXX: *Φράσσω*. אֶת־דַּרְכֵּךְ *Viam tuam*, pro quo LXX *τὴν ὁδὸν αὐτῆς* poſuerunt. Syro concinente, quaſi דַּרְכָּהּ ſcriptum eſſet. Sed praeſtare, quod in noſtris codicibus legitur, recte monuit Kuinoelius: nam alloquitur Deus populum, et ſubita perſonarum mutatio Hoſeae ſolennis eſt. בַּסִּירִים *Spinis*, Jeſaj. XXXIV, 13. Amos. IV, 2. LXX: *ἐν σκόλοψι* (2 Cor. XII, 7.), pungentibus virgultis, quae tranſitum difficillimum moleſtiſſimumque efficiunt. וְגָדַרְתִּי *Et obducam*, ut Amos. IX, 11. אֶת־גְּדֵרָהּ *Maceriam ejus*, Num. XXII, 24., e lapidibus aut ligno conſtructam (Pſ. LXXXIX, 41.), quae minus quam ſepes e ſpinis conſepta, perrumpi poſſit; וּנְתִיבוֹתֶיהָ לֹא תִמְצָא *ita ut vias ſuas invenire nequeat*, cf. Levit. XXVI, 22. Alias quidem, ut Job. I, 10. Jeſaj. V, 5., in bonam partem adhibetur. Sepimentum a Deo ſuis circumpoſitum, quod ſi ſublatum ſit et perfractum, ſtatum depingit omni praeſidio nudatum atque direptioni relictum; hic autem contrario plane uſu Deus viam populi Iſraelitici occludere dicitur, quando eum, ſive turbis civilibus perplexum, ſive hoſtibus circumſeſſum in eas undique anguſtias compellit, ut non amplius ſui ſit juris, nec, quo ſe demum vertat, inveniat. Eadem imago Job. XIX, 8. אָרְחִי גָדַר וְלֹא אֶעֱבוֹר *Semitam meam ſepſit, ut non transire poſſim, et ſuper calles meos tenebras poſuit.* Thren. III, 7. גָּדַר בַּעֲדִי וְלֹא אֵצֵא *Circumſepivit me, ne exeam, gravesque mihi compedes adhibuit.* Et Vs. 9. גָּדַר דְּרָכַי בְּגָזִית *Obſepivit vias meas quadrato lapide, tramites meos contortos fecit.* Hieronymus: „Dixerat meretrix (Vs. 4.): vadam poſt amatores meos, qui omnium rerum abundantiam mihi praebuerunt. Reſpondit Deus; ego ſepiam viam tuam ſpinis ſive ſudibus, ne poſſis ire, quo deſideras, et interponam maceriam; ſive murum, et ſemitas tuas, quas crebro triveras pede, non invenies, ne apprehendas eos, quos tanto ſtudio ſequebaris, et rerum neceſſitate compulſa revertaris

ad

ad virum tuum.“ Chaldaeus: בְּכֵן הָא אֲנָא מְקַלְקֵל יָת אָרְחָתִךְ כְּמָא דְסַיְגִין בְּכַבַּיָא וְאֶפְסוֹק כְּמָא דְמַפְסְקִין בְּכֻתְלַיָא וּשְׁבִילָהָא לָא תַשְׁכַּח *Propterea ecce pervertam vias tuas, ſicut ii, qui ſepiunt ſpinis, praecidamque, ſicut illi, qui praecidere ſolent* (viam) *interjecto muro; nec inveniet ſemitas ſuas.* Pro וְגָדַרְתִּי Druſius ſuſpicatus eſt in eo codice Hebraeo, quo uſus eſt Graecus Alexandrinus interpres, extitiſſe וּבָנִיתִי, poſuit enim ille pro וְגָדַרְתִּי ἀνοικοδομήσω. Illam vero Druſii conjecturam valde improbat J. F. Fischer in *Proluſſ. de Verſionibus Graecis Librorum V. T. Litterarum Hebraicarum magiſtris* p. 27. „Non fugere debebat,“ inquit, „virum magnum, verbo ἀνοικοδομεῖν ſubeſſe non raro vim et notionem *obſtruendi*, non *aedificandi*, quippe quum non modo veteres Grammatici illud interpretentur per ἀποφράξαι (vid. Schol. Ariſtoph. ad Pac. 99.), ſed praepoſitio ἀνὰ etiam in aliis verbis compoſitis, ut omnino apud ſcriptores Graecos claſſicos, ita ſingulatim apud Alexandrinos interpretes (ut Nehem. IV, 1. ἀναφράσσεσθαι), ea, quam demonſtravimus, poteſtate gaudeat, ut ii ſine controverſia errent, qui verbum ἀνοικοδομεῖν ubique mutandum eſſe praecipiant.“

6. וְרִדְּפָה *Ut eum cupide ſectata fuerit,* nam verbum רָדַף in Piel ſignificatione aucta notare *magno ſtudio perſequi,* coll. Proverb. XII, 11., recte obſervat Jarchi. אֶת־מְאַהֲבֶיהָ Vid. Vs. 4. וְלֹא־תַשִּׂיג אֹתָם *Nec eos aſſequuta fuerit,* Geneſ. XLIV, 4. 6. וּבִקְשָׁתַם *Et quum quaeſiverit eos ſtudioſe,* more impudicarum mulierum (nam caſtae non quaerunt, ſed quaeruntur ab amatoribus), cf. Jeſaj. XLI, 12. וְלֹא תִמְצָא *Nec inveniat,* et ita vanitatem idolorum agnoſcens incipiat cultum eorum deteſtari, וְאָמְרָה, *ut,* inquam, tandem pudefacta et confuſa, ubi ſpes ſua ipſam eſt fruſtrata *dicat:* אֵלְכָה וְאָשׁוּבָה אֶל־אִישִׁי הָרִאשׁוֹן *Ibo,* age! *revertar, ad virum meum priorem illum,* Jovam, qui me ex Aegypto eduxit, ſuumque peculium fecit. Elegantiſſima oppoſitio ad Vs. 4. Cf. infra Vs. 15. XIV, 2. 3. Jerem. III, 1. כִּי טוֹב לִי אָז מֵעָתָּה *Nam melius mihi tunc erat,* cum ei ſerviebam

(cf.

(cf. Jerem. XXII, 15. 16.), *quam nunc,* quando ab eo deficiens omnibus bonis exuta ſum. „Senſus: ad incitas redacti Iſraelitae, ubi cognoverint, idola ipſis non poſſe auxilium ferre, ad meliorem frugem redibunt, Deum iterum colent.“ Kuinoel. Chaldaeus totum Verſum ita exponit: וְתִרְדַף שְׁלָמֵי עִם עַמְמַיָא רַחֲמָהָא וְלָא תִדְבַק יַתְהוֹן וְתִבְעֵי סְעִיד וְלָא תַשְׁכַּח וְתֵימַר אֵיהָךְ וְאֵתוּב לְפוּלְחַן רִבּוֹנִי קַדְמָאָה אֲרֵי טַב לִי כַד הֲוֵיתִי פָּלְחָא קֳדָמוֹהִי מִכְּעַן לָא אֶפְלַח לְטַעֲוָתָא *Sectatur pacem cum populis amaſiis ſuis, ſed eis non adhaerebit; petet adjumentum nec inveniet. Dicetque: age! revertar ad cultum domini mei prioris; nam bene mihi erat, dum ei ſerviebam; nec deinceps ſerviam idolis.*

7. וְהִיא לֹא יָדְעָה *Etenim ipſa non agnoſcit,* ita verbum יָדַע et Jeſaj. I, 3. uſurpatur. כִּי אָנֹכִי נָתַתִּי לָהּ *Me,* Jovam, non alii dii, *dediſſe ei,* oppoſitum verbis Vs. 4. (al. 7.). הַדָּגָן וְהַתִּירוֹשׁ *Frumentum et muſtum,* infra Vs. 21. (al. 24.), cf. Deuter. XXXIII, 28. Ezech. XVI, 10—19. וְהַיִּצְהָר *Et oleum,* praecipui Palaeſtinae fructus recenſentur; cf. Deut. VII, 13. VIII, 8. XI, 14. וְכֶסֶף הִרְבֵּיתִי לָהּ *Et argentum multiplicavi ei,* cf. Jeſaj. II, 7. Omnis generis opes et divitias, quas mercatura ſibi comparaverant Iſraelitae, ſignificat. Verba וְזָהָב עָשׂוּ לַבָּעַל quidam vertunt: *et aurum fecerunt,* i. e. adhibuerunt, conſecrarunt, *Baali,* coll. 2 Chron. XXIV, 7. *Omnes res ſacras domus Jovae* עָשׂוּ לַבְּעָלִים, *conſecrarunt Baalibus,* illas in horum fana transferri curarunt. Sed rectius alii, ſubaudito ante עָשׂוּ relativo אֲשֶׁר, et verbis hisce junctis cum iis, quae proxime praecedunt: *multiplicavi eis argentum et aurum,* quod *fecerunt,* transmutarunt *in Baalis* idolum; quomodo verbum עָשָׂה intelligendum Num. XI, 8. וְעָשׂוּ אֹתוֹ עֻגוֹת *fecerunt illud,* Manna, *placentas,* et Jerem. XXXVII, 15. *Domum Jonathanis* אֹתוֹ עָשׂוּ לְבֵית הַכֶּלֶא *fecerunt in carcerem.* Recte igitur noſtra verba Chaldaeus vertit: וְדַהֲבָא מִנֵּיהּ עֲבַדוּ לְטַעֲוָתָא, *et aurum, ex quo confecerunt idola.* Eum ſenſum, quem et omnes Hebraei interpretes ſequuntur, ſuadet locus

locus parallelus infra VIII, 4. כַּסְפָּם וּזְהָבָם עָשׂוּ לָהֶם עֲצַבִּים, *argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola. Baalis* autem, idoli Sidoniorum (vid. Jud. II, 11. 1 Reg. XVI, 31. et SELDENI *de Diis Syris* Synt. II. C. 1.), fit mentio, quod ejus cultus maxime in regno decem tribuum, post regem Achabum, qui eum primus introduxit, viguit. Nec alii dii excluduntur, qui mox Vs. 12. (al. 15.) communi τῶν בְּעָלִים nomine cultu comprehenduntur. Etsi vero a Jehu Baalis cultus sublatus esset, ab aliis regibus tamen restitutus est, aut certe toleratus, et a plebe superstitiosa retentus, quod ex historia Josiae 2 Chron. XXXIV, 6. 7. colligi potest. Totius versiculi sensum recte exponit HIERONYMUS hoc modo: „Ad superiora respondet; dixerat enim [Vs. 4. al. 7.]: *vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, et aquas meas, lanam et linum, et oleum et potum meum,* quae universa susceperat, ut in Dei cultum verteret. Illa vero panem, et vinum, qui confirmat, et quod laetificat cor hominis, et oleum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, et argentum et aurum vertit in idola, et facit Baal. Quod autem auro et argento et cunctis opibus abundaverit Hierusalem, et fecerit idola Baal, daemoni Sidoniorum, sive, ut aliqui rectius arbitrantur, Babylonio, ex quo et *Bel* dicitur, Ezechiel plenius in suo ponit volumine, et omnis Prophetarum narrat chorus."

8. לָכֵן *Propterea* itaque, quod illa non agnoscit, me illi haec bona dedisse, Vs. 7., cf. Vs. 5. אָשׁוּב וְלָקַחְתִּי *Redibo et auferam,* i. e. rursus auferam ei, per tempestates, locustas, hostes. Verbum שׁוּב non solum *iteratam*, verum etiam interdum *oppositam*, s. *contrariam priori actionem* significat; cf. Genes. XXVI, 18. 2 Reg. XXI, 3. XXIV, 1. Jerem. XII, 15. XVIII, 4. דְגָנִי *Frumentum meum,* i. e. quod a me accepit, Vs. 7. בְּעִתּוֹ *In* ipso *tempore suo,* i. e messis (Jerem. V, 24. Ps. I, 3. Job. V, 26.), quando maxima spes est, potiundi eo et fruendi. וְתִירוֹשִׁי בְּמוֹעֲדוֹ *Et mustum meum in stato tempore ejus,* Num. IX, 2. 3., in ipsa vindemia.

mia. Hieronymus: „Gravior poena eſt, quando in tempore meſſis et vindemiae ſperatae fruges auferuntur et linum, et quodammodo tentae tolluntur e manibus. Sin autem in tempore areae et praeli, et torcularis, quando ſterilitatem praeteritam novis frugibus terra foecundat, omnium rerum penuria eſt, quid de reliquo anni tempore, quando vetera conſervantur, aeſtimare debemus?“ וְהִצַּלְתִּי *Et eripiam* ei, ut Geneſ. XXXI, 9. 16. צַמְרִי וּפִשְׁתִּי *Lanam meam et linum meum,* i. e. laneas et lineas veſtes, quas a me accepit. Vs. 4. לְכַסּוֹת אֶת־עֶרְוָתָהּ Quae fuerunt ei a me data *ad tegendum nuditatem ſuam,* ſ. *pudenda ſua,* cf. Exod. XXVIII, 42. Ezech. XVI, 8. „Pro לְכַסּוֹת maluere מְכַסּוֹת Hubigantius, Dathius, Bahrdtius, ſoli ſidentes Alexandrino, cujus eſt: *τοῦ μὴ καλύπτειν,* neque enim teſtis alius ullus ſuppetit. Syrus et Chaldaeus interpoſuere: *quae dederam ei* (דִּיהֲבֵית לַהּ), videlicet ad obtegendum. Latet hoc quidem in affixo primae perſonae vocum praecedentium, attamen iſto velut ſupplemento alicujus ellipſeos minime indigebit vindicaturus *τὸ* לְכַסּוֹת. Eſt poſitum eadem conſuetudine hebraei ſermonis ac מָקוֹם לָלִין Geneſ. XXIV, 23., כֹּחַ לִבְכּוֹת, 1 Sam. XXX, 4., יוֹם לִבְנוֹת Mich. VII, 11., עֵת לָטַעַת Eccleſ. III, 2. Nec ſcio, an et כַּפַּיִם לְהֵיטִיב, *manus ad benefaciendum,* Mich. VII, 3., i. e. quae et poſſint et debeant benefacere, huc referri oporteat. Cohaeret לְכַסּוֹת cum proxime praecedentibus צַמְרִי et פִשְׁתִּי, *lana et linum ad obtegendum* erit, quibus utebatur ad ſe obtegendam meretrix, quae huic obtegendae inſerviebant, vel, ut haud inepte Hieronymus, *quae operiebant ignominiam ejus.* Atque tantum abeſt, ut frigidus inde oriturus ſit ſenſus, ut potius fuerit ad reliqua maxime opportunus. Nam quum ſequatur proxime וְעַתָּה אֲגַלֶּה וגו׳, *ut nunc denudem,* integrae periodi, ſi explicetur evidentius, haec ſeries prodibit: *ſubtraham,* ait Deus, *lanam et linum, quae a me uno acceperat improba, quibusque nuditatem ſuam hucusque obtexerat, ut, ſiquidem aliud habeat nihil, quo ſe conveſtiat, nudam denique disjiciam, ipſis illis, qui amaverant nuper,* *dete-*

detestandam. Erit hic denique sensus, qua summam rei, idem cum illo, quem lectio dederit τοῦ מַבְּשׁוֹת, eoque adeo minori jure sollicitabitur altera. Quod autem urget Dathius, non necessaria modo *suppeditasse Deum, sed largam omnium rerum abundantiam,* si quid valuerit, hos solum feriet, qui immerito creditam ellipsin supplere per *quod dederam* conentur." Aurivillius *Dissertatt.* p. 602.

9. וְעַתָּה אֲגַלֶּה אֶת־נַבְלֻתָהּ *Nunc enim* non solum non dabo amplius, quibus se tegere possit, sed ipse etiam *revelabo* s. *retegam turpitudinem ejus,* נַבְלוּת, hoc solo loco obvium, non dubium est significatione convenire cum נְבָלָה, quod de *flagitio, facto turpi* atque *obscoeno* dicitur Genes. XXXIV, 7. Deut. XXII, 21. Judic. XIX, 23. 24. LXX: ἀκαθαρσίαν αὐτῆς. Chaldaeus: קְלָנָהּ, *ignominiam ejus.* Hieronymus: *stultitiam ejus,* quod exponit: „omnem turpitudinem Hierusalem, sive stultitiam, per quam operata est turpitudinem." Michaelis in *Supplemm.* p. 1588. nostro nomine *membrum pudendum sed emarcidum* significari conjicit, collato Horatiano illo: *hietque turpis inter aridas nates podex velut, nudae bovis.* Minime vero necesse est, ut nostris verbis sensum adeo obscoenum subjiciamus. Loca nostro parallela sunt Jesaj. XLVII, 3. Jerem. XIII, 26. Ezech. XVI, 37. Nahum. III, 6. לְעֵינֵי מְאַהֲבֶיהָ *Coram amatoribus ejus,* Vs. 4. (al. 7.), Chaldaeus: לְעֵינֵי עַמְמַיָּא דְּהֲמָהָא *coram populis amatoribus ejus,* „ut, quam velatam desiderabant, apertam contemnant," ait Hieronymus. Deridebitur ac velut abominabilis et prorsus infamis ab illis relinquetur, quippe qui nec, si vel maxime velint, auxilium ei praestare poterunt, subjicit enim Deus: וְאִישׁ לֹא־יַצִּילֶנָּה מִיָּדִי *nec quisquam* (cf. Jerem. XL, 15. XLI, 4.) *eripiet eam e manu mea* denudante et plectente, nemo illam supplicio promerito subtrahet, non Assyrius, non Aegyptius, quantumvis sint potentes. Cf. infra V, 14.

10. וְהִשְׁבַּתִּי *Et cessare faciam,* auferam, ut supra I, 4. Jerem. VII, 34. Thren. V, 15. כָּל־מְשׂוֹשָׂהּ *Omne gaudium*

dium ejus, omnem gaudendi materiam, cf. Jeſaj. XXIV, 8. 11. XXXII, 13. Praecipue autem hic ſpectantur dies feſti, qui quum florente civitate ſumma hominum frequentia et concurſu ſoleant agi, ſi ſublati fuerint, imaginem proponunt reipublicae proſtratae, vid. Jerem. VII, 34. Thren. I, 4. Amos. VIII, 10. Comprehenduntur illi communi מָשׂוֹשׂ *laetitiae* nomine, quia non tantum plauſu et clangore excipiebantur, verum etiam a ſingulis hilare epulis ſive ſacris ſive communibus celebrari ſolebant, unde Num. X, 10. יְמֵי שִׂמְחָה vocantur. חַגָּהּ *Feſtivitatem ejus* anniverſariam, ut Paſchatos, Pentecoſtes, Tabernaculorum. חָדְשָׁהּ *Novilunia*, Kalendas *ejus*, feſta menſtrua, cf. infra V, 7. Jeſaj. I, 14. וְשַׁבַּתָּהּ *Et Sabbatha ejus*, dies ſolennes ſingularum hebdomadum. וְכֹל מוֹעֲדָהּ *Et omnem ſolennitatem ejus*, quando conventus publici indicantur, LXX: πάσας τὰς πανηγύρεις αὐτῆς, Exod. XIII, 10. Levit. XXIII, 2. 4. Zephan. III, 18. Hieronymus: „Tradita autem Babyloniae ſervituti nequaquam tres ſolennitates, Paſchae et Pentecoſtes et Tabernaculorum, celebrare poterit: non Neomeniae, id eſt Kalendarum, non Sabbati exercere laetitiam, nec omnes feſtivitates, quas uno nomine comprehendit."

11. וַהֲשִׁמֹּתִי *Et devaſtabo*, Levit. XXVI, 31. 32. Ezech. XXX, 12. LXX: ἀφανιῶ, Hieronymus: *corrumpam*. גַּפְנָהּ וּתְאֵנָתָהּ *Vitem ejus et ficum ejus*, quibus duabus ſpeciebus ſynecdochice ſignificantur omnes alii fructus, qui vel potum gratum, vel cibum ſuavem praebent. Quemadmodum igitur in promiſſionibus, ubi deliciarum a Deo conceſſarum fit mentio, *ficus* et *vitis* conjunguntur (vid. 1 Reg. V, 5. al. V, 25. 2 Reg. XVIII, 31. Jeſaj. XXXVI, 16.), ita contra etiam in comminationibus raro ſeparantur, vid. Jer. V, 17. Joel. I, 7. 12. Hagg. II, 19. Pſ. CV, 33. אֲשֶׁר אָמְרָה *Quas*, de quibus *dixit* illa, ſupra Vſ. 4. (al. 7.). אֶתְנָה i. q. אֶתְנַן infra IX, 1. Deut. XXIII, 19., *merces* meretricia, cf. verbum infra VIII, 9. 10. Kimchi: „Quia illa ſe ab amatoribus frumentum, muſtum, oleum et reliqua bona accepiſſe

cepiſſe dicit, ego eam, i. e. terram ejus in ſolitudinem redigam; tunc intelliget, illa bona num a me, an ab illis acceperit. Quia vero gentem Iſraeliticam meretrici comparaverat, ideo bona illa vocat אֶתְנָה, quod idem quod אֶתְנַן, זוֹנָה, *merces ſcorti*, Mich. I, 7., a verbo תָּנָה, *mercede conduxit*, א eſt addiditium. Chaldaeus vertit יְקָר *res pretioſae*. *Ficus* et *vitis* mentionem facit ideo, quod ficus et uvae gratiſſimus ſunt hominibus poſt frumentum cibus. Dixerat autem jam Vs. 8. (al. 11.): *auferam tempore ſuo frumentum meum*.“ וְשַׂמְתִּים *Ponam* igitur, redigam *eas*, vineas et ficeta, totamque omnino terram, לְיַעַר, *in ſaltum*, ſicut belli et univerſae devaſtationis tempore, quando neglecta loca ſilveſcunt, ut nihil fructuum amplius inde ſperari queat. Cf. ſimiles comminationes Jeſ. V, 6. VII, 23. Mich. III, 12. Hieronymus: „Pro *ſaltu*, quod hebraice dicitur *Jaar*, unde *Kirjath-Jearim* interpretatur *villa ſylvarum*, LXX transtulerunt *teſtimonium* [καὶ θήσομαι αὐτὰ εἰς μαρτύριον], *Reſch* et *Daleth* literarum falſi ſimilitudine. Si enim pro *Reſch Daleth* legatur, *teſtimonium* dicitur, ita duntaxat, ut *Jod* litera non praecedat [עֵד].“ Ejus, quam LXX dederunt, verſionis ſenſum Cyrillus declarat his verbis: *Καταμαρτυρήσει γὰρ ὥσπερ τῆς τοῦ Ἰσραὴλ μοχθηρίας ἀφῃρημένα ταυτὶ, καὶ τὴν δίκην αὐτοῖς ἐπισημοτέραν ἐργάσεται, καὶ καταφανῆ ποιήσει τὴν ὀργήν.* Verum recte monuit Grotius, lectionem, qua nos utimur, meliorem eſſe, ut indicant ſequentia, וַאֲכָלָתַם חַיַּת הַשָּׂדֶה, *ut comedant eas beſtiae agri*, quae certiſſime ad ſylvam, יַעַר, reſpiciunt. Cf. Pſ. LXXX, 14. Jeſaj. XXXIV, 13., et contrarium infra Vs. 17. (al. 20.). Quae a LXX addita ſunt, *τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τὰ ἑρπετὰ τῆς γῆς*, *obelo praenotanda eſſe*, utpote quibus in Hebraeo nihil reſpondet, recte obſervat Hieronymus, qui totius verſiculi ſenſum hoc modo enarrat: „Vinea quoque et ficus in rerum omnium abundantia corrumpetur; in *vinea* laetitiam, in *ficu* ſuavitatem et dulcedinem intellige, quae auferentur graviſſimae ſervitutis malis, et auferentur idcirco, quia non a Deo ſibi donata,

quaſi

quaſi conjugi, ſed ab amatoribus ſuis, quaſi meretrici, pro libidinis mercedibus arbitrata eſt. Tunc nequaquam habebit arbores pomiferas, ſed omnia vertentur in ſaltum. Et quia ſemel metaphoram a ſylvis coeperat, finit in reliquo, ut hoſtes, a quibus ſint devoranda omnia, *beſtias* nuncupet."

12. וּפָקַדְתִּי עָלֶיהָ *Et viſitabo ſuper ea*, i. e. animadvertam in eam, cf. ſupra I, 4. אֶת־יְמֵי הַבְּעָלִים *Dies Baalorum,* quorum nomine omne genus falſorum deorum complectitur, quos Iſraelitarum ſuperſtitio colebat, et ſuo licet ſinguli cognomine diſtinguerentur, hoc tamen communi nomine, veluti totidem Joves olim fuiſſe appellatos conſtat; *dies* vero *eorum*, ſive eis conſecrati, tempus omne ſignificant, quo cultus ille vetitus in gente Iſraelitica viguit, quippe mox ab ejus ingreſſu in terram Cananaeam ſusceptus, uti liquet ex Jud. II, 12. 13. III, 7. VI, 25., et nonnullorum judicum quidem auctoritate nonnumquam interruptus, ſed ſub regibus nova identidem licentia inſtauratus; vid. e. c. 1 Reg. XVI, 31. 32. Quando autem Deus ſe illos dies, ſive *ſecundam illos dies* (cf. infra XII, 3.) in eam animadverſurum minatur, poenae protractionem, recte obſervante Kimchio, ſimul ſignificat, q. d. et iſtas quidem poenas non per unum alterumve annum ei immittam, ſed per plurimos, ita ut abunde ipſis compenſetur illud tempus, quo falſorum deorum cultui dediti erant. אֲשֶׁר תַּקְטִיר לָהֶם *Quibus accendebat incenſum,* vertit Hieronymus, ut relativum pronomen ad Deos falſos referatur. Rectius tamen alii אֲשֶׁר ad יָמִים retulerunt, ſubaudito בָּם, *quibus* diebus *ſuffitum fecit illis* falſis diis. Ita LXX: *ἐν αἷς ἐπέθυον αὐτοῖς*, et Chaldaeus: וְאַסְעַר עֲלַהּ יָת יוֹמַיָּא דַּהֲוָת פָּלְחָא לְטַעֲוָתָא דִּסְפְקָא לְהוֹן בּוּסְמִין *animadvertam in ea dies, quibus idola coluit, dum iis aromata obtulit.* Verbum הִקְטִיר, *adolevit, incendit*, etſi ſpeciatim de ſuffitu adhibeatur, vid. Ezech. VI, 13. VIII, 11. XVI, 18.. patet tamen latius, et de quovis ſacrificio uſurpatur, vid. Levit. I, 9. III, 15.; eorum enim hoc habebatur praecipuum, ut vel carnes victimarum adipoſas,

posas, vel thura adolerent, qua de causa sacrificuli מְקַטְּרִים vocantur 1 Reg. XXII, 44. וַתַּעַד *Et ornavit se*, Jesaj. LXI, 10. Jerem. IV, 30. Ezech. XVI, 13. נִזְמָהּ Hieronymus *inaure sua* vertit, quem plerique sequuntur, sed proprie nomen נֶזֶם *narium ornamentum, annulum naribus insertum* denotare, patet ex Jesaj. III, 21. (נִזְמֵי הָאָף), et Ezech. XVI, 12. (נֶזֶם עַל אַפֵּךְ), cf. not. ad Genes. XXIV, 22., et A. Th. Hartmanni de vestitu mulierum Hebraearum opus sermone vernaculo conscriptum hac epigraphe: *die Hebräerinn am Putztische und als Braut* P. II. p. 166. seqq. et P. III. p. 205. וְחֶלְיָתָהּ *Et ornatu*, mundo *suo*; nomen hoc praeter nostrum locum bis obvium, Proverb. XXV, 12. et Cantic. VII, 2., Jarchi recte *arabicum* vocat, convenit enim cum Arabico حلي, quod Firuzabadius esse ait ما يزين به من مصبوغ المعدنيات او الحجارة *quodcunque ornamentum vel e metallis conflatum, vel e lapidibus pretiosis confectum.* Eodem ille nomine arabico interpres arabicus 1 Petr. III, 3. expressit graecum περίθεσις χρυσίων. וַתֵּלֶךְ אַחֲרֵי מְאַהֲבֶיהָ *Et ibat post*, prosequuta est *amatores suos*, sicut prostibula quaerere solent amasios, si non ultra veniunt, cf. supra Vs. 4. (al. 7.). וְאֹתִי שָׁכְחָה *Et mei*, mariti sui, *oblita est*; cf. infra IV, 6. VIII, 14. XIII, 6. נְאֻם יְהוָה *Dictum Jovae*, veridici, qui quae hic minatus est, certissime exsequetur. Chaldaeus alteram hujus Versus partem sic exponit: הֲוָת דָמְיָא לְאִתְּתָא דִשְׁבָקַת יַת בַּעְלַהּ וְאִתְקַינַת בִּקְדָשָׁהָא וּבְחֶלְיָתַת מַרְגָלִיָתְהָא וּטְעַת בָּתַר רַחֲמָהָא כֵּן כְּנִשְׁתָּא יִשְׂרָאֵל רַחֵמַת לְמִפְלַח לְטַעֲוָתָא וּפוּלְחָנִי שְׁבָקַת אֲמַר יְיָ *Erat similis mulieri, quae reliquit maritum suum, et sese ornavit inauribus atque monili margaritarum suarum, et erravit post amatores suos; ita concioni Israelis placuit idola colere, et meum cultum reliquit, ait Jova.* Hieronymus: „Servat personam meretricis, quae auro ornatur et gemmis, ut placeat amatoribus suis; quicquid pulchritudinis non habet per naturam, arte conquirit. Haec autem universa faciebat, ut sequeretur amatores suos, et relinqueret virum.

virum. Tantumque fuit deſiderium voluptatis ac libidinis, ut omnem memoriam amiſerit maritalem, et oblita ſit fuiſſe ſe conjugem. Quamobrem ipſis ſolennitatibus, quibus incendebat thura daemonibus, viſitabitur in plagis et corripietur in poenis."

13. Comminationibus, pro more prophetarum, addit promiſſiones, ſubito facto tranſitu, qualem Cap. I, 10. obſervavimus. Neque enim audiendi ſunt, qui priori hujus verſiculi parte poenas denunciari exiſtimant, ſenſumque faciunt hunc: *propterea* quod ingratiſſima illa mei oblita eſt (Vs. 15.), graviſſimis caſtigationibus et poenis *perſuaſurus ſum ei* (אָנֹכִי מְפַתֶּיהָ), ut mihi deinceps obtemperet, ideoque per Aſſyrios *deducam eum in deſertum* (וְהֹלַכְתִּיהָ הַמִּדְבָּר), et ſic tandem, quum experientia damnorum tractabilis et attentior mihi facta fuerit, *eam conſolabor* (וְדִבַּרְתִּי עַל־לִבָּהּ). Quae interpretatio quam multa textui interponat pro lubitu, eſt manifeſtum. Multo minus vero probanda Grotii hujus Verſus explicatio: „Omnia haec verbis ambiguis dicta ſunt χλευαστικῶς. Verba ſumta ab amatoribus: res longe aliae. Moechi ſolent feminas blandis verbis decipere: Deus illos de decem tribubus egregie decipiet. Moechi ſolent feminas abducere in loca ſola et invia: ſic Deus eos abducet in loca vaſta Aſſyriae. Hoc quoque: *et loquar ad cor ejus* ambiguum. Nam *loqui ad cor* dicitur et qui blanditur, et qui male in ſe animatum male tractat." Quod poſtremum prorſus eſt falſum. Poenarum denunciationes clauduntur Verſu ſuperiore, ſolenni formula נְאֻם יְהוָה, tranſitum ad promiſſiones facit initio hujus Verſus particula לָכֵן, quae ut Arabica لَكِنْ ſive لَكِنَّ, *veruntamen*, vertenda fuerit, quemadmodum Jerem. XVI, 14. XXX, 16. Ezech. XXXIX, 25., quibus locis eadem adhibetur in tranſitu a malorum comminatione ad meliorum temporum promiſſiones. Alii tamen illam uſitatiore ſignificatu *propterea* et hoc loco capiunt, ut Druſius, qui vim ejus ita exponit: „Non

„Non mitigat poenam, sed conatur alia ratione emendare. Quia, inquit, hac non successit, alia aggrediar via: quod severitate non potui, conabor blanditiis efficere.“ Sed prior ratio praestat. הִנֵּה אָנֹכִי מְפַתֶּיהָ *Ecce ego pelliciam eam*, ut 1 Reg. XXII, 20. 22. Alii: *persuasurus sum illi* (cf. Jerem. XX, 7. Ezech. XIV, 9.), q. d. pelliciam ad me blandis verbis, et conabor persuadere, ut, relictis amatoribus. cum quibus hactenus scortata fuit, mecum redeat in gratiam. Chaldaeus: אֲנָא מְשַׁעְבֵּד לַהּ לְאוֹרַיְתָא, *ego subjiciam eam legi.* Alexandrinus in malam partem accepit: ἐγὼ πλανῶ αὐτὴν, quod Theodoretus exponit: ἀλᾶσθαι αὐτὴν καὶ πλανᾶσθαι κατασκευάζω, ut videlicet vaga et exul erret, ut olim per desertum Arabicum, nam statim addit vates, וְהֹלַכְתִּיהָ הַמִּדְבָּר, *et deducam eam* velut *in desertum*, uti olim quum Aegypto migrarent, cf. Deut. VIII, 2. Jerem. II, 2. 6. Optime Liveleus: „Locus consolationis est, quo post maximam eorum afflictionem Deum eos liberaturum esse ostendit, similitudine sumta a liberatione majorum e servitute Aegyptiaca. Primum enim opera Mosis et Aaronis populo suo persuasit, ut Aegyptum relinqueret, et alio se ad colendum Deum conferret, Exod. IV, 30. 31. et XIV. XV. Postea *duxit in desertum*, inde tandem *ad vallem Achoris* (Vs. sequ.), in ipsius terrae promissae possessionem. Cum haec omnia se iterum facturum pollicetur, perinde est ac si dicat, alteram populi liberationem et in optimorum bonorum possessionem adductionem fore. Allegoria est, qualis illa in Eclogis Virgilii [IV, 34. seqq.]:

Alter erit tum Tiphys, et altera quae vehat Argo
Delectos heroas; erunt etiam altera bella;
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Jesajas XI, 15. liberationem populi eadem similitudine declarat: *Siccabit Jova linguam maris Aegyptii, et erit agger populo, qualis olim Israeli fuit, cum ascendit ex Aegypto.*“ Cf. not. nostr. ad Ezech. XVI, 53. Kimchi conferre jubet Ezech. XX, 35. Hieronymus: „Postquam revelata fuerit ignominia meretricis in oculis amatorum ejus,

 et

et reddiderit ei Dominus cruciatus atque tormenta, quia daemonibus Baalim thura fuccenderat, et nequaquam fe ultra de cineribus ac favillis putaverit poffe confurgere; tunc aperiet fpem falutis, et dabit locum poenitentiae, et blandietur ei, hoc enim fignificat *et lactabo eam*, ut poft poenarum magnitudinem dolores priftinos repromiffione mitiget profperorum. *Et ducam eam*, inquit, *in folitudinem*, id eft, educam ex malis, ficut et prius de Aegyptiaca eduxeram fervitute." Chaldaeus: וְאַעְבֵּד לַהּ נִסִּין וּגְבוּרָן כְּמָא דְּעַבְדִית לַהּ בְּמַדְבְּרָא *et faciam ei figna et miracula, qualia feci illi in deferto.* וְדִבַּרְתִּי עַל־לִבָּהּ *Et loquar ad cor ejus*, „verba," inquit Hieronymus, „mollia, verba confolatoria, ut triftitiam gaudio temperem, juxta idioma Scripturarum, quibus verbis et Sichem loquutus eft ad cor Dinae [Genef. XXXIV, 3.], et Jofeph in Aegypto fratribus fuis, triftibus et metuentibus [Genef. L, 21.], ut moeror gaudio mutaretur." Liveleus: „*Ad cor illius loquar*, idem valet, ac fi dicat *eam confolabor*, ut Jefaj. XL, 1. 2. *Confolamini populum meum, loquimini ad cor Hierofolymae.* Hinc pro *παραμυθούμενοι*, *confolantes*, 1 Theffal. II, 11. in Syriaco Teftamento dicitur מלין על לב, *loquentes ad cor* [imo: ܘܡܒܝܐܝܢ ܗܘܝܢ ܠܟܘܢ]. Ratio autem hujus loquutionis eft, quia quos folamur, eos grato fermone alloquimur. Unde factum, ut Latine *alloqui* dicatur pro *confolari*. Varro Lib. V. *de Lingua Latina*: *Allocutum mulieres ire ajunt, cum eunt ad aliquam, locutum confolandi cauffa.* Ovidius *Trift.* 1. Eleg. VII.

Quid fuit ingenti proftratum mole fodalem
Vifere? et alloquii parte levare tui?

Idem igitur Hebraeis eft *ad* vel *fecundum cor loqui*, quod Latinis *alloqui*, cui Graecum *παραμυθέομαι* confonat a *παρὰ*, *ad*, et *μυθέομαι*, *loquor*. Itaque Caftalio non male hunc Hebraismum his verbis interpretatur: *benigne alloquar.*" Cf. et Drusii *Obfervatt.* L. VIII. Cap. I. Chaldaeus: וּבָתַר עִבְדֵי גְבוּרְתָא אֲמַלֵּל תַּנְחוּמִין עַל לִבְּהָא, *et per pro-*

prophetas, ministros meos, loquar consolationes ad cor ejus.

14. וְנָתַתִּי לָהּ אֶת־כְּרָמֶיהָ *Et dabo,* reddam, *ei vineas suas*, quibus olim Palaestinam abundasse constat. Promittit Deus, se curaturum, ut avitas suas possessiones recuperent Israelitae, *vinearum* nomine designatas; ut supra Vs. 11. (al. 14.) *vitium ficuumque* desolatione omnis regionis vastitatem adumbratam vidimus. Eadem promittuntur Jesaj. LXV, 1. Jerem. XXXI, 5. Amos. IX, 14. מִשָּׁם *Inde*, i. e. quum primum ex deserto isto egressa fuerit. Drusius: „*Ex illo loco*, videlicet ex deserto. Aut מִשָּׁם dixit pro *ex illo tempore.* Nam שָׁם interdum valet *tunc* [veluti Ps. CXXXII, 17. Jud. V, 11. Esaj. XLVIII, 16.]. Sic *ibi* sumitur in illo Terentii [Enn. II, 2. 30.]: *Ibi homo coepit me obsecrare.*" Alexandrinus כְּרָמֶיהָ vertit τὰ κτήματα αὐτῆς, quod Drusius τὰ κλήματα αὐτῆς emendandum conjecit, quo vocis hebraicae significatio accuratius exprimeretur. „Facilis sane," inquit Fischerus in *Proluss.* supra ad Vs. 5. commemoratis, „neque dura emendatio, sed ea tamen, qua nomini κλῆμα tribuitur vis insolens, et nova. At locum satis apparebit sanum esse, atque integrum, qui medicinam non poscat, modo teneatur, consuetudinem Alexandrinorum interpretum fere propriam hanc fuisse, ut vocabula generum ponerent pro vocabulis formarum (ut Genes. XLIII, 11. ἀπὸ τῶν καρπῶν pro מִזִּמְרַת, Ps. XXV, 3. ἀνομοῦντες pro בּוֹגְדִים). Itaque κτήματα locis Hoseae et Joelis (I, 11.) in versione Alexandrina sunt *vineae*, non *possessiones.*" Hieronymum pro כְּרָמֶיהָ legisse כֹּרְמֶיהָ *vinitores ejus* (Jesaj. LXI, 5. Joel. I, 11.), apparet, vertit enim: *et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco*, quod in Commentario hoc modo explicat: „Quia blanditias et solitudinem in praeteritae historiae exeuntium de Aegypto similitudine promiserat, in qua Moses et Aaron de eadem gente Judaeorum principes extiterunt, etiam nunc pollicetur, quod *vinitores ejus de eodem loco* daturus sit. *Vineam* intelligi Israel, omnis et veteris instrumenti et novi Scriptura testatur: *vinea Domini Sabaoth*

domus Iſrael eſt [Jeſaj. V, 7.]; et: *vineam ex Aegypto transtuliſti* [Pſ. LXXX, 9.]. Et in Evangelio [Matth. XXI, 33. ſqq.] paterfamilias locavit vineam ſuam, fructusque non recepit, et interfecto filio ſuo noviſſime locavit eam aliis vinitoribus. Hoc igitur prophetalis ſermo promittit, quod principes hujus vineae exeuntes de gentibus et de captivitate hoſtium de ipſo ſint genere Judaeorum.“ Eundem ſenſum expreſſit Chaldaeus: וַאֲמַנֵּי לַהּ יָת פַּרְנָסָהָא מִתַּמָּן, *et conſtituam ei gubernatores ejus inde.* וְאֶת־עֵמֶק עָכוֹר *Et vallem Achor*, i. e. conturbatoris, prope Jerichuntem in ipſo terrae Canaanis ingreſſu, nomen inde nacta, quod in ea populus Iſraeliticus conturbatus eſt ſacrilegio ab Achane commiſſo, cladeque propterea a Deo immiſſa, vid. Joſ. VII, 24. 25. 26. לְפֶתַח תִּקְוָה *In oſtium ſpei* reddam, i. e. quemadmodum olim Iſraelitis iter longum ac difficile per deſertum emenſis, moeror ille, quo in ipſo terrae Canaanis limine affecti ſunt ob ſcelus ab Achane commiſſum, converſus eſt in gaudium, magna parta victoria de Ai (Joſ. VIII.), ex qua totius mox terrae obtinendae ſpem conceperant; ita et redituris aliquando Iſraelitis e terris exteris, poſt triſte et diuturnum exſilium, laeta feliciorum temporum ſpes affulget. Alii *vallem Achor* ſimpliciter ideo commemorari exiſtimant, quia Palaeſtinam ingreſſuros, peragrato deſerto, vallis haec, cis Jordanem ſita, primum exciperet, quae quum eſſet fertiliſſima, laetisque paſcuis abundans, quare in ſimili argumento nominatim laudatur una cum Sarone Jeſaj. LXV, 10., de rebus ſuis bene ſperare juberet reduces. Verum reſpici ſimul etymologiam nominis עָכוֹר, et hiſtoriam, quae legitur Joſ. VII, 24. ſeqq., recte obſervant antiquiores inter Judaeos interpretes. Jarchi: וְאֶת־עֵמֶק עָכוֹר עימק הגלות שהן עכורים שם אתן לה לפתח תקוה תחלת תקוה שמתוך אותן צרות תתן לב לשוב אלי „*Vallemque Achor*, i. e. profunditatem exſilii, in quo Iſraelitae ſunt conturbati, reddam eis *januam*, i. e. initium *ſpei*, quia per iſtas compreſſa (gens) anguſtias animum applicabit, ut ad me redeat.“ Nec aliter Hieronymus: „Promittit, quod locus tumultus

val-

vallisque turbarum, hoc enim interpretatur *Achor,* mutetur in oſtium ſpei, ſive ad aperiendam ſpem atque patientiam, quod idcirco ſupplicia et tormenta perpeſſa ſit, ut per haec ad proſpera perveniret. Quod autem vallis Achor ob furtum eorum, quae Deo fuerant conſecrata, conturbatio et tumultus interpretatur, non, ut quidam putant, διαστροφή, id eſt, *perverſitas* [ita Cyrillus], ipſe Jeſus [i. e. Joſua] interpretatur, loquens de Achan [VII, 25.]: *quia turbaſti nos, conturbet te Dominus in die hac, unde appellatus eſt locus ille Emek Achor,* id eſt, *vallis conturbationis.* Simulque et in hoc intelligimus, quod in principio terrae ſanctae, juxta Hiericho, quando de ſolitudine egreſſus eſt populus, juxta fluenta Jordanis, in prima Iſraelis victoria moeror in gaudium commutatus ſit, ibique aperta eſt ſpes, ubi fuerat deſperatio.“ Chaldaeus: וְיָת מֵישַׁר עָכוֹר לְחַמּוּדֵי נְפַשׁ, *et vallem Achor* reddam *delicias animae.* וְעָנְתָה *Et canet* alterno choro, ut olim Iſraelitae ex Aegypto egreſſi, Exod. XV. Hieronymus: „In eo loco, ubi nos poſuimus *canet,* et LXX. tranſtulerunt ταπεινωθήσεται, id eſt, *humiliabitur,* in Hebraico ſcriptum eſt *antha,* quod Symmachus interpretatus eſt κακωθήσεται, id eſt, *affligetur,* Theodotion ἀποκριθήσεται, id eſt, *reſpondebit,* Aquila ὑπακούσει, id eſt, *obediet,* nos ab Hebraeo κατὰ λέξιν magis accipimus, id eſt, *praecinet,* ut, quia ſemel lactationem, et educationem in ſolitudinem, et vinitores ex eodem loco, et vallem Achor poſuerat, et totam hiſtoriam exeuntium de Aegypto et pergentium ad terram ſanctam brevi ſermone perſtringens, etiam nunc hiſtoriae ſimilitudinem conſervaret. Ut quomodo eo tempore, quando egrediebantur de terra Aegypti, ſubmerſo Pharaone in mari rubro, arripuit Maria tympanum et praecinens ceteris exſultavit, et dixit [Exod. XV, 21.]: *Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt, equum et aſcenſorem dejecit in mare,* ſic nunc quoque ſecundum dies juventutis ſuae, ſive adoleſcentiae ſuae, quando egreſſa eſt de terra Aegypti, canat atque laetetur. Interpretatio Aquilae et Theodotionis, e quibus alter ὑπακού-

σει

σει poſuit, id eſt, *audiet*, alter *ἀποκριθήσεται*, id eſt, *reſpondebit*, nobiscum facit, quod praecinentibus aliis alii reſpondent concinentes. *Humiliabitur* autem et *affligetur*, quod LXX et Symmachus transtulerunt, non convenit tempori laetitiae.“ Chaldaeus pro וְעָנְתָה poſuit וְיִתְחַבְּרוּן לְמֵימְרִי, *et dedent ſe verbo meo.* Videtur verbum hebraeum hoc modo cepiſſe: *reſpondebit* Deo fidem et obſequium poſtulanti ſe ei velle obtemperare. Ita עָנָה Exod. XIX, 8. XXIV, 3. Jarchi verbo עָנָה h. l. *habitandi* ſignificatum tribuit a nomine מָעוֹן, quod non admittit linguae uſus, שָׁמָּה *Ibi*, in terrae patriae limine, in quam e terris exteris redibunt, id quod antea *commutatione vallis Achoris in oſtium ſpei* ſignificari vidimus. Alii: *in vineis ſuis*, quarum hujus Verſus initio mentio facta; ſoliti enim veteres, cum uvas calcarent in vineis, canere; vid. Jud. IX, 27. Jeſaj. XVI, 10. כִּימֵי נְעוּרֶיהָ *Sicut in diebus pueritiae*, ſ. *adoleſcentiae ejus*, „nata fuit in Aegypto: *pueritia* igitur dicitur, cum jam inde profecta mare rubrum trajeciſſet.“ Drusius. Cf. infra XI, 1. Jerem. II, 2. Ezech. XVI, 7. 8. XXIII, 19. Chaldaeus: כְּיוֹמֵי קֶדֶם *ſicut diebus antiquis.* Statim ipſe ſe explicat, dum addit: וּכְיוֹם עֲלוֹתָהּ מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם, *id eſt* (ſic enim ו h. l. vertendum), *ſicut die aſcenſionis ſuae ex terra Aegypti.* Chaldaeus: וְאַף אֲנָא אַעְבֵּד לְהוֹן נִסִּין וּגְבוּרָן כְּיוֹם מַסְּקְהוֹן מֵאַרְעָא דְמִצְרַיִם *et ego etiam faciam eis ſigna et miracula, ſicut tempore exitus eorum e terra Aegypti.*

15. וְהָיָה בַיּוֹם־הַהוּא *Et fiet illo die*, בְּעִדָּנָא הַהִיא *illo tempore* (ut Chaldaeus vertit), de quo Verſu ſuperiori, cum diſperſi per terras exteras in patriam redibant. תִּקְרְאִי אִישִׁי וְלֹא־תִקְרְאִי־לִי בַּעְלִי, cum me allocuta fueris, iſta appellatione uteris, אִישִׁי, nec me amplius בַּעְלִי appellabis. בַּעַל *maritum* quidem aeque ac אִישׁ ſignificat (vid. Geneſ. XX, 3. 2 Sam. XI, 26. Proverb. XII, 4. XXXI, 11. 23. 28.), ſed quia id nomen Jova commune habet cum falſis diis, ideo non vult ita vocari Deus. Simili ratione Jerem. XXIII, 36. uſum nominis מַשָּׂא, alioquin honeſti, prophetis interdicit

dicit, cum in populi contemtum veniſſet. Jarchi אִישִׁי vult nomen eſſe amoris, בַּעְלִי autem timoris, nam proprie ſonat *mi domine*. Sed eum, quem indicavimus, hujus loci ſenſum eſſe, et vidit Hieronymus, qui hoc modo illum enarrat. „Primum omni Aſiae regnaſſe Ninum, Beli filium, omnes et Graecae et barbarae narrant hiſtoriae, qui apud Aſſyrios *Ninum*, ſui nominis condidit civitatem, quam Hebraei vocant Ninive. Hujus uxor Semiramis, de qua multa et miranda referuntur, muros Babylonis exſtruxit, de qua inſignis poeta [Ovidius *Metamorph.* IV, 58.] teſtatur, dicens:

— — — — dicitur altam
Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis urbem.

Hic adverſus Zoroaſtrum magum, regem Bactrianorum forti certamine dimicavit, et in tantam pervenit gloriam, ut patrem ſuum Belum referret in Deum, qui Hebraice dicitur *Bel*, et in multis prophetis, maximeque in Daniele, et juxta Theodotionem, ſub idolo Babylonis hoc appellatur nomine. Hunc Sidonii et Phoenices appellant *Baal*, eadem enim inter ב et ל, literas conſonantes, ע vocalis litera ponitur, quae juxta linguae illius proprietatem nunc *Beel* nunc *Baal* legitur. Unde et Dido Sidonia, regii generis, cum Aeneam ſuscepiſſet hoſpitio, hac patera Jovi vina delibat, *qua Belus et omnes a Belo ſoliti* [*Aeneid.* I, 729.]. Didicimus exordium daemonis, imo hominis in daemonem conſecrati, omnia enim idola ex mortuorum errore creverunt, audiamus cetera: Lingua Hebraea et Syra *Baal* interpretatur ὁ ἔχων, id eſt, *habens*. Si voluerimus dicere: *habens me*, dicimus *Baali*, et apud utramque gentem uxores viros ſuos vocant *Baali*, id eſt, *vir meus*, quod intelligitur, *habens me*, et eſt ſenſus, qui me habet in conjugio. Eadem Hebraeorum lingua vocatur vir *Iſch*, unde et *uxor*, quae de viro ſumpta eſt, in Geneſi appellatur *Iſcha*, quaſi a *vira virago*. Quod ergo dicit Dominus *vir meus*, hoc eſt, cum utroque ſermone, *Iſchi* et *Baali* appellatur *vir meus*, ſive *maritus meus*, tantum odi idolorum nomina, ut etiam quod bene dici poteſt, propter ambi-

guitatem

guitatem et verbi ſimilitudinem, nequaquam velim dici, ſed appellari me *Iſchi* magis, quam *Baali*, ne dum aliud loquitur, alterum recordetur, et virum nominans idolum cogitet.“ Chaldaeus: תִּתְנַהוּן לְפוּלְחָנִי וְלָא תִפְלְחוּן עוֹד לְטַעֲוָת עַמְמַיָּא, *vacabitis cultui meo, nec ſervietis ultra idolis gentium.*

16. וַהֲסִרֹתִי אֶת־שְׁמוֹת הַבְּעָלִים מִפִּיהָ *Et removebo* (ut Ezech. XI, 19. Zephan. III, 11.) *nomina Baalorum ex ore ejus,* gentis Iſraeliticae, tunc in uxorem rurſus recipiendae a Jova (Vs. 18.). Quam Verſu ſuperiori alloquutus erat, de ea jam loquitur in perſona tertia; transitu vatibus hebraeis familiari. Senſus: non ſolum cultum illorum deorum, quae nomen *Baal* gerunt, obliterabo, ſed etiam memoriam nominum, quibus appellantur. Peregrinae ſuperſtitionis abrogatio pertinet ad aurei ſeculi felicitatem, vid. Mich. V, 13. Zachar. XIII, 2. וְלֹא־יִזָּכְרוּ עוֹד בִּשְׁמָם *Nec memorabuntur amplius nominibus ſuis,* reſpicit praeceptum Exod. XXIII, 13. *Nomen deorum alienorum ne recordemini, neque audiatur in ore veſtro.* Alii: cum mentio fiet eorum, non amplius vocabuntur *Baalim.*

17. וְכָרַתִּי לָהֶם בְּרִית בַּיּוֹם הַהוּא עִם חַיַּת־הַשָּׂדֶה *Et percutiam eis,* in eorum bonum, *foedus iſto tempore cum beſtiis agri,* reddam eos tutos ab injuriis non modo hominum, ſed etiam beſtiarum, quaſi foedere illas obligaſſem, ut nullo modo illis noceant. Ita Jobus V, 23. *Cum lapidibus agri foedus tuum, et beſtia agreſtis pacem colit tecum.* Plenius hoc declarant Jeſaj. XI, 6. et Ezech. XXXIV, 25., ad quem loc. cf. not. Eadem promittuntur Levit. XXVI, 6. וְעִם־עוֹף הַשָּׁמַיִם *Et cum volatilibus coeli,* „in queis,“ inquit Druſius, „locuſta, omnium eorum, quae terra producit, certa pernicies, ſi quando ingruerit.“ וְרֶמֶשׂ הָאֲדָמָה *Et reptili terrae,* ut ſunt ſerpentes et ſcorpii. וְקֶשֶׁת וְחֶרֶב וּמִלְחָמָה אֶשְׁבּוֹר מִן־הָאָרֶץ *Et arcum, et gladium et bellum frangam* et amovebo *ex hac terra.* Bellum *frangi* dicitur cum ceſſat. Aut *bellum* vocat

cat belligerantes, vel instrumenti belli, praeter *arcum* et *gladium*, quorum ante mentionem fecit. Chaldaeus: וְעָבְדֵי קְרָבָא אֲבַטֵּל מִן אַרְעָא, *et bella gerentes a terra abolebo.* Cf. Jesaj. II, 4. Ps. XLVI, 10. וְהִשְׁכַּבְתִּים לָבֶטַח *Et cubare* requiescere *eos faciam secure.* Cf. Mich. IV, 4. Sensum eleganter expressit Rittershusius:

— — — tranquilla per orbem
Pax faciet molli placidos requiescere strato;
Rauca nec insomnes turbabunt classica somnos.

Hieronymus: „Quando omnia religionis adversae vocabula fuerint ablata de populo Dominum confitente, *et vocaverit me*, inquit, *vir meus, et nequaquam Baali*, id est, idolum meum, tunc percutiam eis foedus atque concordiam cum bestiis agri, et volucribus coeli, et reptilibus terrae. De hoc tempore et Esajas loquitur [XI, 6.]: *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum haedo accubabit. Vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos. Vitulus et ursus pascentur, et simul requiescent catuli eorum, et leo quasi bos comedet paleas,* nequaquam carnem sanguinemque desiderans, sed mundis atque simplicibus vescens cibis. Pacatisque omnibus arcus et gladius conteretur et bellum. Non enim erunt necessaria instrumenta pugnantium, quum qui pugnent defuerint."

18. וְאֵרַשְׂתִּיךְ לִי *Et desponsabo te mihi* (Deut. XX, 7. 2 Sam. III, 14.), tecum, quae meretrix fuisti, denuo conjugium inibo, te iterum tanquam uxorem tractabo. לְעוֹלָם *In perpetuum*, non ultra dissolvendum, ut antea. בְּצֶדֶק וּבְמִשְׁפָּט quidam vertunt *per justitiam et judicium*, i. e. eo quod tu, uxor, gens Israelitica, in posterum praestabis quod jus et aequum est (coll. Jesaj. I, 27.); quae vero adduntur, וּבְחֶסֶד וּבְרַחֲמִים, *et per benignitatem et misericordiam*, ad Deum referunt, a cujus mera benignitate profecta haec nova desponsatio. Grotius: „בְּצֶדֶק *in justitia*, i. e. benefaciendo; ita enim hoc nomen saepissime usurpatur; מִשְׁפָּט dicitur *quod alicui ex lege debetur*, ut uxori cohabitatio,

victus,

victus, veſtitus; *et in miſericordia et in miſerationibus, condonando peccata.*" Melius Liveleus: „*Juſtitia* et *judicium* ſinceritatem et integritatem animi notant, qua bona fide ſine dolo agitur; *benignitas* vero et *miſericordia*, amorem ac promptam benevolentiam, denique *fides* (אֱמוּנָה Vs. ſequ.) amoris conſtantiam et firmitatem. Quae omnia ad perpetuam inviolati foederis durationem neceſſaria Deus quidem pro parte ſua in priore foedere praeſtitit, populus vero perfide defecit. Hic igitur in novo foedere deinceps fidem utrinque ſervandam fore oſtendit, ne umquam violetur."

19. בֶּאֱמוּנָה *Fide*, intelligit fidem, quae inter conjuges, cf. not. ad Vs. 18. וְיָדַעַתְּ אֶת־יְהוָה *Et cognoſces Jovam*, cf. ſupra Vs. 7. (al. 10.), et Jerem. XXXI, 32—34. Noſtros duos verſiculos ita reddidit Rittershuſius:

Tunc quali ſponſus jungit ſibi foedere ſponſam,
Te mihi devincire juvat; neque ſolvet amatoris
Vincula quantumvis longinqui injuria ſecli.
Te mihi devincire juvat, propriamque dicare:
Pronuba Juſtitia eſt huic et Clementia ſucro;
Judiciumque omnique carens Miſeratio ſine;
Teſtis cana Fides nullo violabilis aevo
Inde tuum agnoſces Dominum, et venerabere cultu.

20. וְהָיָה בַּיּוֹם הַהוּא *Fiet illo die*, aevo illo feliciſſimo, de quo inde a Vs. 14. (al. 17.). אֶעֱנֶה *Reſpondebo* votis, iis annuam, cf. Jeſaj. LVIII, 9., ubi de iisdem temporibus: אָז תִּקְרָא וַיהוָה יַעֲנֶה *Tunc clamabis, et Jova reſpondebit, vociferaberis, dicetque* Jova: *en adſum!* Chaldaeus: אֲקַבֵּל צְלוֹתְכוֹן *ſuſcipiam preces veſtras.* Rittershuſius:

Nemo preces ad me tunc votave inania fundet;
Exaudire juvat facilem, quicunque precantur.

Vides, illud אֶעֱנֶה ſenſum efficere perquam commodum, neque opus eſſe, id cum iis quae ſequuntur hoc modo jungere: *exaudiam, inquit Dominus, exaudiam coelos.*

Multo

Multo minus probandus Lilienthalius, qui, quod in codicum Regiomontanorum altero prius אֶעֱנֶה non punctatum apparet, viſum forſan punctatori non genuinum, aut huic certe non obvium in eo exemplari, e quo puncta alteri adſcriberet, neque ab Alexandrino et Syro expreſſum reperiit, *non male illud omitti* exiſtimavit. אֶעֱנֶה אֶת־הַשָּׁמָיִם *Exaudiam coelos*, nubes, hoc quaſi a Deo petentes, ut ipſas pluvia repleat, quam ad terram demittant. Kimchi: „Hoc oppoſitum illi, quod ſupra Vs. 8. (al. 11.) minatus fuerat, ſe frumentum ablaturum velle. Jam igitur promittit, beatiſſimo illo aevo ſe conceſſurum eſſe, ut coelum, quod antea, ut Achabi tempore, clauſum erat, fundat, pro more, ac demittat in terram rorem ſuum, imbrem et pluviam; quaſi petat coelum, ut ſinatur id facere, quod ipſius mos et conſuetudo ferret, et Deus petenti annuat." וְהֵם יַעֲנוּ אֶת־הָאָרֶץ *Et ii*, coeli, *exaudient terram*, pluviam effundendo ſuper eam, quam terra ſicca poſtulare dicitur, quo irrigetur et apta reddatur ad vim ſuam exſerendam. Chaldaeus: אֲפַקֵּיד יָת שְׁמַיָּא וְאִנּוּן יַחְתּוּן עַל אַרְעָא *praecipiam coelis, et illi demittent pluviam ſuper terram.* Cf. Deut. XXVIII, 28. Jeſaj. XXX, 23. LV, 10. Tibullus L. I. Eleg. VII. Vs. 25. ſic Nilum alloquitur:

Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres,
Arida nec Pluvio ſupplicat herba Jovi.

Locum non abſimilem Euripidis attulerunt Druſius et Grotius:

Ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ᾽, ὅταν ξηρὸν πέδον
Ἄκαρπον αὐχμῷ νοτίδος ἐνδεῶς ἔχει·
Ἐρᾷ δ᾽ ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
Ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν Ἀφροδίτης ὕπο.
Cerne, amet ut imbrem terra, cum ſterile ſolum
Squalore lugens poſcit humectas opes:
Rurſus amat et aether ipſe, Venerisque impetu
Foetos madoris explet in terram ſinus.

21.

21. וְהָאָרֶץ תַּעֲנֶה אֶת־הַדָּגָן *Et terra exaudiet frumentum*, tanquam id poſtularet, ut terra produceret ipſum, i. e. proferet terra frumentum, אֶת־הַתִּירוֹשׁ, *et muſtum*, i. e. uvas, ex quibus muſtum exprimitur. Simili figura Plautus, Druſio obſervante, *vinum pendulum* dixit, ut uvas denotaret. וְאֶת־הַיִּצְהָר *Et oleum*, olivas, e quibus oleum exprimitur. Cf. Ezech. XXXIV, 27. וְהֵם יַעֲנוּ אֶת־יִזְרְעֶאל *Et ea exaudient Jizreelem*, reſpondebunt votis eorum, qui olim malo omine *disperget Deus* (ſupra I, 4.) vocati, nunc eodem nomine, ſed fauſto ſenſu, *ſeminabit Deus* (cf. Vs. ſequ.), appellantur. Drusius: „יַעֲנוּ *Exaudient*, ad verbum: *reſpondebunt*, ut Columella III, 3. *Queruntur non reſpondere ſibi vineta, quae vel per avaritiam, vel inſcitiam, vel per negligentiam perdiderunt. Jezraelem*, priorem filium prophetae, qui typus erat populi per gentes disperſi, cui nunc reverſo in terram patriam omnia abunde ſuppetent."

22. וּזְרַעְתִּיהָ לִּי בָּאָרֶץ *Et ſeminabo eam mihi in terra*, i. e. late ſpargam, ut quae jaciuntur ſemina, multiplices eos reddam; cf. Jerem. XXXI, 27. Alludit ad nomen יִזְרְעֶאל, in quo eſt *ſeminandi* notio, vid. not. ad I, 4. Gens illa, cujus Deus videbatur abjeciſſe curam, et a patriis finibus in exilium mandaſſe, terrae ſuae, Iſraelitidi, reſtituetur, ut ibi, ſicut olim, pacate et abundanter vivat, in eaque genus ſuum propaget et amplificet, ſicut mandata terrae ſemina multiplici foetu cumulantur. Quod autem *terra* hic non univerſam ſignificet terram, ſed illam, quam ſuo olim populo Jova adſcripſit, probat praepoſitus articulus; eſt enim בָּאָרֶץ pro בְּהָאָרֶץ, *in hac terra.* Hinc Chaldaeus: וַאֲקַיְמִנְכוֹן קֳדָמַי בְּאַרְעָא בֵּית שְׁכִנְתִּי, *et plantabo vos coram me in terra domus habitationis meae.* וְרִחַמְתִּי אֶת־לֹא רֻחָמָה *Miſerebor ejus*, quae nomen habuit ab eo, quod *non ſit conſequuta miſericordiam*, I, 6.; de qua deinde non audietur hoc nomen, quum ipſa mores et ſtudium mutaverit, ſed dicetur *Ruehama*, id eſt, miſericor-

ſericordiam conſequuta, quia illius tunc miſerebitur Deus, cum ab amatorum conſuetudine ad mariti thalamum redierit. וְאָמַרְתִּי לְלֹא־עַמִּי עַמִּי־אַתָּה *Et dicam* ei quae antea vocabatur *non populus meus* (I, 9.), *populus meus es tu*, quo nomine appellabitur, quia peregrinos deos non agnoſcet, ſed divinis legibus ſeſe attemperabit. וְהוּא יֹאמַר אֱלֹהָי *Et ille* viciſſim *dicet: tu*, Jova, *es Deus meus*, te ſolum Deum veneror.

Cap. III.

Argumentum.

Nova imagine sub persona *mulieris adulterae*, quam propheta jubetur amare, status populi ostenditur, qui licet falsos deos coleret, tamen a Deo diligeretur, nec prorsus repudiaretur; mariti instar, qui uxorem adulteram non desert ad judicem morti adjudicandam, sed fert patienter, a concubitu tamen ejus interim abstinens. Duae sunt hujus Capitis partes, quarum prior imaginem de ducenda adultera proponit (Vs. 1—3.), posterior eandem explicat (Vs. 4. 5.).

Vid. J. G. Lackemacheri *Commentat. de Hosea uxorem certo pretio sibi comparante, Hos. III,* 1—4. in *Observatt. philologg.* P. IV. Observ. IV. p. 74. seqq.

---

1. „Postquam absolvit verba consolatoria, redit ad increpatoria, ad suae aetatis homines sermonem convertens. Atque id moris est prophetis, increpationes permiscere consolationibus in suis concionibus. Dicit autem עוֹד, *adhuc*, denuo, quia jam jusserat ei, ut uxorem duceret meretricem.“ Kimchi. לֵךְ אֱהַב־אִשָּׁה *Age! dilige mulierem.* „Non dicit *accipe* (קַח, ut I, 2.), sed *dilige*; antea enim *acceperat*, i. e. duxerat. Atque hinc perspicuum, uxorem illam fuisse scortatam etiam in matrimonio. Unde non est credibile, ductam fuisse a propheta extra visionem. Nimis crassa est aliter sentientium quorundam opinio.“ Drusius. אֲהֻבַת רֵעַ *Amatam socii*, s. *socio*, thori, marito, tibi, Jerem. III, 20. Alii: ab alio quodam amatore amatam, coll. Jerem. III, 1.

III, 1. *Scortata es cum amicis multis.* Sed malumus illud, quia mox dicitur *adultera*, מְנָאָפֶת, Ezech. XVI, 22. Augetur mulieris peccatum amore mariti, quo neglecto adultera ſit. כְּאַהֲבַת יְהוָה אֶת־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Qualis dilectio Jovae erga filios Iſrael*, q. d. ſimilis plane amor eſt Dei erga Iſraelem, ut cum maritus amat uxorem impudicam adulterantem. Cf Deut. VII, 8. X, 15. et infra IX, 15. Quemadmodum illa, non obſtante amore mariti tenerrimo, parum fidam ſe ipſi praebet ſociam, ita Iſraelitae quoque, evidentiſſima licet amoris ſinceri Jovae ſigna experti, et beneficiis infinitis ei obſtricti, fidem ipſi datam violant, פֹּנִים אֶל־אֱלֹהִים אֲחֵרִים *convertentes ſeſe ad Deos alios,* quos partim ab Aegyptiis, partim a gentibus vicinis aliis adſcivere. Chaldaeus eam, quam explicavimus, Verſus hujus partem ſic exponit: *Vade, vaticinare prophetiam adverſus domum Iſrael qui ſimiles ſunt mulieri ſuo marito cariſſimae, quae licet ei infida ſit, adeo tamen ab eo diligitur, ut non velit eam dimittere. Talis eſt amor Domini erga Iſraelitas; at ii ſe vertunt ad idola populorum.* Hieronymus: „Priori mulieri in typum decem tribuum, vel totius Judaici populi fornicantis propheta jungitur, et abjectos filios atque cruciatos tandem recipit in ſalutem; hic jubetur, ut adhuc diligat adulteram mulierem. Quando dicitur *adhuc,* oſtendit, quod prius amaverit fornicariam, quae adultera vel diligat illa mala, vel diligatur ab amico et proximo; *Ra* enim verbum hebraicum vel *malum* [ita LXX ἀγαπῶσαν πονηρά, a רָעַע, *malum eſſe*], vel *amicus* [a רָעָה, *ſociare*]. Et ne putemus, dilectionem prophetae in adulteram aliud quid ſignificare, quam Dei dilectionem in filios Iſrael. Ergo quod propheta diligit adulteram, et tamen non ei matrimonio copulatur, nec fornicatione conjungitur, ſed tantum diligit delinquentem, typus Dei eſt, qui filios Iſreel peſſimos diligit, qui quum diligantur a Domino, ad Deos alienos idolaque reſpiciunt." וְאֹהֲבֵי אֲשִׁישֵׁי עֲנָבִים *Et amantes lagenas uvarum,* ut vulgo vertunt, i. e. vini ex uvis expreſſi lageniſque inditi. Sed *lagenae* ſignificatio, quam nomini

אֲשִׁישׁ

אֲשִׁישׁ tribuunt, nulla ratione satis firma nititur; certe addita *uvarum* mentio, ut simile quoddam adjunctum, ex quo tribus aliis in locis, quibus forma feminina אֲשִׁישָׁה reperitur, 2 Sam. VI, 19. Cantic. II, 5. 1 Chron. XVI, 3., *vas* aliquod *vinarium* significari colligunt, ad hanc vocis potestatem constituendam minime sufficit. Hebraei nomen illud ad שֵׁשׁ, *sex*, referentes proprie *sextarium*, hinc *lecythum* aut quodvis aliud *vas vinarium* eo significari opinantur. Ipso nostro nomine, in plurali (אֲשִׁישִׁין) utitur Jonathan Exod. XVI, 31. pro hebraico צַפִּיחִת *placenta* (בִּדְבַשׁ, *cum melle*, ut illic additur). Eodemque significatu nomen hebraeum ceperunt LXX tam hoc loco, quo *πέμματα μετὰ σταφίδος, placentas cum uvis passis,* quam 2 Sam. VI, 19., ubi *λάγανον ἀπὸ τηγάνου, placentam in sartagine coctam,* et 1 Chron. XVI, 3., ubi *ἀμορίτην, placentam mellitam,* posuerunt. Drusius: „Dicitur *πέμμα,* quando latius sumitur, *πᾶν τὸ πεπτόμενον,* אֲשִׁישֵׁי *πέμματα,* tanquam ab אֵשׁ, *ignis,* nam igne coquimus.“ Hieronymus: „Pro *pemmatibus,* quae LXX transtulerunt, et comeduntur cum uvis passis, sive vinaceis, *placentas* latine possumus dicere, vel *crustulas,* quae idolis offeruntur, et graece appellantur *πόπανα.*“ De quibus vid., praeter Hesychium et Suidam, Scholia et Interpretes ad Aristophanis Plutum Vs. 660., et J. E. Fabri *Descriptionem Commentarii in Septuaginta Interpretes,* Gotting. 1768. p. 4—7. Istiusmodi placentarum mentionem h. l. perquam aptam esse, unusquisque intelligit ipse. Magnus autem illarum usus erat in sacris, et diversa exstabant earum genera, de quibus vid. Porphyrium *de Abstinentia* p. 114. edit. de Rhoer. In Phoeniciorum sacris, quae praesertim imitabantur Israelitae, id constat ex Jerem. VII, 18., ad quem loc. vid. Interpp. Videntur igitur אֲשִׁישִׁים ab אֵשׁ proprie *tosta,* hinc *placentae frixae* esse (Arabibus ejusdem radicis nomen أَشّ est الخُبْزُ اليابِسُ *panis siccus,* vid. *Lexic. Camus* Vol. I. p. 815. edit. Calcutt.), et, quum h. l. *uvarum,* עֲנָבִים nomen additum sit, *placentae*

uvis

uvis paſſis, ſ. *melle uvarum conditae.* Ejusmodi τραγήματα commemorat Martialis L. VII. Epigr. 19.

Dulci placenta ſordidam linit mappam,
Illic et uvae collocantur ollares.

Michaelis in *Supplemm.* p. 142. cum Syro interprete, qui ܕܒܫܐ ܕܩܫܡܫܐ, *mel uvarum paſſarum* poſuit, nomine אֲשִׁישׁ ſignificari exiſtimat Sirup aliquod ex uvis paſſis paratum, quod in firmam ſubſtantiam redigi, atque ſic vendi ſolet; cujus uvarum mellis alias דְּבַשׁ dicti, frequens hodienum in Oriente uſus, vid. not. ad Geneſ. XLIII, 11. Aquila, Hieronymo teſte, παλαιά, *vetera,* vertit, ut *antiqua delicta* indicentur, eodem Hieronymo notante; non quod יְשִׁישֵׁי legit, ut Dathius conjecit (in *Diſſertat. in Aquilae Reliquias interpretationis Hoſeae* §. X. in Ejus Diſſertatt. junctim editt. Lipſ. 1796. p. 52.), ſed, ut recte Michaelis l. c. obſervavit, quod יְשִׁישֵׁי ſignificatione non diverſum exiſtimavit a אֲשִׁישֵׁי. Symmachus ἀκάρπους, *ſteriles,* vertit. Hieronymus vero ipſe, *vinacia uvarum,* „quae vina non habent, et priſtinam gratiam perdiderunt," interpretatur. Chaldaeus: בְּרַם אִם יְתוּבוּן יִשְׁתְּבֵק לְהוֹן וִיהוֹן דָּמַן לִגְבַר דְּאִשְׁתְּלֵי וַאֲמַר מִלָּא בְּחַבְרֵיהּ *verum ſi convertantur, remittetur iis, eruntque ſimiles viro, qui erravit, dixitque verbum contra ſocium ſuum.*

2. Quod Verſus ſuperioris initio mandatum accepiſſe a Deo dixerat, id nunc narrat ſe exſequutum eſſe. וָאֶכְּרֶהָ לִּי *Et emi,* ſive, ut alii volunt, *conduxi eam mihi.* Verbum כָּרָה de *aquae emtione* ponitur Deuter. II, 6.; cui notioni, quam verbum illud in nulla alia dialectorum cognatarum habet, vicinus eſt *conducendi* ſignificatus, Arabico كَرَو frequens. Vid. J. D. Michaelis *Collegium criticum in Pſalm. XL.* (*Kritiſches Collegium über die drey wichtigſten Pſalmen von Chriſto* etc.), p. 330—350., et *Supplemm.* p. 1351. *Conducendi* ſignificatum expreſſerunt LXX: καὶ ἐμισθωσάμην αὐτὴν ἐμαυτῷ, unde cogitant interpretes

Graeci de *mercede* promiſſa mulieri ſe continenti, et pactis cum ea initis. E quorum mente Hieronymus: „Sin autem legerimus *conduxi,* adulterae pretium eſt, non ut cum propheta dormiat, ſed ut contenta mercede ſua adulterare deſiſtat, nec paſſim ceteris copuletur.“ Hieronymus ipſe reddidit: *et fodi eam mihi* (uſitatiorem verbi כָּרָה notionem expreſſit), addiditque, „verbum hoc oſtendere *vineam,* quae a Domino plantata eſt, et in multis locis ponitur Scripturarum, ſignificantem populum Judaeorum.“ Quae metaphora tamen quum prorſus aliena ſit ab hoc loco, mulierem exhibente, alii, qui *fodiendi* ſignificatum h. l. retinendum exiſtimarunt, cogitarunt de perforatione auris in ſervis voluntariis, de qua Exod. XXI, 6. Deut. XV, 17., ut *mancipatio* mulieris indicetur. Sed *emendi* notione verbum כָּרָה h. l. ſumendum eſſe, non ſolum arguit additum pretium, verum etiam mos Hebraeorum, conjuges a parentibus emere. Sic Jacobus uxores, Rachel et Leam, utramque dura ſeptem annorum ſervitute emit, Geneſ. XXIX, 18. 27. Sichem ſibi emere vult Dinam, Jacobi filiam, cujus ambibat nuptias, Geneſ. XXXIV, 12. Cf. Exod. XXII, 16. 1 Sam. XVIII, 23. 25. 2 Sam. III, 14. Eundem morem etiamnum inter Arabes Scenitas vigere, recte obſervat Lackemacher in *Obſervatt.* P. IV. p. 76. ex Arvioſio (*Voyage dans la Paleſtine,* publié par de la Roque, Paris 1717. p. 269., et vers. noſtr. vernac. cui epigraphe: *die Sitten der Beduinen-Araber,* p. 119.). Cf. J. D. Michaelis *Moſaiſches Recht* P. II. §. 85. p. 104. edit. prim. Ceterum in אֶכְּרֶהָ Dageſch eſt *euphonicum,* Kimchio obſervante, ut in יִקְּרֵךְ *obveniet tibi,* 1 Sam. XXVIII, 10. Non igitur audiendus Aben-Eſra, qui noſtram vocem ad נָכַר refert, quod verbum in Cal tamen obvium *agnoſcendi* ſignificationem habet, Geneſ. XXXVII, 32. 33., ut vertendum ſit: *et agnovi eam.* A quo haud multum diverſus Gussetius, qui in *Commentarr. Ling. Ebr.* ſub rad. נָכַר ſigno R. „Verbum hoc,“ inquit, „occurrit tantum in Niphal, Pihel, Hiphil et Hithpahel, non in Cal. Sed, ſi libet, in Cal ſumere potes Hoſ. III, 2. וָאֶכְּרֶהָ,

et

et exponere *notitiam cum ea contraxi.*" Addit tamen: „Quanquam כָּרָה satis convenit in notione *emendi* et *parandi sibi*, et Dagesch superfluum exempla habeat." בַּחֲמִשָּׁה עָשָׂר כָּסֶף *Quindecim argenti*, scil. numis, vel siclis, שֶׁקֶל, quod additur Num. VII, 13. Levit. XXVII, 3. 4. aut שְׁקָלִים, Exod. XXI, 32. כֶּסֶף solum, ut h. l., ponitur Genes. XXXVII, 28. et Deut. XXII, 29. „*Argenteis numis*," inquit Drusius, „nec est dubium, quin certum genus intelligat; quale autem id fuerit, aliis divinandum relinquo. Doctores [Hebraei] dicunt, per argenteos numos in Lege *Siclos* denotari, in Prophetis vero לִיטְרִין, *libras*." Vulgo tamen hic *siclos* intelligunt; sed de sicli pondere dissentiunt, duasne an quatuor drachmas, vel semunciam valuerit. וְחֹמֶר שְׂעֹרִים *Et pro Chomere hordei*, quod in plurali numero ponitur, ob granorum, uti videtur, multitudinem, quemadmodum in nonnullis Graecis codicibus est κριθῶν, in aliis κριθῆς. De חֹמֶר, qui *decem Ephas*, aut *centum Omeres* continebat, cf. not. ad Ezech. XLV, 14. Pro חֹמֶר in LXX legitur γομὸρ, quod Graecis librariis tribuit Drusius, חֹמֶר cum עֹמֶר (Exod. XVI, 16.) confundentibus, quum sint mensurae diversae, etiam literis distinctae, *Cheth* nempe in *Chomer*, quam literam per X semper exprimere solent illi interpretes, *Ain* vero in *Omer* s. *Gomer*, cui apud illos respondet Γ. Hieronymus: „*Chomer* omnes interpretes, praeter LXX, *corum* interpretati sunt sermone Graeco, et maxime Palaestino [כֹּר, 1 Reg. IV, 21. V, 11.]; qui habet triginta modios." לֶתֶךְ, hoc solo loco obvium, omnes interpretes, eodem notante Hieronymo, praeter LXX, „ἡμίκορον *hordei* transtulerunt, id est, *mediam partem cori*, quae facit quindecim modios." Qui factum fuerit, ut pro לֶתֶךְ שְׂעֹרִים LXX ponerent νέβελ οἴνου, ex Jerem. XIII, 12., difficile dictu. Quod vates uxorem narrat sibi comparasse *hordeo*, factum existimant alii, quod nuptiae olim *confarreatione* contraherentur (apud Romanos, in V. T. vero ejus ritus nullum vestigium); alii, quod victus hic vilior (cf. Jud. VII, 13. Ezech. IV, 12. XIII, 19.), et servilis, emtae uxori esset tri-

buendus, quemadmodum ad annuum victum Romani servis assignarunt modios octo et quadraginta, qui modios quadraginta et quinque Hebraeorum efficerent. Alii ad fertum mulieris adulterio suspectae, quod *farina hordeacea* constabat (Num. V, 14. seqq.), alludi existimant. Hieronymus: „Non vescitur cibo hominum, frumento et legumine, sed hordeo irrationabilium jumentorum. Unde et in Lege mulier, quae a marito accusatur adulterii, in potatione τοῦ ἐλέγχου, id est, *convictionis*, quando arguitur in peccato, farinam accipit hordei; quae enim imitata est equos et mulos, quibus non est intelligentia, equorum atque mulorum sustentatur alimentis." Etsi vero hordeum inter alimenta jumentorum commemoratur 1 Reg. IV, 28. (al. V, 8.); minime tamen his ita privum erat, ut nec hominum victui inserviret; imo videtur apud Israelitas antiquissimus et maxime communis cibus fuisse, vid. praeter loca allata Deut. VIII, 8. Ruth. III, 15. Joh. VI, 19. Quare quod argento pro muliere soluto h. l. jungitur hordeum, nulla alia videtur ratio fuisse, quam quod illa aetate in commerciis aeque quam in tributis vel merces solae, vel cum argento dari solerent, vid. e. c. Nehem. V, 15. Chaldaeus hunc Versum ita exponit: *Redemi eos per verbum meum die decima quinta mensis Nisan, et dedi argentum siclorum in redemtionem animarum eorum; et praecepi, ut offerrent coram me manipulum oblationis de fructu hordei.* Eandem explicationem, a magistro suo hebraeo haud dubie acceptam tradit Hieronymus: „Quinta decima illucescente mensis Nisan percussa sunt Aegyptiorum primogenita, et Israelis de Aegypto eductus est populus, ac in servitutem Dei mercede conductus. Denique pro primogenitis Israel, quae plagam non sensere communem, quinque argenti accipe siclos, qui in templi donaria conferuntur." Quae interpretatio eo nititur, quod juxta rationem Arithmeticam (*Gematriam*, גִּמַטְרִיָּא, vocant Hebraei, voce e Graeco γεωμετρία facta), literae vocis כסף, si pro numeris usurpantur, valent 160, totidemque נסן. Cujus artificii, seu potius lusus, exempla

exempla plura vid. in Buxtorfii *Lexic. Chald. et Talmud.* p. 446. Mitto alia mysteria, quae in pretio a vate pro uxore persoluto quaerunt Hebraei; legi possunt apud Abarbenelem. Commemoratu tamen haud plane indigna Mangeri observatio, pretium illud fuisse, quo servi et ancillae in republica Hebraea fere aestimarentur ex lege, quae exstat Exod. XXI, 32. Id enim quum triginta siclorum esset; Hoseas, uxorem servilis conditionis emturus, quindecim siclos, sive numos argenteos persolvit, iisque totidem addidit Ephas, ut reliquam triginta numorum summam hac ratione perficeret.

3. Sequitur ipsum pactum, sive res pacti, de qua propheta cum muliere transegit; scilicet non matrimonium, ut quidam volunt, sub conditione vitandae scortationis; sed ut illa per plures dies solitaria maneret. יָמִים רַבִּים תֵּשְׁבִי לִי *Per dies multos sedebis mihi*, quod Hieronymus *exspectabis me* interpretatur, et sane שָׁבַת לִפְלוֹנִי, *sedere alicui*, est eum praestolari, vid. Exod. XXIV, 14. Jerem. III, 2. Alii respici existimant legem de ducenda muliere captiva, quae, antequam ad thorum admitteretur, *sedere* domi, et mensem integrum parentes deflere debebat, Deut. XXI, 13., ut *sessio* indicet luctuosam mansionem, coll. Jesaj. XLVII, 5. Jerem. XIII, 18. Thren. III, 28. Sed sensus verborum תֵּשְׁבִי לִי simplicissimus est: *sedebis mihi*, tanquam mea, exclusis aliis viris; statim enim additur: לֹא תִזְנִי וְלֹא תִהְיִי לְאִישׁ, *non scortaberis, nec eris viro* alii, nec etiam nubes alii; matrimonium enim hac formula indicari, patet ex Levit. XXI, 3. Ezech. XVI, 8. Unde Paulo Rom. VII, 3. 4. uxor *γενομένη ἀνδρί*. Hieronymus: „Quod jungitur in editione Vulgata: *neque eris alteri viro* [LXX: *οὐδὲ μὴ γένῃ ἀνδρὶ ἑτέρῳ*], *alteri* in Hebraico non habetur, sed simpliciter: *non eris viro*: si enim ponatur: *alteri*; subauditur, quod a suo habeatur viro; quando autem absolute dicitur: *non eris viro*, intelligimus, quod nulli jungatur omnino, et absque coitu maritali sit.“ Sed verborum hebraeorum vis haec potius est: abstinendum mulieri illi esse ab omni,

tam

tam legitima, quam illegitima virorum consuetudine. A mariti consuetudine abstinendum illi esse, dicunt verba, quae in fine versiculi adduntur: וְגַם־אֲנִי אֵלָיִךְ, quae, repetita *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* negandi particula, Aben-Esra et Kimchi sic interpretantur: וְגַם־אֲנִי לֹא אָבוֹא אֵלָיִךְ, *nec etiam ego ad te veniam*, tecum rem habebo. Sensum totius versiculi Hieronymus recte hunc esse ait: „Nec aliis amatoribus turpiter te prostitues, nec mihi viro, a quo conducta es, legitime conjungeris. Ostendit, quod interim modo idolis non serviat, nec tamen habeat Deum, sed et amatoribus et viro spoliata sit.“ Alii verba nostri Versus postrema sensus capiunt plane contrario: *attamen ego iterum ad te* scil. *respiciam*, sive, *veniam*, q. d. etsi diuturnae solitudinis acerbitas meo jussu a te ferenda erit, vinculum tamen nostri amoris non penitus disrumpam, neque aliam mihi in uxorem adsumam, sed tuus manebo, in gratiam te tandem recepturus, et conjugis meae loco iterum habiturus. Eandem sententiam expressit Chaldaeus: *Propheta, dic ei: congregatio Israel, peccata vestra causa fuerunt vobis exsilii per multos dies; tradetis vos cultui meo, non errabitis, neque coletis idola, atque etiam ego miserebor vestri.* Qui hunc adsciscunt sensum, verba לֹא תִזְנִי וְלֹא תִהְיִי לְאִישׁ parenthetice posita volunt ad explicationem eorum, quae proxime praecedunt, תֵּשְׁבִי לִי, quae quum affirmativa sint, iis non oportere dicunt necti negativa, sed itidem affirmativa וְגַם־אֲנִי אֵלָיִךְ. Praeterea sensu bono haec verba capienda esse, patere ajunt e Versu quinto, qui illorum explicationem contineat. Verum enimvero solus Versus quartus nostri tertii versiculi imaginem explicat. Versus quintus tristibus, quae in eo, quod praecedit Capitis, allegorice repraesentantur, Versu quarto autem explicantur, promissionem addit, non imagine, sed verbis propriis expressam. Neque nostrorum verborum, וְגַם־אֲנִי אֵלָיִךְ, expositio commode haberi potest Versus quintus, quippe qui non quid Deus sit facturus, sed quomodo Israelitae erga Deum sese sint gesturi, praedicit.

4. Ad-

4. Additur explicatio eorum, quae Verſibus ſuperioribus *ἀλληγορικῶς* erant propoſita. Exſtat in hunc Verſum et proximum peculiaris Diſſertatio Praeſ. Dav. Clodio defenſa ab *Everh. ab Hamel*, Giſſae, 1673., et repetita in *Theſauro Novo Theologico - Philolog. ex Muſeo Theod. Haſaei et Conr. Ikenii* P. I. p. 1009. ſeqq. כִּי *Nam*, q. d. ut cauſſam exponam, cur iſta omnia a me fieri Deus juſſerit, explicabo vobis, Iſraelitis, jam, quid eis ſignificetur. Ratio rei typice gerendae eſt ejus ſignificatio. יָמִים רַבִּים יֵשְׁבוּ *Per multos dies ſedebunt*, manebunt quaſi in luctu, Vs. 3., ex quo eadem formula *ſedendi longo tempore* data opera repetitur, ut comparatio, quae nunc ab adultera ad ipſum populum transfertur, eo evidentius obſervari poſſet. בְּנֵי יִשְׂרָאֵל Decem tribus, Vs. 1. אֵין מֶלֶךְ וְאֵין שָׂר *Sine rege et ſine principe*; אֵין pro מֵאֵין, *ita ut nullus ſit, absque*, ut Exod. XXI, 11. *Exibit gratis* אֵין כָּסֶף *absque argento.* Vid. et Num. XX, 19. Deut. XXXII, 4. LXX: *οὐκ ὄντος βασιλέως, οὐδὲ ὄντος ἄρχοντος.* Chaldaeus: לֵית מַלְכָּא מִבֵּית דָּוִד וְלֵית דְּעָבִיד שׁוּלְטָן עַל יִשְׂרָאֵל *Non erit rex de domo David, nec erit dominium exercens ſuper Iſrael.* Significatur everſio reipublicae; neque enim nulli plane humanae poteſtati ſubjectum populum cogitare docet; ſed hoc vult, nullum ex ſua gente regem, aut alium quemcunque ducem iis fore. Talis enim cum *αὐτονομία* et reipublicae forma omni tollendus erat, quando in poteſtatem hoſtium erant tradendi. Similiter *rex* et *princeps*, ſ. proceres, qui ei proximi ſunt et a conſiliis, conjunguntur Amos. I, 15. Jerem. XLIX, 38. Omnem porro cultum publicum vel Jovae vel ſimulacrorum abolendum inter Iſraelitas minatur. וְאֵין זֶבַח *Et absque ſacrificio*, ſcil. Jovae rite offerendo. זֶבַח etſi et de ſacrificio idolis oblato dicitur, veluti 1 Reg. XII, 32., hoc tamen loco, uti plerisque reliquis, de ſacrificio legitimo uſurpari, et addito מַצֵּבָה opponi, docet hemiſtichii poſterioris parallelismus, quo אֵפוֹד *τοῖς* תְּרָפִים opponitur. Recte igitur Chaldaeus: וְלֵית דְּדָבַח לְרַעֲוָא בִּירוּשְׁלֶם, *nec erit qui ſacrificet in beneplacitum Hieroſolymis.* וְאֵין מַצֵּבָה

Et

Et absque statua falsi dei, ut מַצֵּבַת הַבַּעַל, *statua Baalis* 2 Reg. III, 2. X, 27. cf. X, 26. XVII, 10. Chaldaeus: וְלֵית קָמְתָא בְּשֹׁמְרוֹן, *nec erit statua in Samaria.* Quemadmodum זֶבַח ad Judam retulit, uti vidimus, ita מַצֵּבָה ad regnum decem tribuum. Alexandrini, qui eam vocem alias στήλην vertere solent, hic ponunt: οὐδὲ ὄντος θυσιαστηρίου, quos sequutus Hieronymus: *et sine altari.* Vel מִזְבֵּחַ legerunt, vel *altare* מַצֵּבָה ab *erigendo* dictum opinati sunt. Quod probat Spencerus *de Leg. Hebraeor. Rituall.* L. III. C. III. Dissert. VII. p. 336. edit. Hag. 1686. in quat., ubi Graecam interpretationem pluribus defendere studet, sed irrita opera; refragatur enim usus loquendi, qui solum מִזְבֵּחַ de *altari* usurpat, numquam מַצֵּבָה, quod a נָצַב, *stetit,* ℒ. הִצִּיב, *statuit, erexit,* proprie unum tantum lapidem erectum denotat, ut Genes. XXVIII, 18. 22., ubi de lapide in honorem Dei, ad effundendum sive libandum in eo oleum dicitur, unde de quolibet alio signo lapideo, vel in foederis initi confirmationem, Genes. XXXI, 45., vel in perpetuam mortuorum, Genes. XXXV, 19. cf. 2 Sam. XVIII, 18. 2 Reg. XXIII, 17., vel rei alicujus prospero successu gestae memoriam erecto, ut 1 Sam. VII, 1. usurpatur. Etsi igitur מַצֵּבָה, non minus ac זֶבַח, per se sit vocabulum medium; hoc tamen loco, ubi de cultu religioso publico est sermo, in malam partem, de statuis in honorem falsorum deorum, vel eorum simulacris, super statuas collocatis, adhiberi patet. Nam in cultus Jovani ritibus, *statuarum,* מַצֵּבוֹת, usus vetitus erat, Deut. XVI, 22. וְלֹא תָקִים לְךָ מַצֵּבָה אֲשֶׁר שָׂנֵא יְהוָה אֱלֹהֶיךָ. *Nec erigas tibi statuam, quae odio est Jovae Deo tuo.* Et Levit. XXVI, 1. *Ne faciatis vobis idola, et sculptilia,* וּמַצֵּבָה לֹא־תָקִימוּ לָכֶם, *nec statuam vobis erigatis.* Recte igitur nostro loco ex Hebraeis interpretes quotquot nobis innotuerunt, מַצֵּבָה *statuam in usum superstitiosum,* seu *in honorem Baalis* erectam explicant. Addit vates, Israelitas per longum tempus fore וְאֵין אֵפוֹד, *et sine Ephod.* Id erat vestimentum extimum breve, in lateribus scissum et sine manicis, duabus constans plagulis in humero-

fibulis

fibulis nexis, et inde ad dimidias nates dependentibus, quarum altera, poſterior, tergum, altera, anterior, pectus et ventrem tegebat. Vid. Exod. XXVIII, 6—14. et BRAUN *de Veſtitu Sacerdot.* L. II. C. VI. §. 16. Duplex autem Ephodis genus memoratur, *vulgare* unum, et *pontificium* alterum. *Vulgare* lineum erat, quo, ut a reliquo populo diſcerni poſſent, in faciendis ſacris non modo ſacerdotes et Levitae, ſed etiam qui ex aliis tribubus ſacra faciebant, uſi leguntur. David enim 2 Sam. VI, 14. ante arcam ſacram praeceſſiſſe narratur non indutus regio ornatu, ſed אֵפוֹד בַּד, *Ephodo lineo*, tanquam aliquis e ſacerdotibus arcae miniſtrantibus. Tali Ephod lineo induti quoque dicuntur Samuel, puer etiam tum Deo ſerviens, 1 Sam. II, 18., et ſacerdotes LXXXV a Saule occiſi, 1 Sam. XXII, 18. Ephod *pontificium* indumentum erat artis et pretii non vulgaris, utpote gemmis, auro, variis etiam coloribus diſtinctum et variegatum, quod ſoli Pontifici geſtare concedebatur. Huic Ephod per certos annulos et catenulas *pectorale* (חֹשֶׁן), cui impoſita erant אוּרִים וְתֻמִּים (Exod. XXVIII, 30.), ita erat conjunctum, ut ab eo ſeparari non facile potuerit. Eo amiculo cum indutus eſſet Pontifex divina reſponſa petens (Num. XXVII, 21.); hinc pro inſtrumento Deum conſulendi haud raro metonymice ponitur Ephod, vid. 1 Sam. II, 28. XIV, 3. XXI, 9. XXIII, 6. 9. XXX, 7. Quando igitur vates Iſraelitas Ephodo privandos ait, non tantum ſacerdotium omne inter eos tollendum ſignificat (ita LXX *οὐδὲ ἱερατείας*), verum et omnem Deum conſulendi, et reſponſa coeleſtia conſequendi rationem illis defuturam praenunciat. Quum Ephodi etiam abuſus ſuperſtitioſus reperiatur Jud. VIII, 27., ubi Gideon in victoriae a Moabitis partae monimentum ex monilibus aureis a populo ſibi datis Ephod confeciſſe dicitur, quod deinceps idololatriae cauſam Iſraelitis praebuit, et Jud. XVII, 5. Micha quidam e pecunia a matre ſibi relicta Ephod in uſus ſuperſtitioſos ſibi feciſſe narretur; ſunt, qui et h. l. *Ephodo* ſuperſtitionis inſtrumentum indicari exiſtiment, quo ſint Iſraelitae futuro tempore privandi. Verum uti ſupra

Vs. 3.

Vs. 3. mulier illa, quae populi Israelitici imaginem exhibebat, ab omni tam *legitima* quam *illegitima* virorum consuetudine abstinere debebat; ita nostro Versu, qui allegoriae illius expositionem sistit, Israelitis *legitimum* et *illegitimum* cultum (זֶבַח et מַצֵּבָה), *legitimam* et *illegitimam* Dei consulendi rationem ablatum iri vates praedicit. Recte Kimchi cum aliis suae gentis interpretibus *sacrificium* et *Ephod* ad veri Dei, *statuas* vero et *Theraphim* ad idolorum cultum refert, hac sententia, Israelitas neque Deos colere alienos, neque patrium et verum, q. d., quia utriusque religionis participes esse voluerunt, futuros utriusque expertes. Cf. 1 Reg. XVIII, 21., quod objecit Elias quibusdam, qui ita idolis serviebant, ut tamen verae religionis asseclae videri studerent. Quod igitur et *illegitima* Deum consulendi ratione sint carituri, eo significat, quod dicit, eos *sine Theraphim* esse futuros. Quicquid enim statuatur de etymo τῶν תְּרָפִים, multum ac saepe quaesito, nec dum invento (conjecturas nonnullas vid. in not. ad Genes. XXXI, 19.; plures alias reperies tum in Ed. Pococki Commentatione singulari de Theraphim, suo inserta Commentario in nostrum vatem, anglico sermone conscripto, Interpretum quoque Anglorum curis in Hoseam subjecta, Operis biblici, quod Anglici nomine est notum, Vol. IX. p. 227. vers. germ.; tum in Carpzovii *Apparatu Histor. Crit. Antiquitt. S. Cod. et gent. Hebr.* p. 537. et in Jurieu *Hist. des Dogmes et des Cultes* P. III. Tract. II. C. 3. p. 458. seqq.), hoc satis certum videtur et exploratum, fatidicas fuisse imagines, quae de rebus dubiis responsa reddere credebantur. Id enim colligitur e pluribus locis, quibus illorum fit mentio, ut 2 Reg. XXIII, 24., ubi pythonibus et divinis junguntur Theraphim; Ezech. XXI, 26. (al. 21.), ubi extispicio jungitur consultatio per Teraphim; et Zachar. X, 2., ubi Theraphim loqui dicuntur vana, et divinantes videre mendacium. Quare Chaldaeus h. l. recte pro תְּרָפִים posuit מְחַוֵּי, *indicans*, s. *responsa dans*. Graecus Alexandrinus interpres vertit δήλους, sive, ut in aliis codicibus scribitur, δηλώσιν. Videtur per *Theraphim* intel-

intellexiſſe *Urim et Thummin*, quos exprimunt LXX nomine δηλώσεως Exod. XXVIII, 30. Levit. VIII, 8., et τῶν δήλων Num. XXVII, 21. 1 Sam. XXVIII, 6. Nec alia videtur Aquilae fuiſſe ſententia, qui Φωτισμοὺς vertit. Id ſequuntur Graeci interpretes, Cyrillus et Theodoretus, nec non Hieronymus, in Ephod et Theraphim *inſtrumenta ſacerdotalis habitus* reperiens, *ipſa* quidem in his, *quae ſunt* ἐν λογείῳ, *ſeu* in *rationali*. Eam ſententiam magno eruditionis apparatu demonſtrandam ſibi ſumſit Spencerus de *Legg. Hebr. Rituall.* L. III. Differt. VII. Sect. II. p. 331. edit. Hagg., quam etſi non defuerunt qui refutarent (veluti Pfaffius in Diſſertat., quae operi Spenceriano edito Tubing. 1732. praemiſit), tamen argumenta ab eo allata apud alios tantum valebant, ut perſuaderent ſibi, oraculo iſto τῶν Urim et Thummim ἀνάλογον quoddam fuiſſe Theraphim, quo Iſraelitae, a Judaeis disjuncti, reſponſa ex templo Hieroſolymitani adyto reddita imitari voluerint; aut Jeroboamum, callidum illum ſimulatae religionis magiſtrum, loco veri oraculi, Urim et Thummim appellati, uſum τῶν Theraphim, una cum ſuo Ephodo jam ante inter Iſraelitas receptum (Jud. VIII, 27. XVII, 5.), ad ſacra a ſe introducta adjunxiſſe, ut hac etiam ſpecie cives ſuos ab adeundo Pontifice Hieroſolymitano averteret.

5. Comminationum acerbitatem temperat, pro more vatum, meliorum temporum promiſſione. אַחַר *Poſtea*, poſt multos illos dies, de quibus Vs. 4. יָשֻׁבוּ *Revertentur* ad Jovae cultum, deſertis ſuperſtitioſis religionibus ritibusque. Cf. infra VI, 1. *Agite*, וְנָשׁוּבָה אֶל־יְהוָֹה *revertamur ad Jovam*. Eadem plenior formula exat Thren. III, 40. V, 21. Jeſaj. X, 21. Alii יָשֻׁבוּ ei quod ſequitur וּבִקְשׁוּ ita jungendum arbitrantur, ut illud adverbii *iterum* vicem gerat (vid. Schroederi *Syntax.* §. LXIII.), ut *redibunt et quaerent*, ſit pro *iterum quaerent*. Praeferenda tamen videtur h. l. prior ratio. וּבִקְשׁוּ אֶת־יְהוָֹה אֱלֹהֵיהֶם *Et quaerent Jovam, Deum ſuum*, ſubmiſſo animo ejus gratiam petent, ſerioque ac ſincero ſtudio eum colent, cf. infra V, 15. Jerem. L, 4. Oppoſitum

ſtum illi, quod II, 4. dixerat. Quum autem defectio Iſraelitarum a cultu Jovano conjuncta olim fuiſſet cum defectione a Davide, rege divinitus conſtituto ejusque familia (vid. 1 Reg. XII, 6.); ad emendationem illam, quae h. l. deſcribitur, omnino pertinebat, ut hac etiam ex parte ad officium redirent; quare additur: וְאֵת דָּוִיד מַלְכָּם *Et Davidem, regem ſuum* quaerent, qua formula innuitur, Iſraelitas, ſ. decem tribus cum tribu Juda iterum coalituros uno ſub rege Davidis proſapia oriundo, quo *Meſſiam* ſpectari nulla eſt dubitatio. Vid. not. ad locum huic plane genuinum Ezech. XXXIV, 23., cf. ibid. XXXVII, 24. Jerem. XXX, 9. Ita Chaldaeus, qui haec verba cum iis, quae proxime praecedunt, ita reddidit: וְיִתְבְּעוּן יָת פֻּלְחָנָא דַיְיָ אֱלָהֲהוֹן וְיִשְׁתַּמְּעוּן לִמְשִׁיחָא בַּר דָּוִד מַלְכְּהוֹן *quaerent cultum Jovae, Dei ſui, atque obedient Meſſiae, filio Davidis, regi ſuo.* Idem ſequuntur Hebraei omnes. R. Tanchum a Pocockio laudatus:
يعني بن داود القايم مقامه من سلالته سالك
مسلكه فيكون اسمه به قايما وملكه محفوظا
intelligit filium Davidis, locum ejus tenentem, ex ejus proſapia, in via ejus incedentem, per quem nomen ejus perſtabit regnumque ejus ſervabitur. וּפָחֲדוּ אֶל־יְהוָה *Et trepidabunt*, i. e. trepidi feſtinabunt *ad Jovam.* Verbis pluribus *pavendi, metuendi* ſignificationem habentibus, *feſtinandi* notionem junctam eſſe (veluti בָּהַל, חָפַז), A. Schultens oſtendit in *Animadverſſ philologg.* ad Jeſaj. XIX, 17. et in *Commentar. ad Job.* IV, 5. XX, 3. Appoſite ad rem Pocockius in Commentar. cum noſtro verbo comparat Arabum فزع, quod primum *terrorem concepit, metuit,* deinde cum إلى, *ad,* junctum, *auxilium imploravit, confugit prae timore* ad alium ſignificat. Similiter Virgilius *Aeneid.* IX, 114.

Ne trepidate meas, Teucri, defendere navis.

Ubi Servius *trepidate* interpretatur *feſtinate.* Atque ad illud Horatii *Od.* III, 27, 17.

Sed

Sed vides quanto trepidet tumultu
Pronus Orion?

Scholiaſtes vetus: „*Trepidet*, properet, feſtinet in occaſum.“ וְאֶל־טוּבוֹ *Et* ad *bonitatem ejus* feſtinabunt, Jovae, non alienorum deorum, gratiam atque favorem ſincero et pio cultu conſequi ſtudebunt. Nonnulli ex Hebraeis interpretes טוּב יְיָ intelligunt *ſpeciem* quandam, qua Jova gloriam et majeſtatem conſpicuam praebeat, coll. Exod. XXXIII, 19., ubi Deus Moſi petenti, ut ſibi כְּבוֹדֶךָ, *gloriam ſuam* (Vs. 18.) oſtendat, reſpondet: *transire faciam* כָּל־טוּבִי *omnem bonitatem meam coram facie tua.* Alii, itidem Hebraei, ut Jarchi, *bono Jovae* intelligunt *templum ei ſacrum*, e loci Deut. III, 25. allegorica quadam interpretandi ratione. Optaſſe narratur ibi Moſes, liceat ſibi ingredi terram illam bonam, quam ultra Jordanem adſpiciebat, et videre *montana illa praeſtantiſſiam, et iſtum Libanum,* הָהָר הַטּוֹב הַזֶּה וְהַלְּבָנוֹן, ubi *monte bono* Hieroſolymam, et *Libano* templum innui volunt. בְּאַחֲרִית הַיָּמִים *In poſtremitate dierum*, in ultima mundi aetate, de qua Virgilius *Ecl.* IV, 4. ſeqq.

Ultima Cumaei venit jam carminis aetas;
Magnus ab integro ſaeclorum naſcitur ordo.
Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies caelo demittitur alto.

Cf. not. ad Ezech. XVI, 53. Vere obſervat Kimchi ad Jeſaj. II, 2., formula אַחֲרִית הַיָּמִים, ubicunque ea occurrerit, indicari *tempora Meſſiae.* Cf. Jerem. XXIII, 20. Joel. III, 1. ſeqq.

Cap. IV.

A R G U M E N T U M.

Incipit ab hoc Capite alter ille ſermonum Hoſeae ordo, quo, ſine imaginis involucro, nudis verbis, crimina decem tribuum graviter reprehendit, et poenas divinitus immittendas denuntiat. Hoc enim generale eſt tam hujus Capitis, quam reliquorum, argumentum, in quo tractando vates plerumque ita verſatur, ut ſententias proponat breviores, concifas et abruptas, quarum una alteram confirmat, amplificat, et id, quod cauſae caput eſt, nova luce identidem perſundit, quare partes horum ſermonum fere totidem poſſunt diſtingui, quot ſententiis, ſive verſiculis, ſunt compoſiti. Hieronymus: „A principio prophetae usque ad hunc locum ſub meretricis deſcriptione et adulterae, quarum poſt graviſſimas poenas et relictionem longiſſimam, poſtea fit in priſtinum vel in meliorem ſtatum reſtitutio, decem tribuum, vel duarum, et in commune omnium peccata numerantur. Nunc rurſum ad Iſrael, id eſt, decem tribus, ſermo convertitur, exponens non fruſtra iratum Deum tam gravia comminari et inferre ſupplicia, ne forſitan non ex judicii veritate, ſed ex potentia Dei injuſte videatur in eos, qui non peccaverunt, lata ſententia prophetiae.“ In hac autem concione primo quidem (Vs. 1. 2. 3.) in genere varii generis flagitia, quibus Iſraelitae dediti eſſent, caſtigat, deinde (Vs. 4. ſeqq.) praeſertim in ſacerdotes invehitur, ut verae religionis everſores, omnisque impietatis eo tempore graſſantis auctores et patronos populique ſeductores, quibus omnibus exitium minatur, Vs. 13. ſeqq.

Inter-

Interregni tempore, quod inter Jeroboami II. mortem, et filii ejus, Zachariae, ad Sallumi regnum intercedebat (vid. *Prolegom.* p. 28.), hunc ſermonem prolatum fuiſſe, interpretum eſt plerorumque ſententia admodum veriſimilis. Rege enim certo tunc caruiſſe rempublicam, inde colligitur, quod in accuſandis civibus, et, quorum auctoritate hi ſe duci patiebantur, ſacerdotibus falſisque prophetis vates ſubſiſtat, nulla facta regis, aut familiae regis mentione, quam, uti Capite proximo, omnium primam allocutum eſſe credibile eſt, ſi quidem ſub regibus, eo tempore, fuiſſent decem tribus. Accedit, quod ea potiſſimum ſcelera hic notata deprehenduntur, quae talibus temporibus, quibus nulla legum eſſet et magiſtratuum auctoritas, maxime ſunt propria, ut promiſcuae caedes, latrocinia, occupata a ſacerdotibus tyrannis, et id generis alia turbatae reipublicae documenta.

Caput hoc vernacule redditum, additis annotationibus, ab A. J. Arnoldi, Theologo Marburgenſi, legitur in Anthologia a C. Guil. Justi collecta hac epigraphe: *Blumen althebräiſcher Dichtkunſt* (Gieſs. 1809.) p. 555. ſeqq.

---

1. Univerſa decem tribuum civitas, diverſique ejus ordines adeſſe jubentur et veluti citantur ad audiendam non tantum accuſationem, ſed et ſententiam, quam evicta cauſa, Jovae nomine, vates coram concione populi ſit prolaturus. שִׁמְעוּ דְבַר יְהוָה *Audite verbum Jovae,* quod ille per me loquitur, 2 Reg. XX, 16. Jeſ. I, 10. XLVIII, 1. בְּנֵי יִשְׂרָאֵל *Filii Iſrael,* i. e. decem tribus, ut ſupra I, 4. ſeqq. V, 1.; et infra Vs. 15. *Iſrael* et *Juda* diſerte diſtinguuntur. Cauſſam addit, cur attente illis ſit auſcultandum: כִּי רִיב לַיהוָה עִם־יוֹשְׁבֵי הָאָרֶץ *Nam lis eſt Jovae cum habitatoribus hujus terrae.* „*Litigare* Deus dicitur, quando per prophetas, veluti ſuos legatos, non modo ſcelera, paſſim commiſſa palam arguit, tantamque eſſe eorum gravitatem, demonſtrat, ut excuſari aut diſſimulari amplius non poſſint;

ſed

ſed in eam quoque ſententiam disputat, ut appareat, cauſam malorum non in Deo, ſed in ipſo populo eſſe quaerendam." Manger. Cf. infra XII, 3. Jerem. II, 9. Kimchi: „*Lis eſt mihi cum idolis terrae* Iſrael, quia ea lege terram illis dedi, ut in ea exercerent juſtitiam et aequitatem, atque ita pactus ſum illis, *futuros in ea oculos meos ab initio anni usque ad finem intentos* (Deut. XI, 12.). Sed quum ipſi contra faciant, pejerantes, latrocinati, moechantes, ego etiam illis faciam contra quam eis ſum pollicitus, ac faciem meam ab illis abſcondam, et lugebit terra, et infirmabitur quicunque in ea habitat (Vs. 3.)." כִּי, quod ſequitur, non eſt particula cauſalis, ſed *quod* eſt vertendum, et indicio eſt, ut ſupra II, 1. (al. 4.), ipſis nunc litis argumentum proponi, et verbis mox ſequentibus contineri. אֵין־אֱמֶת *Nulla veritas* in dictis et factis, ſed *perjurium* et *mendacium*, Vs. 2. Cf. Jeſaj. LIX, 14. 15. Jerem. V, 1. VII, 28. IX, 3. 4. Pſ. XII, 1. 2. LXXIX, 12. Chaldaeus: לֵית עָבְדֵי קוּשְׁטָא *non ſunt operatores veritatis.* וְאֵין־חֶסֶד *Nec eſt benignitas* erga alios, ſed caedes, furta, adulteria, Vs. 2. Utrumque, אֱמֶת et חֶסֶד omnia erga alios officia complectens, conjungitur et Proverb. III, 3. XX, 6. Kimchi: „Quanto minus in terra exſtat *benignitas.* Nam חֶסֶד eſt ſuperabundantia quaedam boni magis quam par ſit. Et qui non tenet fidem, nec juſte agit, multo minus erga alios benigne aget." Hieronymus: „Nec *veritas* enim absque *miſericordia* ſuſtineri poteſt, et miſericordia absque veritate facit negligentes, unde alterum miſcetur alteri." וְאֵין־דַּעַת אֱלֹהִים *Neque cognitio Dei,* ad exercendum jus et aequitatem, ut Kimchi interpretatur; nec verbis nec factis oſtendunt, ſe ſummum nomen revereri. Chaldaeus: וְלֵית דִּמְהַלְּלִין בִּדְחַלְתָּא דַיְיָ *nec ſunt, qui ambulent in timore Jovae.* Cf. Jerem. XXII, 15. 16. *Quum jus et aequum faceret* (pater tuus), *ei bene erat; et inopum pauperumque cauſſas agenti bene erat; hoc nimirum eſt, noſſe me, inquit Jova.* בָּאָרֶץ *In terra ea,* quam Deus eis conceſſerat, ut illarum virtutum exiſteret ſedes.

2. Quas

2. Quas inter Iſraelitas deſiderabat virtutibus jam opponitur criminum late graſſantium catalogus. אָלֹה *Jurare* ſcil. לַשָּׁוְא (ut infra X, 4. אָלוֹת שָׁוְא), *pejerare*. Vel jungi poteſt proximo וְכַחֵשׁ, *et mentiri*, ut *jurare et mentiri* ſit *pejerare*. Sed plerique interpretes diverſa ſcelera duabus illis vocibus expreſſa arbitrantur. Ita LXX: Ἀρὰ καὶ ψεῦδος. Nec aliter Chaldaeus: יָימָן לְשֶׁקֶר וְכָדְבִין *jurant falſo et mentiuntur*. *Perjurium* accuſatur, quod inter Iſraelitas adeo frequens fuit, ut reges etiam in foederibus perjuri fuerint, vid. e. c. 2 Reg. XVII, 4. כַּחֵשׁ, *Mentiri*, omne fallendi ſtudium, verbis factisve, indicat, quod diſerte interdictum Levit. V, 21. 22. XIX, 11. Sed Kimchi: „Inficiantur Deum illum, quem colendum ſuſceperunt.“ Quae adduntur ſcelera, וְרָצֹחַ וְגָנֹב וְנָאֹף, *occidere, furari, adulterari*, junguntur et Jerem. VII, 9. eadem formula. Infinitivi pro nominibus uſurpati habitum et continuos actus indicant, cf. Jeſaj. LIX, 4. Alii vero illos conſiderant inſtar Nominativorum regentium verbum *perrumpendi*, פָּרָצוּ, ut LXX et Hieronymus, ἀρὰ καὶ ψεῦδος κ. τ. λ. ἐκκέχυται, *maledictum et mendacium*, cet. *inundaverunt*; alii Infinitivos illos in Gerundio vertunt, *pejerando*, *mentiendo* etc. *perrumpunt* omnes limites juſtitiae et humanitatis, nulla habita ſancti et aequi ratione, metaphora ducta ab aquis pleno alveo ripas ſuperantibus, et longe lateque ſe diffundentibus; id quod Hieronymus poſt LXX *inundandi* verbo expreſſit, et in Commentario addit: „non dixit *eſt*, ſed ut delictorum abundatiam demonſtraret, intulit *inundaverunt*.“ Kimchi: „*Perrumpunt* ſepem et cuſtodiam legis, et multiplicant transgreſſiones.“ Sane verbum illud notionem *multitudinis* et *publicae patrationis* videtur junctam habere, ut *perrumpunt* peccando ſit tantundem, ac augent crimina, palam ea patrant, nullo jure coërceri poſſunt, ſuntque fruſtra, qui coërcere conentur. Ita Tanchum: نمت وزادت وانتشرت *increverunt et aucta ſunt, et diffuderunt ſe*. Alii: *erumpunt* irruuntque in alios, quo ſenſu verbum פָּרַץ Exod. XIX,

22. 24. 1 Paral. XV, 13. dicitur. Aben-Eſra de *latrociniis* cogitat, ſupra homicidia antea memorata, atrocibus, ut פָּרִיץ, proprie *perruptor*, Jerem. VII, 11. Pſ. XVII, 4. *latronem* indicat, qui vi irruit et irrumpit. Peculiari ratione Chaldaeus פָּרְצוּ jungit וְנָאֹף שׁוֹ, quod proxime praeceſſit, intelligitque de ſobolis ex uxoribus alienis multiplicatione, quo ſenſu infra Vs. 10. occurrit. Verba illius ſunt: וּמוֹלְדִין בְּנִין מִנְּשֵׁי חַבְרֵיהוֹן, *generant filios ex uxoribus ſociorum.* וְדָמִים בְּדָמִים נָגָעוּ *Et ſanguines*, caedes injuſtae (cf. Jeſaj. I, 15. Jerem. II, 34.) *ſanguines attingunt*, i. e. ut recte Jarchi, „multiplicant effuſionem ſanguinis, ut ſanguis unius occiſi alterius ſanguinem contingat." Kimchi: „Sanguines occiſorum contingunt ſe mutuo, tanta eſt eorum copia." LXX: *καὶ αἵματα ἐφ' αἵμασι μίσγουσι.* Chaldaeus: חוֹבִין עַל חוֹבִין מוֹסְפִין *delicta addunt delictis.* Hemiſtichii poſterioris ſenſus non poteſt rectius et elegantius exprimi, quam hac Rittershuſii metaphraſi:

At velut hybernis ubi torrens imbribus auctus
Ruptis aggeribus longe lateque vagatur,
Undis perque ruit campos trudentibus undas
Corrumpens ſata laeta, hominumque boumque labores:
Nemo arcere hanc vim queat, atque obſiſtere nemo:
Sic omnem regionem atrocia crimina inundant:
Unde ſequax undam ut pellit, ſic ſanguine ſanguis
Truditur, et ſcelerum nullus finisve modusve eſt.

3. Poenam denunciat illorum ſcelerum. עַל־כֵּן תֶּאֱבַל הָאָרֶץ *Propterea lugebit terra*, triſtis erit facies terrae, i. e. deſolata et vaſtata erit. Ita Chaldaeus: תֶּחֱרוּב אַרְעָא, quod Hebraei interpretes ſequuntur. Quemadmodum terra culta, virens et rebus omnibus abundans *ridere* dicitur Jeſaj. XXXV, 1. 2., ita deſerta et vaſtata *lugere* Jeſaj. XXIV, 4. Jerem. IV, 28. XII, 4. Amos. I, 2. וְאֻמְלַל כָּל־יוֹשֵׁב בָּהּ *Et languebit omnis habitans in ea*, viribus exhauſtis animantia omnia ſenſim tabeſcent et tandem miſere peribunt. De voce אֻמְלַל vid. not. ad Pſ. VI, 2. Eandem imaginem vid. Jeſaj. XVI,

XVI, 8. XIX, 8. Joel. I, 10. 12. Neque homines tantum; verum et beſtias feras internecione delendas denuntiat: בְּחַיַּת הַשָּׂדֶה וּבְעוֹף הַשָּׁמָיִם *una cum fera agri et cum volucri coelorum*, cf. Jerem. IV, 25. Zephan. I, 3. Joel. I, 20. In nonnullis Alexandrinae Graecae codicibus additur *καὶ ἑρπετὰ τῆς γῆς*, quae junguntur ſupra II, 18. (al. 20.). Abarbenel hoc dici putat, *per* feras et aves, quibus hoſtiles turmas intelligi vult, perdendos eſſe habitatores; parum quidem commode, nec congrue ei quod ſubjicitur, וְגַם־דְּגֵי הַיָּם יֵאָסֵפוּ, *imo etiam piſces maris auferentur*, propr. *colligentur* in ſua loca, ut amplius non appareant, ita verbum אָסַף Geneſ. XXX, 23. Jeſaj. IV, 1. Ezech. XXXIV, 29. Zephan. I, 1. Cf. Storrii *Obſervatt.* p. 35. Chaldaeus: וְאַף נוּנֵי יַמָּא יִזְעֲרוּן מִן קֳדָם חוֹבֵיהוֹן, *et etiam piſces maris minuentur propter peccata eorum* (incolarum terrae). Id itaque vult Deus, non terram ſolum ita fore vaſtandam, ut hominibus et aliis animantibus nutriendis non ſit apta, verum ipſas quoque aquas vel aeſtu et ſiccitate conſumendas, vel foetore corrumpendas, ſolitum piſcium victum non ſuppeditaturas. Noſtrum vatem imitatus eſt Zephanias I, 2. 3. Hieronymus: „Habitatore ſublato beſtiae quoque, et volucres coeli, et piſces maris deficient, iramque Domini etiam muta elementa ſentient. Hoc qui non credit accidiſſe populo Iſrael, cernat Illyricum, cernat Thracias, Macedoniam atque Pannoniae, omnemque terram, quae a Propontide et Bosphoro usque ad Alpes Julias tenditur, et probabit, cum hominibus et animantia cuncta deficere, quae in uſus hominum a creatore prius alebantur.

4. אַךְ *Veruntamen*, ut recte Hieronymus; vim enim habet oppoſitionis, ut Pſ. LXXIII, 1. LXXXV, 10. Jeſaj. XLV, 24. Peccatores ita deſperatos Iſraelitas eſſe oſtendit Deus, ut operam ludat, qui eos moneat. אִישׁ אַל־יָרֵב *Quisquam ne litem intendat* illis, de quibus Vs. 1. וְאַל־יוֹכַח אִישׁ *Neque redarguat eos quisquam*, fruſtra namque id erit apud homines tam pertinacis nequitiae; cf. Amos. V, 10. 13.

Jesaj. XXX, 9. seqq. Chaldaeus: בְּרַם עַל דְּאָמְרִין סָפַר לָא יַלֵּיף וְלָא יוֹכַח נְבִיָּא *verum propterea quod dicunt: scriba non doceat, nec redarguat propheta.* וְעַמְּךָ כִּמְרִיבֵי כֹהֵן. *Populus enim tuus*, Hosea, est *sicut contendentes cum sacerdote*, i. e., recte exponente Grotio, similes sunt his, qui publica [sacerdotum] decreta contumaciter oppugnant, cui crimini capitis poena constituta est Deuter. XVII, 9 — 12. Significatur pertinacia atque obstinatio, quae nullum plane admonitioni locum relinquit. כִּמְרִיבֵי כֹהֵן i. q. כִּמְרִיבֵי עִם כֹּהֵן, ut Ps. XXXV, 1. יְרִיבַי, *contendentes mecum*, et Jesaj. XLX, 25. יְרִיבֵךְ, *contendentes tecum.* Quidam, ut Abarbenel, *sacerdote*, כֹּהֵן h. l. designari existimant Aaronem, adversus quem Korachi coetus contendit de sacerdotio, Num. XVI, 10. Ps. CVI, 16., ut priscis illis rebellibus, gravi supplicio adfectis, comparentur Israelitae. Quod nimis argutum videtur. Simplicior vulgo recepta sententia, כֹּהֵן esse collective de toto sacerdotum ordine capiendum. Eorum enim erat, docere populum (unde Chaldaeus: וְעַמָּךְ נָצַן עִם מַלְּפֵיהוֹן *et populus tuus rixantur cum doctoribus suis*), et jus dicere; si quis vero iis contumaciter sese opponeret, morte erat multandus, vid. commemorat. Deut. loc. Nihil est, quod huic interpretationi nonnulli obvertunt, minime propterea reprehendendum fuisse populum, quod sacerdotibus, quales illi tunc essent inter Israelitas, spuriis et perditis, et ipsis communi poena involvendis (Vs. 9.), restiterit. Quis enim non videt, gentis Israeliticae contumaciam comparari eorum protervitati, qui Jovae sacerdotes veros, dum castigant scelera, non modo non verentur, sed adversus eum expostulare, et in eos invehi audent, seposito omni numinis et hominum metu? Bene Aurivillius *Dissertatt.* p. 606. „Praecesserat, *ne reprehendat alter alterum, neve coarguat,* quod dissuadentis non est, sed declarantis, frustra fore reprehensionem. In caussa erat illud, quod sequitur: *nam populus tuus reprehendit, detractat monitorem vel fidelissimum,* qualis esse sane debuerat sacerdotum quilibet, qualisque reapse erat propheta." Totius versiculi sensum

simulque

simulque nexum cum iis quae praecessere, his verbis exponit HIERONYMUS, „Provocati ad judicium Dei filii Israel, qui habitabant in terra, ut causas dominicae indignationis audirent, et praeterita peccata cognoscerent, propter quae hostibus tradentur. Nunc quia in sceleribus perseverant, et impudenti Deum fronte contemnunt, audiunt: non necesse est, ut veniatis ad judicium, ut in vestris flagitiis arguamini, quia tantae estis impudentiae, ut nec convicti quidem, pudorem habeatis et verecundiam, sed contradicatis mihi, quasi si discipulus magistro, sacerdoti plebecula contradicat, quae non habet sacerdotii dignitatem.“ Alexandrinus hemistichium posterius ita reddidit: *ὁ δὲ λαός μου ὡς ἀντιλεγόμενος ἱερεύς.* „Legit עַמִּי, quod alio tamen teste penitus destituitur. Neque enim Arabs heic, aut alibi, in libris Prophetarum, pro tali agnoscendus, siquidem vertisse e Graeco, non ex Hebraeo palam est. *Ἀντιλεγόμενος ἱερεὺς* autem, quod in Arabicam non modo, sed et Syram versionem transiit, multam praefert speciem mendosae lectionis pro *ἀντιλεγόμενοι ἱερεῦσι.* Unicus codex apud Kennicottum habet כמריבה, quod sapere videtur emendandi temerariam in scriba studium; nec ad praecedens עַמְּךָ magnopere quadrare. Vulgato ergo textui, in quem consentiunt Chaldaeus, Hieronymus, et Mss. hebraei huc usque examinati, omnes, nihil est, quod opponi recte possit. Quos conjecturae juvant, miror, in eam pariter non incidisse, qua legeretur כִּמְרִיבַי, cum affixo primae pers. singul., *sicut contendens adversus me sacerdos,* ita ut sensus exoriretur periodi: tum populus tuus, tum sacerdotes mihi contradicunt et adversantur. Si genuina foret lectio in Alexandrina versione, videri haec posset isti conjecturae ex parte favere.“ AURIVILLIUS.

5. וְכָשַׁלְתָּ *Itaque corrues,* peribis, tu, gens impia, ut infra V, 5. XIV, 2. הַיּוֹם *Interdiu,* ut Nehem. IV, 16. HIERONYMUS: „Et quia tales estis, ideo *hodie corruetis,* id est, ducemini in captivitatem, et perdetis regnum Israel. Quod autem dicit *hodie*, aut praesens tempus significat, aut, non fraude

fraude et insidiis, sed clara in captivitatem luce ducemini.“ Sed cf. quae mox ad לַיְלָה monenda erunt. וְכָשַׁל גַּם נָבִיא עִמְּךָ *Et cadet quoque tecum propheta* scil. falsus, נְבִיאֵי דְשִׁקְרָא דִּי עִמְּכוֹן *prophetae mendacii qui vobiscum* (uti recte Chaldaeus), quorum ferax erat haec aetas, vid. infra IX, 7. 8. Mich. III, 11. Simili imagine Jesaj. XXXI, 3. וְכָשַׁל עוֹזֵר וְנָפַל עָזֻר *corruet adjutor, et cadet adjutus.* Hieronymus: „Tanta erit vestri infirmitas, ut etiam prophetae, qui vobis solebant prophetare mendacium, vobiscum corruant, et sentiant captivitatem. Hic *prophetas* aut pseudoprophetas debemus accipere, aut certe omnem gratiam prophetalem.“ לַיְלָה *Noctu*, ut Nehem. IV, 16. XXVII, 20. Manifesta oppositio *diei* et *noctis*; in qua tamen unum alterum non excludit, sed magis explicat, et utrumque ad utrosque pertinere docet, ut significetur, nullum tempus a strage tam singulorum e populo, quam falsorum prophetarum vacuum fore. Cf. Deut. XXVIII, 66. Mich. III, 6. Tanchum describi dicit حلول العقاب للجملة كما تساووا في العصيان *descensum poenae in universos illos, sicut aequales erant in rebellione.* וְדָמִיתִי אִמֶּךָ *Et exscindam matrem tuam*, universam nationem ejusque metropolim, cf. II, 4. (al. 7.), כְּנִשְׁתְּכוֹן, *coetum vestrum*, vertit Chaldaeus. Et Hieronymus, collato Christi ad Hierosolymam alloquio Matth. XXIII, 37.: „*Mater* vocatur populi frequentia, et omnis turba nationis Hebraeae, ad quam loquitur; filii autem vel singuli e populo, vel per oppida villasque dispersi.“ Verbum דָּמָה h. l. graviorem desolationem indicat, qua quid funditus excisum et solo aequatum deletur, qua significatione saepius in forma Niphal occurrit, uti mox Vs. 6. X, 7. 15. Jesaj. VI, 5. Zephan. I, 11. Jesaj. XV, 1, Convenit cum Arabum دمّ, *contrivit, perdiditque alios.* Quum vero דָּמָה in forma Kal saepius *similis fuit* denotet, eandem significationem et hoc loco retinendam vult Abarbenel, nostra verba populi esse sacerdotes et prophetas reprehendentis existimans, ut ea vertenda sint: *et similis fuit matri tuae*, quod sic explicat;

plicat: „en ego populus redarguens te, o ſacerdos, teque, o propheta, geſſi me veſtrum utrique, qualem ſe mater exhibet, filios ſuos petulantes redarguens quo in meliorem eos viam reducat.“ Verum ut taceamus, credibile eſſe, vatem, ſi eam ſententiam exprimere voluiſſet, dicturum fuiſſe potius, *ſimilem me praeſto patri tuo*, quum reprehendere ac inſtruere ex patris maxime officio ſit (cf. Jeſaj. XXXVIII, 19.); illi interpretationi etiam hoc obſtat, quod verbum דָּמָה, quando *ſimilitudinis* habet ſignificationem, non ſic nude jungi nominibus ſolet, ut hic דָּמִיתִי אִמֶּךָ, ſed per לְ, ut Jeſaj. XLVI, 5., aut per אֶל, vid. Jeſaj. XL, 18. Ezech. XXXI, 2. Quare ſcribi hic debuiſſet דָּמִיתִי אֶל אִמֶּךָ vel לְאִמֶּךָ. Nec locum habere poteſt, quod alii volunt: *aſſimilabo matrem tuam*, nempe poenis a me inflictis ſequar naturam peccatorum ejus. Nam *aſſimilare* requirit nomen ejus rei, cui quid aſſimilatur. Eodem ſignificatu ceperunt verbum hebraeum LXX, ſed ita, ut jungerent nomini לַיְלָה hoc modo: *νυκτὶ ὁμοίωσα τὴν μητέρα σου.* Nomen לַיְלָה ad poſterius hemiſtichium trahit et Hieronymus, ſed verbum דָּמִיתִי capit ſignificatione *tacendi*, quaſi idem ſit, quod דום ſive דָּמַם. Sic enim vertit: *nocte tacere feci matrem tuam*, quod in Commentario hoc modo explicat: „In nocte ac tenebris captivitatis, et moeroris, et prementis anguſtiae traditur Iſrael.“ Chaldaeus: וְאַבְהֵית כְּנִישְׁתְּכוֹן *ſtupore perfundam veſtrum coetum.* Videtur דָּמִיתִי eodem modo accepiſſe, quo illud explicat Jarchi: „continget ei ſicut homini, qui moeſtus ſedet perculſus ſtupore, ut nulla plane ex ore ejus reſponſio audiatur.“ Capit et is דָּמָה *ſlendi* notione. Syrus: ܘܫܠܝܬ ܐܡܟ *et conticuit mater tua*, uti eſt in Bibliis Londinenſibus. Sed legendum videtur ܫܠܝܬ *ſilentem reddidi* matrem tuam.

6. נִדְמוּ עַמִּי מִבְּלִי הַדָּעַת *Exſcindendus eſt populus meus* (nomini collectivo jungitur verbum plurale, ſenſus reſpectu habito), *ob defectum cognitionis*, ſapientiae. Rittershuſius:

In-

Interitus populum noſtrum, excidiumque ſequetur,
Quod doctrinae operam dare nolit, iterque ſalutis
Sectari haud ſtudeat, ſuperumque agnoſcere numen.

Hieronymus, verbo נִדְמוּ, Vs. 5. *tacendi* ſignificatu accepto: *conticuit populus meus eo quod non habuerit ſcientiam.* Et in Commentario: „Populus ejus aeterno ſilentio conticescit, quia non habuit legis ſcientiam.“ Similiter Chaldaeus: אִטַּפְּשׁוּ עַמִּי מִבְּלִי דַעְתָּא, *obbrutuit populus meus defectu cognitionis.* Quum impietas tunc late regnans, fons omnium reipublicae imminentium malorum, ſacerdotum culpa eſſet introducta, qui non modo negligebant, quod ſui eſſet muneris, ſed plane contrarium faciebant: in eos jam invehitur vatis oratio. *Sacerdotum* nomen etſi expreſſum demum eſt Vs. 9., eorum tamen deſcriptio clara exſtat tum Vs. 8., tum hoc noſtro hisce vocibus: כִּי־אַתָּה הַדַּעַת מָאַסְתָּ וְאֶמְאָסְאךָ מִכַּהֵן לִי *quia tu intelligentiam repudiaſti, etiam repudiabo te, ne ſacerdotio fungaris mihi.* Neque enim a ſacerdotio repudiatur, qui eo non functus eſt. Quod de populo integro id dici aliqui putant, quatenus ſacerdotes ad eum pertinuerunt, et populum illi repraeſentarunt, coactum eſt. Recte Kimchi: „Sacerdotum ſuae aetatis ordinem alloquitur: tu repudiaſti ſcientiam et tibi ipſi, et ut eam doceres populum: quare ego te repudiabo, ne mihi ſacerdotium obeas. Quum non facias ſacerdotis officium, quod eſt legem docere, repudiabo te, ne domi meae ſis ſacerdos.“ Chaldaeus: אֲרֵי אַתְּ מַדַּע דַחְלְתִי קַצְתָּא וְאַרְחֵקִנָּךְ מִלְשַׁמָּשָׁא קֳדָמַי *quia tu ſcientiam timoris mei ſpreviſti, ideo removebo te a miniſtrando coram me.* Etſi vero ſacerdotes, qui tunc in regno Iſraelis erant, veri minime eſſent, neque ſecundum legem divinam conſtituti, ſed a Jeroboamo de plebe facti (vid. 1 Reg. XII, 31.), pulſis rite conſtitutis Jovae ſacerdotibus et Levitis (2 Paral. XI, 14.), tamen videri tales volebant, et non in honorem ſolum alienorum Deorum, verum Jovae etiam, ſuo munere fungi. Nec omnes omnino Aaronicos et Leviticos ſacerdotes a Jeroboamo munere remotos fuiſſe credibile eſt; ſed exulare tantum juſſis diſſentienti-

bus

bus, plures, qui cultui Jovano simulacrorum cultum jungere haud detrectarent, ab Israelitis libenter admissi, priscae religionis ritus quodammodo imitati esse videntur. Cf. infra VIII, 13. Amos. V, 21. 22. „In וָאֶמְאָסְאךָ ultimum א ante ך dudum notarunt Masorethae, quasi יתיר, *superfluum*, nec illius se rationem scire fassus est Kimchi. Opportune igitur a Kennicotto [et de-Rossio] discimus, non scriptum reperiri in codicibus mss. quamplurimis, tum in impressa editione antiquissima Hebraei codicis, Soncini, 1488., et Prophetarum, cum Commentario Abarbenelis, Pisauri 1516., non exstare. Quumque 1 Sam. XV, 23. in simili forma, וַיִּמְאָסְךָ non sit positum, ubi tamen poni aeque debuisset, si praesenti loco censendum esset genuinum; irrepsisse, nescio quo casu, putetur in impressos libros tantum non omnes, nec ulla posse, quam vocant Grammatici, sive paragoge, sive epenthesi, satis defendi.“ Aurivill.. Minus verisimilis N. G. Schroederi in *Institt. L. H.* Reg. CLXV. 3. conjectura, τῷ ה paragogico etiam ante affixa locum fuisse, sed, quia in media voce non quiescit, in vicinam א transiisse. Exemplum tamen afferre potest nullum praeter nostrum אֶמְאָסְאךָ, quod praeterea mutatis punctis scribendum censet אֶמְאָסָאךָ, ut sit ab אֶמְאָסָה, idque ab אֶמְאַס. Addit vates: וַתִּשְׁכַּח תּוֹרַת אֱלֹהֶיךָ אֶשְׁכַּח בָּנֶיךָ גַּם־אָנִי *Et* quia (quod est repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ) *oblitus es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum etiam ego;* poenae severitatem auget, quod Deus non solum eorum, qui tunc viverent, sacerdotio privandos esse minatur, verum nec filiorum ullam rationem se habituram denuntiat, ut igitur spem omnem adipiscendi aliquando iterum sacerdotii iis praecidat. Hieronymus, gentis respectu habito, תִּשְׁכַּח vertit *oblita es*, atque in Commentario *reprobatione scientiae* (הַדַּעַת מָאָסְתָּ) indicari existimat cultum vitulorum aureorum in Dan et Bethel, *oblivione* vero *legis divinae* „Aegyptiis idolis se mancipare penitus.“ Sed de *sacerdotum* ordine, quorum erat custodire scientiam, ut lex ab eorum ore repeteretur (vid. Mal. II, 7. Levit. X, 11. Deut. XXXI, 10.), hic agi, non est dubium. Quod vates ait, illos oblitos

oblitos eſſe legis *Dei ſui* (אֱלֹהֶיךָ) peccati magnitudinem exaggerat: violatum enim innuit foedus, quo ſacerdotes obſtricti erant Deo ut Iſraelitae atque ut ſacrorum miniſtri.

7. In ordinis ſacerdotum impietate deſcribenda pergit: כְּרֻבָּם כֵּן חָטְאוּ־לִי *Secundum amplitudinem ſuam ſic peccant mihi.* Ob numerum pluralem, mutatamque perſonam haec verba non de ſacerdotibus, ſed de univerſo populo quidam capienda exiſtimant. Veluti Hieronymus, qui ita exponit: „Quot homines habuit Iſrael, tot aras exſtruxit daemonibus, in quorum victimis peccavit mihi." Verum quam ſit familiare vatibus hebraeis, ab una perſona ſubito ad alteram tranſire, nemo ignorat. Neque quod de iis, quos Vs. 6. collective in ſingulari appellaverat, jam in plurali loquitur, mirum cui videri poteſt. Praeterea dictum erat in plurali de *filiis* et ſucceſſoribus ſacerdotum ſub finem Verſus praecedentis. Neque dubium eſt, quin in tertia plurali iniquitas ſacerdotum mox Vs. 8. deſcribatur. Generale jam adhibetur verbum חָטְאוּ, *ἥμαρτον, peccarunt,* ut in univerſum omnis generis peccata ab iis peracta eſſe indicetur. לִי *Mihi*, contra me, cf. 2 Reg. XVII, 7. Jerem. XXXIII, 8., ſive, ut Chaldaeus, קֳדָמַי, *coram me.* Id vero factum כְּרֻבָּם כֵּן, *ſecundum amplitudinem eorum, ſic*, i. e. ſecundum modum amplitudinis eorum fuit peccati modus, quanto magis aucti ſunt, tanto magis peccarunt; eandem loquendi formulam vid. infra X, 1. XI, 2. Exod. I, 12. Joſ. II, 21. כְּרֻבָּם ſive pro Infinitivo habueris, *ſecundum augeſcere eorum*, ſive pro nomine, *ſecundum multitudinem*, ſ. *amplitudinem eorum*, perinde erit. De *numero* illorum aucto hoc intelligit Syrus: ܐܝܟ ܣܘܓܐܗܘܢ ܗܟܢܐ ܚܛܘ, *ſicut multitudo eorum, ita peccarunt.* Nec non Kimchi: „in ore," inquit, „Aaronis, ſacerdotis, patris eorum, erat vera doctrina; nunc autem, cum multi ſunt, multa peccata committunt." Alii tam multa et multiplicia eorum fuiſſe peccata, quam multi eſſent ipſi, ſignificari putant, quemadmodum cum numero civitatum comparatur deorum multitudo

tudo Jerem. II, 28. Ad *opum* multitudinem רֻבָּם retulit Chaldaeus: כְּמָא דְאַסְגֵּיתִי לְהוֹן עַלְלָא כֵּן אַסְגִּיאוּ לְמֶחֱטֵי קֳדָמַי *ficut multiplicavi eis reditus, ita multiplicarunt peccare contra me.* Verum רוב non numerum tantum, verum et opes, dignitatem, potentiam complecti, quis nefcit? Sic infra VIII, 12. רֻבֵּי תּוֹרָה non funt *multitudines*, fed *amplitudines* legis. Verbis, quae fequuntur, כְּבוֹדָם בְּקָלוֹן אָמִיר, poenam infolentiae, qua facerdotes abufi funt opibus et potentia, denuntiari exiftimant, dum vertunt: *gloriam eorum cum ignominia mutabo*, i. e. ea, qua fe nunc jactant, dignitate eos exuam reddamque contemtiffimos. Ita LXX: τὴν δόξαν αὐτῶν εἰς ἀτιμίαν θήσω. Vulgatus: *gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Hieronymus: „Propter ea gloriam eorum, in qua gloriabantur fibi, et Deo idola praeferebant, in ignominiam commutabo, ut et facerdotes capiantur, et populi.“ Minime tamen repudiandus ille fenfus, quem expresserunt Chaldaeus et Syrus: יְקָרְהוֹן בְּקָלְנָא חַלִּיפוּ, ܘܐܝܩܪܗܘܢ ܒܨܥܪܐ ܫܚܠܦܘ *et gloriam fuum in dedecus mutarunt.* Ceperunt אָמִיר pro Infinitivo, pro הָמִיר, et Infinitivum pro Praeterito (cujus enallages exempla vide Ezech. I, 14. Jerem. XIV, 5.), vel pro Gerundio, hoc modo: *gloriam fuam in ignominiam mutando*, fua impietate et idololatria. Eadem fententia Jerem. II, 11. וְעַמִּי הֵמִיר כְּבוֹדוֹ בְּלוֹא יוֹעִיל *Et populus meus gloriam fuam commutavit cum eo quod non prodeft.* Cf. Pf. CVI, 20. Ceterum א loco ה in Infinitivo Hiphil pofitum in אַשְׁכֵּים Jerem. XXV, 3. Et alias א pofitum legitur pro ה, ut Infinitivus Niphal הַאִדָּרוֹשׁ pro הִדָּרוֹשׁ, Ezech. XIV, 3.; item אֶגְאָלְתִּי pro הִגְאַלְתִּי, Jefaj. LXIII, 3.

8. חַטַּאת עַמִּי יֹאכֵלוּ *Peccatum*, i. e. victimas pro peccatis oblatas, ut Levit. VI, 18. 19. 23., *populi mei comedunt.* Kimchi: „Non funt facerdotes nifi ad comedendas victimas pro peccatis a populo oblatas; non ad docendum legem et viam rectam.“ Alii ita intelligunt: *peccata populi mei devorant*, i. e. delectantur iis. Ita Hieronymus: „*Peccata*

po-

populi mei devorant consentientes sceleribus delinquentium, quia cum eos peccare perspexerint, non solum non arguunt, sed laudant atque sustollunt, atque beatos praedicant. De quibus et Esajas loquitur [III, 12.]: *Populus meus, qui beatos vos dicunt, seducunt vos.*" Simplicior tamen et facilior interpretatio prior. Sunt etiam, qui epulas respici existiment conjunctas cum sacrificiis, quae idolis offerret populus (de quibus vid. Exod. XXXIV, 15. 1 Reg. XV, 13. 2 Reg. XXI, 7.), quibus et sacerdotes interessent. וְאֶל עֲוֹנָם יִשְׂאוּ נַפְשׁוֹ *Et ad iniquitatem eorum animam* quisque *attollit suam*, i. e. avide desiderant et expetunt, ut peccet populus, quo videlicet ex eo culinae ipsorum melius sit. Bene Kimchi: „Hoc cupiunt, ut populus saepe delinquat, et hac ratione plurimae illis victimae suppetant, unde vivant." *Attollere animam ad rem aliquam* idem quod, ei inhiare, vid. Deut. XXIV, 15. Jerem. XLIV, 14. Ps. XXV, 1. Suffixum singulare in נַפְשׁוֹ distributive capiendum esse, vix monere opus; non igitur necesse, ut recipiatur נַפְשָׁם, quod in aliquot codicibus legitur. Sunt, qui vertant: *ad suam nequitiam excitant animum quisque suum;* contra usum formulae *attollere animam ad aliquid.*

9. וְהָיָה כָעָם כַּכֹּהֵן *Et factus est sicut populus ita sacerdos* (vid. *Caph* eodem modo repetitum 1 Reg. XXII, 4.), quod plures ita intelligunt: par erit amborum supplicium. Ita Hieronymus: „Aequaliter populus et sacerdos indignantis Dei supplicium sustinebunt." Alii: si populus est improbus, sacerdotes non sunt meliores. Utrumque, et delictorum et supplicii aequalitas indicari videtur, quasi dicat: et paria crimina committunt, et parem poenam sustinebunt. Eadem sententia Jesaj. XXIV, 2., ubi de universae terrae Judaicae depopulatione loquens propheta dicit: וְהָיָה כָעָם כַּכֹּהֵן *eritque sicut sacerdos, ita populus, sicut servus, ita dominus, sicut ancilla, ita hera,* et quae ibi sequuntur. Jarchi: „Aequabo populum contemtui sacerdotum meorum, quos profanarunt, ne ipsi et mihi in sacerdotio ministrarent;

rent; ideo etiam ego profanabo populum inter gentes. Sic vertit Jonathan.“ Paraphrastis verba sunt: וִיהֵי כְּמָא דְאַשְׁוֵי חִילוֹנָאָה כְּכַהֲנָא לְאַפָּסָא קוּדְשֵׁיהוֹן אֲפֵיס יָת יְקָרְהוֹן וְאַשְׁוֵי דִיקִיר לְבַסִּיר *fietque cum posuero laicum sicut sacerdotem profanando sacra eorum, profanabo gloriam eorum, faciamque gloriosum contemtum.* וּפָקַדְתִּי עָלָיו דְּרָכָיו *Et animadvertam* (vid. supra I, 4.) *in eum,* sacerdotem unumquemque, secundum *vias suas*, uti instituta prava, quibus cum delectatione continuo incumbebant, merebantur. Ante דְּרָכָיו subaudiendum Caph, expressum infra XII, 3. לִפְקֹד עַל יַעֲקֹב כִּדְרָכָיו. Chaldaeus: בְּדִיל לְאִתְפְּרָעָא מִנְּהוֹן כְּאֹרְחָתְהוֹן בִּישָׁתָא, *ut ultionem ab iis sumerem secundum vias eorum malas.* וּמַעֲלָלָיו אָשִׁיב לוֹ *Et* secundum *facinora sua reddam* illis, facinorum suorum fructum promeritum; ut infra XII, 3. כְּמַעֲלָלָיו אָשִׁיב לוֹ. Eadem sententia aliis verbis enunciata Jesaj. III, 11: Ps. LXII, 13.

10. וְאָכְלוּ וְלֹא יִשְׂבָּעוּ *Comedent nec tamen saturabuntur,* cibus non praestabit eum usum, quem deberet, quod a diris divinis. Eaedem minae Levit. XXVI, 26. Mich. VI, 14. Hagg. I, 6. הִזְנוּ וְלֹא יִפְרֹצוּ *Scortari facient, non tamen erumpent* in copiosam sobolem; non multam prolem procreabunt, seu, non excrescent sobole. Metaphora ducta ab aquis, quae aggere perrupto omnia inundant (cf. supra ad Vs. 2.), et de sobolis multitudine usurpatur et Genes. XXVIII, 14. Jesaj. LIV, 3. 2 Paral. XI, 23. Iob. I, 10., ad quem loc. vid. not. Verbum הִזְנוּ in Hiphil non est simpliciter idem, quod Kal, *scortantur,* sed, *faciunt scortari, ad scortationem inducunt* aut *prostituunt*, vid. infra Vs. 18. V, 3. Exod. XXXIV, 16. Levit. XIX, 29. 2 Paral. XXI, 11. 13. Chaldaeus: יִסְבוּן נְשִׁין וְלָא יוֹלְדוּן בְּנִין, *sument uxores, nec generabunt filios.* Nihil opus, cum Schmidio hic cogitare de sacerdotibus sacra Veneris scortando celebrantibus, vel cum Grotio de Venere in mares exercita. כִּי־אֶת־יְהוָה עָזְבוּ לִשְׁמֹר *Nam Jovam dereliquerunt observare,* colere, ut Zachar. XI, 11. הַשֹּׁמְרִים אֹתִי *observantes,* colentes, *me. Qui ob-*

observat coluisse dicitur, ait Festus Pompejus. VIRGILIUS *Georg.* IV, 212.

Observant regem non sic Aegyptus, et ingens
Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes.

Vulgatus: *quia Dominum dereliquerunt in non custodiendo.* Chaldaeus: אֲרֵי יַת פּוּלְחָנָא דַיְיָ שְׁבַקוּ וְלָא נְטַרוּ, *quia cultum Jovae dereliquerunt nec servarunt.* Non legerunt לִשְׁמֹר aut מִלִּשְׁמֹר, sed sensum clarius exprimere voluerunt. Aben-Esra et Kimchi post לִשְׁמֹר subaudiunt דְּרָכָיו s. דַּרְכּוֹ, coll. Genes. XVIII, 19. Exod. XVI, 28., quasi sit: *reliquerunt vias ejus observare.* Prius facilius. Quidam R. Saadias Kimchio commemoratus לִשְׁמֹר nominibus זְנוּת וְיַיִן, Versus proximi initio, jungit, hac sententia: *dereliquerunt Deum, observando scortationem, vinum et mustum*, quemadmodum verbum שָׁמַר de malarum rerum observatione et dicitur Ps. XXXI, 7. (שָׂנֵאתִי הַשֹּׁמְרִים הַבְלֵי־שָׁוְא). Eundem verba nectendi modum adoptavit Arnoldi (in *den Blumen althebräischer Dichtkunst*, p. 558.), זְנוּת de idolorum cultu intelligens, coll. Vs. 12. Sed vid. not. ad Vs. sequ. sub finem.

11. Hactenus sacerdotum mores prophetica libertate insectatus est, eadem nunc auctoritate populi et multitudinis idolomaniam taxat, et quasi ὑποτυπώσει quadam repraesentat; ac primum eam describit ex adjunctis et effectis. זְנוּת וְיַיִן וְתִירוֹשׁ יִקַּח־לֵב *Scortatio, et vinum et mustum aufert cor eorum*, id est, ut recte Chaldaeus, שָׁלֵף וּמַטְעֵי יַת לִבְּהוֹן, *educit et seducit cor eorum.* יִקַּח־לֵב *Aufert cor*, facit homines desipere, reddit amentes. Nam *cor* Hebraeos ponere pro *sapientia* vel *mente*, notum. Vid. e. c. Deuter. XXIX, 3. Sic *corde carere* dicitur qui desipit; vid. Jerem. V, 21. Proverb. VII, 7. infra VII, 11. Sic apud PLAUTUM *Pers.* IV, 4. 71. *Habet cor*, pro: sapit. HIERONYMUS: „Sicut vinum et ebrietas eum qui biberit mentis suae impotem facit, ita et fornicatio et voluptas pervertit sensum animumque debilitat, et de rationabili homine brutum efficit animal, ut ganeas, et lupanaria, et libidinum lustra sectetur.“

tur." Nomen hujus Versus postremum, לֵב, Syrus et Chaldaeus affixo plurali auxerunt, vertunt enim *cor eorum*. „Repugnante," ait Aurivillius, „nube testium. Neque additamento illo sensui sive roboris quidquam, sive perspicuitatis accesserit. Quod autem in divisione breviorum, quae heic sunt, periodorum, tum Alexandrinus, qui לֵב junxit sequenti עַמִּי, vertendo *καρδία λαοῦ μου*, tum Arabs jungendo לִשְׁמֹר in fine Vs. 10. cum זְנוּת Vs. 11. deprehenditur vacillare; inde haud dubie provenit, quod in veterum codicibus nullo interposito, satis quidem notabili, spatio, cohaerentes fere scriberentur voces, ita ut, in exemplari praesertim non punctato, facile labi possent in discernendo interpretes. Quocirca vulgata, sive lectio, sive distinctio vocum, quia commodum et planum sensum exhibent, minime deserenda, hanc licet deseruerit Dathius, unius auctoritate ductus Graeci, ut לֵב cum עַמִּי construeret."

12. Insipientiae primum argumentum, consilium petunt a rebus vanissimis. עַמִּי *Populus meus,* „qui quondam meo vocabatur nomine," ut Hieronymus explicat, בְּעֵצוֹ יִשְׁאָל *lignum suum consulit*, tanquam divinum oraculum, id enim indicat verbum שָׁאַל constructum cum בּ rei aut personae, quae rogatur, praeposito, vid. Num. XXVII, 2. Jud. I, 1. XVIII, 5. 1 Sam. XXII, 13. Cf. not. ad Ezech. XXI, 26. *Lignum* hic per metonymiam dicitur צַלְמָא אָעִית, ut Chaldaeus vertit, *lignea imago,* ut Jerem. II, 27. Habac. II, 19. Jesaj. XL, 20. XLIV, 13. *Teraphos*, quorum supra III, 4. mentio facta, potissimum respici, haud improbabilis quorundam est conjectura. Nomen *ligni* autem potius, quam *imaginis*, adhibet vates, ut vilitatem ineptam rei, quam consulebant, exprimeret. Quod autem, addito pronomine, *lignum suum* dicit, fiduciam in ligneo illo, quod possidet, simulacro positam indicat. Drusius: „Utuntur divinatione, quae a Graecis *ξυλομαντεία* dicitur. Ejus meminit auctor libri DCXIII. Mandatorum, scribens *e fragmentis ligni fieri in Illyrico.*" וּמַקְלוֹ יַגִּיד לוֹ *Et baculus suus annunciat ei*, id est,

eſt, ut recte Chaldaeus, מְרַמֵּי וְחוּטְרֵיהּ מְחַוֵּי לֵיהּ, *imaginatur ſibi, virgam ſuam ſibi indicare,* vel, res futuras, vel, quid agendum ſit, quid omittendum. Indicari illud divinationis genus, quod Graeci vocant *ῥαβδομαντείαν*, de qua et Ezech. XXI, 26. al. 21. (ad quem loc. vid. not.), jam obſervavit Hieronymus. Ita et Cyrillus: Τρόπος *δὲ οὗτος ἀπάτης ἕτερος, ῥαβδομαντεία, τὸ χρῆμα καὶ εὕρεμά που τάχα τῆς Χαλδαίων περιεργείας.* Eam autem hoc modo peractam eſſe narrat: *Δύο ἱστάντες ῥάβδους, εἶτα τινὰ τῶν ἀποῤῥήτων αὐτοῖς κατεπᾴδοντες, κατακλίνεσθαι παρεσκεύαζον ταῖς τῶν δαιμονίων ἐνεργείαις, καὶ πιπτούσας ἐπετήρουν ὅποι Φέροιντο πάλιν, εὐθὺ ἢ ἀνόπιν, εἰς δεξιὸν ἢ εὐώνυμον.* *Duas enim virgas ſtatuentes, deinde arcanis quibusdam verbis incantantes, ut agente diabolo prociderent, et cadentes rurſum obſervabant, utrum prorſum ac retrorſum, in dextrum an in ſiniſtrum ferrentur.* Alios par baculos divinandi modos ex Maimonide et Moſe Mikkozi refert Abarbenel, ut vel ictibus feſtinis terram percutiant, peregrinasque tum voces alte exclament, vel lignum adhibeant, quod ab uno latere cortice denudent, alterum latus cortice ſinentes veſtitum manere: „Sic divinator prehenſum ſua manu lignum projicit, ſi ita ceciderit, ut emineat cortex, *virum* hoc ſignat. Inde repetit praeſtigiator conjicere ſortes; ſupremas tum obtinente latere, cui ademtus cortex, *viragis* ſignum habebit, et fauſtum omen; quocirca alacriter ſubit acceptum iter, vel negotium, quod agere optarat, laetabundus exſequitur. Sin vero candidior, ſeu nuda ligni pars priori jactu ſublimior fuerit, poſteriori autem cortex, hoc ſane, quum *virginem* prius portendat, ſeu laeti eventus afferat ſignum, poſt vero *virum*, ſiniſtri caſus indicem, conjectorem prohibet iſti tunc negotio incumbere; quod et perſuaſum iis, cum, utraque vice cortex ceciderit ſuperior, utpote cum *virum vir* conſequatur, et omnia adverſa appareant. Quin et in hodiernum diem hi ritus ſervantur in terra Sicyonia [Sicilia]; et ex harum ſortium nomine vocatos in Hebraeis cenſeo, quibus nomen datur [Deut. XVIII, 10.]

divi-

divinans divinationes, atque in hos dicitur [nostro loco]: *Populus meus lignum suum consulit, et baculus suus annunciabit ipsi.*" Haec Moses. Alii cogitant de *lituo* augurum, pedo pastorali simili, de quo Cicero *de Divinat.* I, 30. c. 17. Sunt, quibus *baculus* h. l. est simulacrum e baculo seu stipite factum, delubrum dictum priscis Latinis. Festus: *Delubrum dicebant fustem delibratum, id est, decorticatum, quem venerabantur pro deo.* Pluribus de nostro loco egit Rudolph. Salchlin in *Idolomantia et Rhabdomantia antichristiana, sive Dissertat. historico-theologia ad Hos. IV, 12.* Bernae, 1715. כִּי רוּחַ זְנוּנִים *Nam spiritus scortationum*, i. e. vehemens libidinis fervor et affectus. Hebraei enim *spiritus* vocant animi concitati motus, quos Cicero *affectiones, affectus, impetus, commotiones animi* vocare solet. Hinc *spiritus zelotypiae* Num. V, 14., *spiritus mendacii* 1 Reg. XXII, 23., *perversitatis*, Jesaj. XIX, 14. *impuritatis*, Zachar. XIII, 2. הִתְעָה *Seduxit* eos, ellipsis pronominis e contextu subaudiendi, qualis supra II, 7. וְלֹא תִמְצָא, *nec invenias* eos. Addunt Chaldaeus, Syrus et Hieronymus, quos propterea התעם nonnulli conjiciunt legisse. Et praeter codicem, in quo ה correctum in ם reperit Lilienthal, unum etiam alterumve notavit Kennicottus, qui ם loco τοῦ ה in fine vocis offert. „At," inquit Aurivillius *Dissertat.* p. 608., „si expendantur pro alterutra lectione, sive e sensu, sive codicum e numero et fide arcessenda indicia, praeponderabit omnino vulgata. Alexandrinus, ceteris, antiquos inter, vetustior, inclinare in hanc videtur, habet enim: πνεύματι πορνείας ἐπλανήθησαν, passiva loquutione usus, pro ea, quae activo verbo exprimitur in Hebraeo. Eandem quoque Mss. Hebraeorum codicum pars longe maxima tuetur. Sensum autem quia nec auget altera, nec clariorem facit, illo quidem frustra niteretur, qui hanc praeferendam vellet." וַיִּזְנוּ מִתַּחַת אֱלֹהֵיהֶם *Ita ut scortarentur a sub Deo suo* (idem est quod I, 2. זָנֹה תִזְנֶה הָאָרֶץ מֵאַחֲרֵי יְהוָה), i. e. excusso jugo Dei sui; nam particula תַּחַת subjectionem notat, quam excusserunt, cum ad alios deos deficerent. Jovae prae-

cepto Exod. XX, 3. et obedientiae se subduxerunt, nec illum amplius pro solo et uno Deo agnoverunt. Phrasis desumta est, ut Kimchi monet, a re matrimoniali, in qua uxor est sub marito, ceu domino suo, qui in eam potestatem habet, et cui obedientiam ista debet. Cf. Exod. XXXIV, 15. 16. Jud. VIII, 33. Vim vocis מִתַּחַת accurate expressit Chaldaeus, qui vertit: וּטְעוֹ מִבָּתַר פּוּלְחָנָא דֶאֱלָהֲהוֹן *Et scortati sunt a post*, i. e. ita ut recederent a *cultu Dei sui*. Etsi vero non dubium esse potest, scortationem hic accipiendam esse de superstitioso simulacrorum cultu, includi tamen sordes scortationis, quae proprie dicitur, profluentes ex impudicis ritibus cultus illius, suadet Versus proximus.

13. עַל־רָאשֵׁי הֶהָרִים יְזַבֵּחוּ *Super capita*, cacumina, *montium sacrificant*, victimas mactant; quod ipsum et Judaeis exprobratur Jesaj. XXX, 25. LVII, 7. Jerem. III, 6. cf. 1 Reg. XIV, 23. וְעַל־הַגְּבָעוֹת יְקַטֵּרוּ *Et super colles adolent*, victimarum carnes, thymiamata in idolorum honorem accendunt, cf. supra II, 12. al. 15. De numinibus in montibus potissimum cultis vid. J. F. J. Reichenbachii *de ritu populorum sacra faciundi in locis excelsis Dissertat.* Lips. 1798. תַּחַת אַלּוֹן *Sub quercu*, sive alia quercui simili arbore itidem glandifera, Arabibus بَلُّوط dicta, uti auctor est Chaldaeus, qui בְּלוֹט posuit. Memoratur et Genes. XXXV, 8. לִבְנֶה, et Genes. XXX, 37. obvium, aliis est *populus alba*, a colore subalbo, qui foliorum partem aversam occupat, q. d. παράλευκος, aliis *styrax*, Arabibus لُبْنَي vocata, a *lacte*, describunt enim ut *lac emittentem*, *mellis instar*, *quo et suffitus fiat*. Vid. Michaelis *Supplemm.* p. 1405. Aliorum conjecturas vid. in Simonis *Arcano Formar.* p. 267. not. De אֵלָה, *terebintho*, vid. Michaelis l. l. p. 72. כִּי טוֹב צִלָּהּ *Nam bona est umbra ejus*, est enim arbor densa et proinde opaca et grata. Cf. Ezech. VI, 13. XX, 28., et J. R. Kiesling Dissertat. *de superstitioso Israelitarum sub quercubus cultu ad oracula sacra Jesaj. I, 29. Ezech. VI, 13. Hos.*

Hoſ. IV, 13. curatius enucleanda, Lipſ. 1748. in quat. Pro צַלָּהּ legitur צִלָּם in uno codice Kennicottiano, et in alio de-Roſſii, „relato," ait is Vir Doctiſſimus, in Scholiis Critt., „ſuffixo non ad ſolam terebinthum, ſed ad tres arbores, quae praecedunt. Sed diſtributive ſumi poteſt ſuffixum ſingulare, ac ſumunt varii interpretes." Verum צִלָּם manifeſtum eſt mendum; nam ſuffixum plurale ad arborum nomina feminei generis debuit צִלָּן eſſe. Hieronymus: „In lege [Deut. XII, 2. 13. XVI, 21.] praeceptum eſt, ut non ſacrificetur Domino, niſi in loco, quem elegerit Dominus Deus, et juxta altare lucus et arbores non plantentur, ne ſcilicet paſſiva et voluptuoſa religio auſteritatem unius et verae religionis evertat. E contrario Iſrael ſacrificabat in montibus, et in collibus adolebat incenſum, excelſa terrae diligens loca. Hoc eſt, quod legimus de ſingulis regibus: *veruntamen excelſa non abstulit*, adhuc populus immolabat et ſacrificabat in excelſis, quod hebraice appellatur *bamoth.*" עַל־כֵּן תִּזְנֶינָה בְּנוֹתֵיכֶם וְכַלּוֹתֵיכֶם תְּנָאַפְנָה *Ideo ſcortantur filiae veſtrae, et nurus veſtrae moechantur.* Turpiſſima impietas late graſſatur. Quod enim patres cum filiis idolorum cultui ſeſe dedunt, inde fit, ut omnis pudor evaneſcat, atque filiae et nurus, quae domi caſtiſſime ſervari debent, in ſacris iſtis montanis et ſilveſtribus pudicitiam ſuam proſtituant. כַּלּוֹת quidam, ut Hieronymus, *ſponſas* interpretantur, quae ſane eo nomine ſignificantur Jeſaj. LXII, 5. Cant. IV, 9. Verum ut hoc loco filiae referuntur ad patres, ſic et כַּלּוֹת ad ſoceros videntur referendae. *Nurum* ſignificat כַּלָּה et Geneſ. XXXVIII, 24. Jarchi ſic exponit: „Propterea quod vos aſſociemini cultui idolorum, gentium ſic ritibus plane deditі, ac invicem gentes ſocietatem vobiscum ineant, et conjugiorum vinculis vobis jungantur, ac proinde filiae veſtrae, ex uxoribus alienis genitae vobis, matrum ductum ſequentes, gentium quoque foedis ritibus adſueſcant, hinc et ipſae ſcortandi conſuetudinem contrahunt." Sequutus eſt Chaldaeum interpretem, cujus haec ſunt verba: עַל כֵּן מְזַנְיָן בְּנָתְכוֹן דַהֲוָאָה לְכוֹן מִבְּנַת עַמְמַיָא וְכַלָתְכוֹן דִנְסַבְתּוּן לִבְנֵיכוֹן

לִבְנֵיכוֹן מִן עַמְמַיָּא נִיזְנַן *Propterea scortantur filiae vestrae, quae vobis sunt e filiabus gentium, et nurus vestrae, quas sumsistis filiis vestris e gentibus, scortantur.* Alia ratione KIMCHI haec explicat: „Propterea quod viri exirent urbibus, peterentque cacumina montium ad suffitus ibi adolendos, domi relictis filiabus et nuribus, occasionem nactae hae scortabantur." Ita DRUSIUS: „Nam absentia patris familias occasionem praebet filiabus, ut scortentur, custode earum remoto. Ac si dicat: par pari; vos spiritu scortamini, illae corpore scortantur." Poenam, quae peccato respondeat, posteriori Versus hemistichio exprimi, HIERONYMI quoque est sententia. Sic enim in Commentario locum nostrum enarrat: „Fornicatus fuerat Israel a Domino, Deo suo, et spiritu fornicationis seductus; ideo fornicantur et filiae ejus et sponsae, et absque ulla vindicta in suo scelere relinquuntur, ut quod filii et uxor vero parenti fecerant et marito, hoc in liberis suis et uxoribus sentiant, et ex proprio dolore intelligant dolorem Dei."

14. Verba לֹא אֶפְקֹד עַל־בְּנוֹתֵיכֶם כִּי תִזְנֶינָה וגו' nonnulli interrogative capiunt (לֹא pro הֲלֹא): *Annon animadverterem in filias vestras, quod scortentur? et in nurus vestras, quod adulterentur?* ut sit geminum illi Jerem. V, 9. הַעַל־אֵלֶּה לֹא אֶפְקֹד *an propter ista non animadverterem?* Id vero non convenire satis cum scopo serieque contextus, adeoque cum veteribus omnibus *indicative* sive *indictive* haec verba capienda esse, *non animadvertam in filias vestras*, et quae sequuntur, monet GATACKER *Adversarr. Miscell. posth.* C. XVIII. p. 624. „Versu, inquit, proxime antegresso, ubi suos Deus corripuerat, quod Deo vero, cui se prius in conjugium dederant, relicto, cum idolis foedissimis palam passimque rem jugiter haberent, minatur, hoc se flagitium huic gemino in ipsis ulturum, fore enim, ut filiae ipsorum scortarentur, et sponsae, vel nurus ipsorum moecharentur. Idem ergo prorsus istis Deus interminatur, familias se ipsorum dedecori et opprobrio expositurum, nec casti-

castigationibus aut correptionibus ullis suis, vel filias, vel nurus ipsorum flagitiosissime ac profligatissime se gerentes, coerciturum, quo a vitae turpitudine illa cessent aliquando; ut hoc pacto de ipsis ob idololatriam cum impuritate itidem pari junctam poenas meritas factisque suis dignas sustineant.“ Nec aliter nostrum locum exponit Hieronymus: „Absque ulla vindicta in scelere suo relinquuntur. In tantum iratus est Deus, ut nequaquam percutiat delinquentes. Qui amatur, corripitur; qui negligitur, suis peccatis dimittitur. Tantusque fuit numerus fornicationum Israel, ut cesset ultio desperans emendationem.“ Drusius: „Poena homines meliores efficit. Qui ergo non punit, non corrigit. Sensus ergo, ut si diceret: *scortationes et adulteria impune committent*, i. e. non castigabuntur eo nomine. Quae impunitas et filiabus ad impudicitiam et parentibus ad ignominiam faciet. Nam dedecus patri ex impudica vita filiae.“ Kimchi: „Non est in illis fornicatio pro culpa habenda, quia a familiae dominis eam didicerunt.“ Vult, Deum, cum feminae, ut ἀσθενεστέρῃ σκεύῃ, ae seductae marium exemplo, in idololatriam improvide laberentur, non habiturum rationem hujus delicti, utpote cujus non ipsae, sed duces ad malum viri rei essent. Similiter Vatablus: *Non puniam eas adeo severe, uti vos.* Quod languidius. Argutius paulo Jarchi, Talmudicos sequutus, hunc locum intelligit de aquis zelotypiae s. probationis (Num. V, 18—27.), quasi Deus minetur, se non amplius per aquas illas manifestaturum suspectas adulteras, idque in poenam maritorum. Neque ullius momenti est haec interpretatio, cum, quia non tantum de uxoribus, sed etiam de filiabus in genere sermo est, tum quia non tam de adulteris occultis, quam manifestis agitur. Sunt, qui פָּקַד h. l. capiant sensu bono, *considerare aliquem benevolo animo, curam ejus gerere, ei prospicere.* Ita Theodoretus: Οὐ χάριν, φησὶν, οὐδεμιᾶς παρ' ἐμοῦ τεύξεσθε προμηθείας τῶν θυγατέρων ὑμῶν, καὶ τῶν νυμφῶν, προφανῶς ὑπὸ τῶν ἐπιόντων ὑμῖν πολεμίων μοιχευομένων· ἃ γὰρ κρύβδην παρ' ὑμῶν ἐτολμᾶτο, ταῦτα ἀναφανδὸν συγχωρήσω

χωρήσω γενέσθαι. *Hac de caussa, inquit, nullam a me laturi estis de filiabus sponsisque vestris curam, quae in aperto ab hostibus vos invadentibus adulterabuntur; quae enim vos clanculum admittebatis, ea palam perpetrari permittam.* Sed verbum פָּקַד ubi in bonam partem usurpatur, semper cum accusativo construitur, vid. Genes. XXI, 1. Exod. IV, 31. Ruth. I, 6. al.; sed cum עַל junctum, ut h. l., constanter denotat *in*, *contra* aliquem *animadvertere, poenam sumere de aliquo,* vid. Exod. XX, 5. Jesaj. XXIV, 21. Jerem. IX, 24. XXIX, 32. et saepius. Retinendus igitur sensus, quem supra indicavimus: non ulciscar scortationes et adulteria in familiis vestris: non corrigam haec flagitia. Volo enim vos esse probrosos et dedecori expositos, quia priores scortati estis. Sequitur ratio, quam reddit Deus, quare probro istiusmodi expositos illos velit: כִּי־הֵם עִם־הַזֹּנוֹת יְפָרֵדוּ, ubi transitus habetur a secunda ad tertiam personam, qui, etiamsi ceteroquin frequens sit, hoc tamen loco ἔμφασιν habere videtur peculiarem, ut tanquam per indignationem et contemtum dicat: *isti scortati sunt*, ac si eos alloquio non dignetur. יְפָרֵדוּ, forma *Piel*, hoc solo loco obvia, varie exponitur. Chaldaeus: מִתְחַבְּרִין, et Jarchi מתחברין, *consociant se cum scortis.* LXX: μετὰ πορνῶν συνεφύροντο. Hieronymus: *cum meretricibus conversabantur.* Non quod verbo פָּרַד *conversandi*, *consociandive* notionem obtinere crederent; sed sensum expresserunt. Verbum פָּרַד *dividere*, *separare* usitatissime significat, unde verba nostra vertenda: *cum scortis separant* se (nam ellipsis accusativi reciproci frequens, ut in illo 2 Reg. V, 10. רָחַצְתָּ *lava* scil. *septies in Jordane*), quod Kimchi explicat: „Divertunt et separant se ab uxoribus suis, ut cum scortis rem habeant; vel separant mulieres a maritis suis, et ad se pelliciunt.“ Aben-Esra: „Cum una aliqua, hac aut illa, seorsim abducta, congrediuntur.“ Nec abscedit longe Drusius: „Recte: *separant*, quia qui talia patrant secessum quaerunt, et se separant a consortio hominum; item se separant ab uxoribus.“ Arabum فرق in Conjugatione II., quae

quae Hebraeorum Piel respondet, significat: *secessit, segregavit se a ceteris*, peculiariter, *devotionis ergo*. Sunt, qui de partitione sacrificiorum cogitent: *cum scortis dividunt* carnes victimarum, post factas proficias, coll. 1 Sam. I, 4. 5. Priori sententiae tamen usus verbi in Niphal et Hiphil magis favet, quo *integrorum separationem* seu *secessum* denotat. Alii: *separant se a Deo*, sive, *a Deo dividuntur*, quemadmodum si mulier a marito suo descifcat, et se subjiciat adultero. Cui expositioni favere videtur, cum quod superius Vs. 12. dixerat: וַיִּזְנוּ מִתַּחַת אֱלֹהֵיהֶם, *scortantur a Deo suo*, cui conjugio sunt conjuncti, se subducentes; tum quod sequitur, et tanquam ἐξηγητικῶς illi dictum urgent: *et cum scortis sacrificant*. Sed scortationem cum idolorum cultu conjunctam notari verisimile est, quod utrumque crimen vates Israelitis objecerat supra Vs. 2. 11. 12. Josephus Kimchi, Davidis pater, verbum יְפָרֵדוּ vult, referente filio, hic a nomine פֶּרֶד, quod *mulum* significat, deduci, quod est animal libidinosissimum, sed infoecundum, ut sensus sit: *mulos agunt*, mulorum instar cum mulieribus congrediuntur. Verum quum usitata verbi illius significatio sensum efficiat satis aptum, ad coactiorem illam et parum tutam interpretationem confugere nil est necesse. — וְעִם הַקְּדֵשׁוֹת יְזַבֵּחוּ *Et cum sacerrimis istis* prostibulis *sacrificant*, cum feminis quae Veneri se consecrarunt, et corpus prostituunt (ut קְדֵשִׁים *scorta mascula publica*, 1 Reg. XIV, 24. XV, 12. 2 Reg. XXIII, 7.), ut earum impuris amplexibus illi se libidinem in honorem profani numinis exercere testatum darent. Chaldaeus: וְעִם נַפְּקַת בָּרָא אָכְלִין וְשָׁתָן *et cum meretricibus comedunt et compotant* in epulis sacrificalibus. Hieronymus: „Verbum *cadesoth*, quod Aquila ἐνηλλαγμένων, Symmachus ἑταιρίδων, LXX τετελεσμένων, Theodotion κεχωρισμένων interpretati sunt, nos *effoeminatos* vertimus, ut sensum verbi nostrorum auribus panderemus. Hi sunt, quos hodie Romae, matri, non Deorum, sed Daemoniorum servientes, Gallos vocant, eo quod de hac gente Romani truncatos libidine in honorem Atys, quem eunuchum

chum Dea meretrix fecerat, sacerdotes illius manciparint. Istiusmodi idololatria erat in Israel, colentibus maxime feminis Beelphegor ob obscoeni magnitudinem, quem nos Priapum possumus appellare. Unde et Asa rex tulit excelsa de populo et hujuscemodi sacerdotes, et matrem de augusto deposuit imperio, sicut Scriptura testatur dicens [1 Reg. XV, 11. 12. 13.]: *Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David, pater ejus, et abstulit effoeminatos* [הַקְּדֵשִׁים] *de terra, purgavitque omnes sordes idolorum. Insuper et Maacham, matrem suam, amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, et in luco ejus, quem consecraverat, subvertitque specum ejus, et confregit simulacrum turpissimum et combussit in torrente Cedron.* Sciendum autem, quod in praesenti *cadesoth* meretrices ἱερεῖς, id est, sacerdotes, Priapo mancipatas vocet. In aliis autem locis viros exsectos libidine *cadesim* legimus. Aquila autem ἐνηλλαγμένους interpretans, id est, *mutatos*, hoc ostendere voluit, quod suam naturam mutaverint, et de viris facti sunt feminae. Symmachus ἑταίρας proprie meretrices appellavit, LXX τετελεσμένους, id est, *consecratos* et *initiatos*, ut cultores idolorum ostenderent, Theodotion κεχωρισμένους, id est, *a populo separatos*, qui sibi videbantur a vulgo aliquid plus habere." וְעָם לֹא־יָבִין יִלָּבֵט *Et populus qui non animadvertit*, intelligit, sapit, *corruet*, praeceps ruet, quae est Arabici لَبَطَ significatio, et duobus reliquis, quibus hoc verbum in codice Hebraeo occurrit, locis, Prov. X, 8. 10. idonea; vid. A. Schultensii ad ea loca Commentarium, et cf. Michaelis *Supplemm.* p. 1400. Ita et Kimchi illud exponit hebraeo יִכָּשֵׁל. Sed patrem suum, Josephum, interpretatum esse ait linguae arabicae ope *perplexus erit, sese implicabit*, consilii inops peribit. In Lexicis tamen Arabicis Dschenharii aut Firuzabadii illa significatio, a Kimchio verbo لَبَطَ tributa non commemoratur, nisi quod in forma sive conjugatione quinta inter alia *attonitus fuit* illud notare dicitur. Ceterum *implicandi* significatum

ficatum jam LXX expreſſerunt, ſed ita, ut verbum יִלָּבֵט primis Verſus proximi verbis jungerent, quae עִם זֹנָה (pro אִם־זֹנֶה) legerunt. Sic enim vertunt: *συνεπλέκετο μετὰ πόρνης*. Nec aliter Syrus: ܟܠܫܒ ܙܢܝܬܐ *amplexus eſt ſcortum*. Hieronymus *vapulabit* reddidit, ex conjectura, uti videtur, ſenſum exprimens. Chaldaeus: וְעַם דָּרָא דְלָא אִסְתַּכַּל בְּאוֹרַיְתָא הֲלָא אִתְרָטַשׁ *et populus generationis, quae legem non intelligit, nonne collidetur?* J. G. Bosseck (vid. H. B. Starkii *Lux Grammat. Ebr.* edit. quint. p. 551.) verbis לֹא יָבִין adverbialiter ſumtis locum noſtrum ita exponit: *populus non intelligit, implicabitur*, i. e. praeter ſpem et opinionem, improviſo, implicabitur. Ut illud Jeſaj. LIII, 11. יִרְאֶה יִשְׂבָּע *videbit ſaturabitur*, i. e. plenarie videbit, videbit ad ſaturitatem. Quod quaeſitum eſt, ſenſumque efficit contextus ſeriei non ſatis concinnum.

15. Populum ruiturum in exemplum alteri propoſiturus vates crimen ejus hoc alloquio repetit: אִם־זֹנֶה אַתָּה יִשְׂרָאֵל, *Si ſcortaris tu, Iſrael*, poſt idola; ſive, *quodſi utique tu vis ſcortari*, Vs. 11. ſeqq. Oratio *conceſſiva* potius eſt, quam conditionalis, et exaggerat criminis gravitatem. אַל יֶאְשַׁם יְהוּדָה Saltim *ne reus fiat* per te etiam *Juda*, ne in communionem veniat reatus graviſſimi, quem graviſſima poena ſequetur. Hoc vult: ſaltem Juda, penes quem eſt adhuc templum, a falſo cultu abstineat. *Juda*, duae tribus, Juda et Benjamin. Quibus nonnulli addunt tribum Levi. Sed ea reliquis annumerabatur; alioquin tribus erant numero tredecim. „Vel ſenſus verborum אַל־יֶאְשַׁם יְהוּדָה hic eſt: *non deliquiſſet*, non debuiſſet delinquere, *Juda*. Simile: *Non ſpectaſſes diem fratris tui*, non debuiſſes ſpectare. Nec diſſimile: *filius honorat patrem*, quod recte exponunt: *debet honorare*. Nam profecto Judaei tunc deliquerant. Quocirca videtur haec poſterior interpretatio germana eſſe.“ Drusius. Sed אַל, *ne*, vim habet interdicti, Priorem ſenſum et Hieronymus expreſſit: „Si ſemel, o Iſrael, errore deceptus es, et te cum meretricibus miscuiſti, ita ut qui-

quicunque impleret manum vel suam, vel regis, offerendo et dando ei munera, sacerdos fieret excelsorum, saltem tu, Juda, qui possides Hierusalem, et habes ex lege Levitas, et exerces templi ceremonias, non debes sororis quondam tuae, Oollae (Ezech. XVIII, 4.), in fornicatione exempla sectari, et cum ea idola colere." Cf. infra V, 5. Ezech. XVI, 45. 46. 2 Reg. XVII, 19. Jarchi: „*Si scortaris tu, o Israel,* ne discant filii Judae viam eorum. Alia explicatio: si Israel scortatur, nullos per hos reatus transiit in Judae posteros, nec ego eos delicti hujus incuso; prout dictum supra (I, 7.) fuerat: *at domus Judae miserebor.*" Quam interpretationem probat Abarbenel, et pluribus sic exponit: „Dixerit fortasse quispiam, non cedere in culpam domui Israelis, quod colendo idola scortis paria facerent, quum auctores in hoc haberent posteros Judae, ut qui continuis Israelem lacessiverant bellis, ex quo in duo regna divisus populus fuit, quo nec via patet Israelitis Hierosolyma ad divinum cultum proficiscendi. Jam ut responderetur ad haec, ait: *quando scortaris tu, o Israel, non reus fiet Juda,* quasi diceret: si tibi, o Israel, facultas data non fuit veniendi Hierosolyma, prohibente id metu Judaeorum, domi manere debuisses, et in terra tua, nec illico dare te cultui idolorum. Verum enim vero *quandoquidem scortaris tu, o Israel,* Baalibus cultum deferendo, *non reus fiet Juda,* non enim Judae id imputari poterit, utpote cujus nec suasionibus ad id es seductus, necque impulsu coactus ad tuum Deum deferendum." Cui interpretationi etsi subtilitatis laudem nemo facile denegaverit, artificiosior tamen illa est, quam ut pro genuina haberi possit. Reliqua Versus parte, וְאַל־תָּבֹאוּ הַגִּלְגָּל וגו׳ *Neque eatis in Gilgal,* et quae sequuntur, dissentiunt, Judaeosne an vero Israelitas alloquatur vates. Ad Israelitas sermonem converti nonnulli existimant, ideo potissimum, quod idolorum cultus in Gilgale et Bethele exercitus iisdem exprobratur tam a Nostro, infra IX, 15. XII, 12., quam ab Amoso, IV, 4. V, 5. Ex Abarbenelis quoque sententia compellantur nostro loco Israe-

Israelitae, qui itando creberrime Bethelem ac Gilgalem, dum per terras Judaeae tribus perficerent iter, et pravo exemplo, et illecebris voluptatum quam plurimos de Judaeis ad idololátriae spurcitiem abstrahebant. Mens sic fuerit prophetae, in animum Israeli revocare; quando detrimento non sibi tantum, sed et Judae tribui peccarent, tam pernicioso exemplo multos trahendo in ruinam. Ideo arbitratur Abarbenel, *Danis* nullam mentionem injici, ubi alterum Jeroboamus vitulum erigi curaverat, quod quum Danem proficiscerentur Israelitae, non transirent limites Judae et Benjaminis, quod necesse quidem erat Gilgalem et Bethelem proficiscentibus. Verum Israelitae suos vatem non tam leniter, sed severius acriusque dehortaturum fuisse credibile est. Quare nos hunc Versum ad Judaeos referre non dubitamus. Jarchi: „*Ne veniatis*, o viri Judae, *Gilgalem*, id est, dummodo Judaei non Gilgalem veniant, ubi decem tribus deos alienos colunt.“ Etiamsi autem expressis verbis scriptum non exstat in V. T. libris historicis, Judaeos ad colendos vitulos iter Gilgalem instituisse, concludere tamen licet, quum reges quidam impii (quales Joram Josaphati, 2 Reg. VIII, 18, et Ahasus 2 Reg. XVI, 3.) composuerint se ad exemplum idololatrarum in Israele, et utrique sorori, Israéli ac Judae, *eadem via* fuisse dicatur Ezech. XXIII, 13., ad vitulos colendos se avertisse Judaeos; ut minime frustranea fuerit reprehensoria admonitio ad Judaeos de cavendo vitulorum cultu, omnique, cui se Israel dederat, idololatria. וְאַל־תָּבֹאוּ *Neo veniatis*, i. e. ne abeatis, ut Ruth. III, 7. Jon. I, 3. *Gilgal*, uti auctor est Eusebius in libro de *locis Hebraicis* ab Hieronymo translato, „locus erat ad orientalem plagam antiquae Hierichus cis Jordanem, ubi Jesus secundo populum circumcidit, et pascha celebravit, et deficiente Manna triticeis panibus usus est Israel,“ vid. Jos. IV, 19. 20. V, 9. 10. IX, 6. X, 6. 7. XIV, 6. Hieronymus in Commentario ad h. l.: „*Nolite ingredi in Galgala*, de qua in hoc propheta [IX, 15.] legimus: *omnis malitia eorum in Galgalis*, in qua Saul unctus est in regem [1 Sam. XI, 15.],

15.], in qua exiens populus de deferto primum caſtra metatus, ſecunda circumciſione purgatus eſt; ex quo tempore religionis adverſae in loco celebri error inolevit.“ A priscis inde temporibus ſuperſtitioſum cultum Gilgalis viguiſſe, patet ex Jud. III, 19., ubi prope eum locum idola ſculpta (הַפְּסִילִים) reperta fuiſſe legitur. Intra limites vero regni Iſraelitici, non, ut vult Hieronymus infra ad XII, 12., Judaici, ſitam eſſe Gilgalam, vel inde apparet, quod ejus loci ſemper in reprehenſione Iſraelitarum ſit mentio. Addit vates: וְאַל־תַּעֲלוּ בֵּית אָוֶן, *nec aſcendatis in Beth-Aven*, quo non eſt intelligendus locus ita appellatus, cujus Joſ. VII, 2. XVIII, 12. 1 Sam. XIII, 5. XIV, 25. mentio ſit, ſed ille locus, qui alias *Bethel* dicitur, quemadmodum vertit Chaldaeus: וְלָא תִסְקוּן לְבֵיתְאֵל *nec aſcendite in Bethelem.* Erat is locus a Jacobo, quod numen ipſi eo apparuiſſet בֵּית אֵל, *domus Dei*, appellatus, coll. 1 Sam. X, 3. Sed quum a Jeroboamo electus eſſet in ſedem praecipuam cultus ſuperſtitioſi, erecta ibi vituli ſtatua, 1 Reg. XII, 28., Noſter eum locum vocat per contemtum בֵּית אָוֶן, *domum*, ſedem, *vanitatis*. Ita et Amos V, 5. וּבֵית אֵל יִהְיֶה לְאָוֶן, *et Bethel erit in vanitatem.* Hieronymus: „Pro *domo* Ὢν in quibusdam exemplaribus, et maxime in Theodotione legimus *οἶκον τῆς ἀδικίας*, id eſt, *domum iniquitatis*, quod Aquila et Symmachus interpretati ſunt *οἶκον ἀνωφελῆ*, id eſt, *domum inutilem*, quae nihil proſit, et alio verbo idolum nuncupetur. Eſt autem Bethel, et quae prius vocabatur *domus Dei*, poſtquam vituli in ea poſiti ſunt, appellata eſt Bethaven, id eſt, *domus inutilis*, et *domus idoli*, quod nos, ut in Hebraeo legitur, expreſſimus.“ Et paucis interjectis idem Hieronymus: „*Et ne aſcendatis in Bethaven,* id eſt, quae quondam vocabatur Bethel, quia poſtquam aurei ibi vituli poſiti ſunt ab Hieroboam, filio Nabath, non *domus Dei* appellatur, ſed *domus idoli.* Pro qua miror, cur LXX *domum* Ὢν interpretati ſint, niſi forte errore conſueto pro י, litera media, quae א et ן literis ex utraque parte vallatur, ו, quae ſola differt magnitudine, putaverunt.“ Verum aliter tantummodo

tummodo pronunciaſſe Alexandrinum, אָוֶן, patet. Limes borealis tribus Benjamin tendebat a Jordane verſus ſolitudinem Bethaven, et inde praeteribat Bethel ab auſtro, Joſ. XVIII, 13. Fuit itaque Bethel in Ephraim, adeoque in decem tribuum regno, ſed in confiniis Benjaminis ſive regni Judaici; nam limes auſtralis tribus Ephraim juxta illam tendebat, Joſ. XVI, 2. Abia, rex Judae, Bethelem eripuit Jeroboamo, regi Iſraelis, 2 Chron. XIII, 19. Sed rediiſſe illam deinceps ſub regum Iſraelitarum ditionem, e vate Noſtro colligere licet. Ceterum *Bethel* in loco editiore ſitam fuiſſe, patet e verbo עָלָה, quod non ſolum hoc loco, verum et Jud. I, 22. et 1 Sam. X, 3., ubi de illa urbe eſt ſermo, uſurpatur. וְאַל־תִּשָּׁבְעוּ חַי־יְהוָה *Neque juretis: vivit Jova;* „quibus verbis," inquit Abarbenel, „alia continetur reprehenſio, qua itidem caſtigat domum Iſraelis, quaſi dicere intendiſſet: poſtquam idolorum vos cultus a Deo vero avertit, ac negligitis prorſus viſitare domum Domini ejusque Sanctuarium, tantummodo ſolliciti, ut proficiſcamini ad cultum vitulis exhibendum, quid nunc juratis vos per nomen Domini, dicentes: *ut vivit Jova!* Certum utique, et quod Lex praecepit (Deut. VI, 13.) *et per nomen ejus jurabit*, et quod ait propheta (Jeremias IV, 2.), *et juretis: vidit Dominus*, in nemine valere, niſi in iis, qui ejus inſtituta ſequuntur: quare illi praecepto praemittitur: *ſervies ei ac ei adhaerebis,* tum ſubjungitur: *et per nomen ejus jurabis.* In impiis autem, et oſoribus nominis divini non alio inſervit ejusmodi jusjurandum, niſi ut ſignum prodatur, Deum contemtui eſſe. Scribit ad haec Jarchi, iſtud illis moris fuiſſe, ut, ſi quando de vera re praeſtarent jusjurandum, conciperent illud per nomen Baalis; at cum mendacium jurejurando adſtruerent, jurarint: *vivit Dominus!* Sic et propheta loquitur (Jeremias V, 2.): *Et ſi dixerint: vivit Dominus, certe falſo jurant."* Hinc Chaldaeus noſtra verba ſic reddidit: וְלָא תִשְׁתַּבְּעוּן לְשִׁקַר קַיָּם יְיָ הוּא *et ne juretis in falſum: exiſtens eſt Dominus.* Noſtro loco non reprehenditur ſimpliciter et in ſe formula juris-

jurisjurandi, a Deo ipso mandata, Deut. VI, 13. X, 20., sed ejus abusus, cum cultu superstitioso conjunctus, de quo et alii vates queruntur, vid. Jesaj. XLVIII, 1. Ezech. XX, 39. Amos VIII, 14. Zephan. I, 5., et Jeremiae loca, ab Abarbenele allata. Bene Hieronymus sensum expressit his verbis: „Nolo per os vestrum nominis mei fieri memoriam, quod idolorum recordatione pollutum est.“

16. כִּי כְּפָרָה סֹרֵרָה סָרַר יִשְׂרָאֵל *Quoniam sicut juvenca refractaria refractarius est Israel.* סֹרֵר rebellem, contumacem, refractarium notare constat, qualis est ille, qui se liberum putat, et a suis cervicibus jugum excutit. Deuter. XXI, 18. legitur de filio rebelli, junctum τῷ מוֹרֶה, redditurque illic graece ἀπειθής. *Rebellis* vero est *juvenca*, quae nullo modo adigi se patitur, ut aratrum trahat, quae contra ipsos etiam stimulos recalcitrat, quae obluctatur rumpitque lora, si quando vinculis alligari contigerit. (Ita Syrus: ܡܛܠ ܕܐܝܟ ܬܘܪܬܐ ܕܡܬܡܪܕܐ ܥܠ ܢܝܪܐ *propterea quod sicut juvenca rebellans contra jugum, ita rebellarunt Israelitae*). Quod ex eo provenit, quia pabulis saginata est pinguibus, et sua potius libidine, quam aliorum regitur imperio. A quali jumento similitudinem duxit Moses, Deut. XXXII, 15. *Incrassatus est Jeschurun, et recalcitravit, incrassatus, impinguatur, dereliquit Deum, factorem suum.* Ad quem locum accommodate nostrum hoc modo transtulit Chaldaeus: אֲרֵי כְּתוֹרָא דְאִתְפַּטַּם וּבְעַט כֵּן מְרַד בִּסְגֵי טוּבָא יִשְׂרָאֵל *quoniam sicut bos saginatus et recalcitrans, sic rebellat ob multitudinem bonorum Israel.* Vulgatus: *quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel.* Hieronymus: „Pro *lasciviente vacca* LXX transtulerunt παροιστρῶσαν, quae oestro asiloque percussa sit, quem vulgo tabanum vocant. De quo et Virgilius in tertio libro Georgicorum refert (Vs. 147. seqq.):

— — — — Quoi nomen asilo
Romanum est, oestrum Graji vertere vocantes.
Asper, acerba sonans, quo tota exterrita sylvis
Diffu-

Diffugiunt armenta, furit mugitibus aether
Concuſſus, ſylvaeque et ſicci ripa Tanagri.

Quia ergo inſanivit Iſrael, et percuſſus fornicationis ſpiritu incredibili furore bacchatus eſt, ideo non multo poſt tempore, ſed dum propheto, dum ſpiritus hos regit artus, *paſcet eos Dominus quaſi agnum in latitudine.*" Ita latinis verbis expreſſit poſterius Verſus hemiſtichium: עַתָּה יִרְעֵם יְהוָה כְּכֶבֶשׂ בַּמֶּרְחָב, in quo interpretando mirum in modum inter ſe diſcedunt interpretes. Primo intuitu his verbis beneficium indicari putes. Nam *paſcere* ſuos Deus dicitur, cum eorum curam et tutelam ſuscipit, vid. e. c. Pſ. XXIII, 1. 2.; et *latitudo*, מֶרְחָב, clauſtris et anguſto terrae tractui oppoſita, grata et commodiſſima eſt gregibus; et ipſa *ovis* et *agni* appellatio teneritudinem innuere videtur affectus, unde Chaldaeus habet כְּאִמַּר בְּחִיר, *ſicut agnus electus.* Hinc eſt, quod haec verba nonnulli vertunt cum Aben-Eſra et Kimchio: *nunc eos paſceret,* q. d. niſi refractarius fuiſſet Iſrael, jam ſe paſtorem illi praeberet Deus, veluti cum in loco ſpatioſo ovis paſcitur pro lubitu. Quod et Bochabto placuit *Hieroz.* P. I. L. II. C. XLI. T. I. p. 447. edit. Lipſ. Alii exponunt interrogative, per modum validae negationis, ut Abarbenel: „Quandoquidem ut vacca refractaria rebellis eſt Iſrael, *anne paſceret eos nunc Jova ut ovem in loco ſpatioſo?* ut voluptates ſuas placide ſectentur? Indicat propheta, aequum eſſe, ut beata terrae ſuae ſede privarentur, pellerentur de malo in malum." Ab his diſcedit Drusius: „Auget," inquit, „crimen ex circumſtantia temporis. Refractarius eſt, ait, nunc jam cum eum Deus tam benigne habeat. Accipio autem, ut ſi ſcriptum eſſet: *nunc cum paſcit eos Dominus,* vel, *nunc paſcente Domino.*" Alii ſenſum volunt eſſe hunc: dum in amplis uberibusque paſcuis late ac libere vagantur, paſcuntur revera et ſaginantur a Deo, ut tradantur hoſtibus, quibus reſiſtere non poterunt, mactandi; haud aliter quam agnus, cui nulla eſt ad reſiſtendum facultas, alitur ad macellum. Quae tamen omnes interpretationes ſenſum efficiunt parum con-

concinnum, neque totius orationis seriei satis accommodatum. Ea docet, hoc hemistichio minam contineri, *locumque spatiosum*, quo pascendus Israel, opponi pascuo probe obsepto, quo agnus imbecillis a feris sit tutus. Minatur igitur, deportaturum esse Deum Israelitas in remotissimas vastissimasque regiones, in quibus oberrent, ut agnus, qui a grege divulsus, et a matre destitutus, inani balatu omnia complet, tandemque praeda fit lupis. Ita a nonnullis suae gentis interpretibus nostra verba accipi, jam observat Kimchi: „Sunt," inquit, „qui sic exponant: pascet eos veluti pecus solitarium in campo lato, balans continuo, et huc illuc discurrens, non quiete se non pabulo reficiens." Hieronymus: „Quia metaphoram e vacca lasciviente sive oestro percussa coeperat, servat in reliquis, ut captivitatem in Assyrios et in latissimam Medorum terram dispersionem populi Israel quasi in campo latissimo et in spatiosa terra gregis et agnorum pasturam vocet." Feliciter nostri Versus sensum expressit Rittershusius:

Namque velut lasciva abrupto fune juvenca,
Degener in Dominum sic refractaria gens est.
Ergo ipsam faciet missam Deus, haud secus ac si
Pastori amissus loca per deserta vagetur
Agnus, praeda lupo jamjamque futurus edaci.

17. חֲבוּר עֲצַבִּים אֶפְרָיִם *Associatus idolis est Ephraim.* quae verba Chaldaeus recte vertit: אִתְחַבַּרוּ לְטַעֲוָתָא בֵּית יִשְׂרָאֵל, *associarunt se idolorum cultui domus Israel*, quod recte pro אֶפְרָיִם posuit, neque enim una illa tribus notatur illo nomine, sed omnes decem, quae Judae opponuntur, ut infra V, 3. Jesaj. VII, 5. Ratio autem adhibiti hujus nominis est, tum insigne tribus illius prae aliis robur, tum Jeroboami, primi regis, ex illa ortus, tum constituta in hac tribu regni sedes praecipua. Nomine עֲצַבִּים *idola* significari, non dubium, vid. 2 Sam. V, 21. Jerem. XLIV, 19. Mich. I, 7. infra VIII, 4. XIII, 2. Hebraei ea illud nominis nacta volunt a עִצָּבוֹן, *dolor*, quod nulla in idolis utilitas sit, sed dolo-

dolorem ingentemque plurimumque moleſtiae creant, nec in auxilium cultoribus ſuis ſuccurrunt, ſed in omnis commodi damnum. Verum videtur potius illud nomen a *formandi* ſignificatione verbi עָצַב, Chaldaeis ſervata, proprie notare *formas*, *imagines* deorum. Pro חֲבוּר LXX et Hieronymus poſuerunt *μέτοχος*, *particeps*. Undecunque ſimilitudo ſit petita, ſive a foedere arcto, quod homines ſolent inter ſe inire, de quo verbum חָבַר dicitur Geneſ. XIV, 3. 2 Paral. XX, 35. 37., ſive a conjugii vinculo, de quo חָבֵר Malach. II, 14., quod hoc loco ob repetitam ſcortationis mentionem maxime commodum, notatur utique intenſum cultus ſuperſtitioſi ſtudium. Drusius: „Ephraim vinculo ſocietatis ſe obſtrinxit cum idolis tam arcto, ut ab iis disjungi ac ſeparari non poſſit.“ Poſtrema Verſus noſtri dictio, הַנַּח־לוֹ, interpretationis eſt perquam ambiguae. LXX: Ἔθηκεν ἑαυτῷ σκάνδαλα, Verbum הֵנִיחַ *ſtatuendi*, *collocandi* notione ceperunt, quam ſaepius obtinet, veluti 2 Reg. XVII, 28., ubi de ſtatuis deorum erectis dicitur, et poſt לוֹ repetierunt עֲצַבִּים, vel ſubaudierunt אוֹתָם. Oſtenditur ita modus, quo Ephraim idolis adhaerebat, ea in uſum ſuum religioſum et coram ſe conſtituendo. Vulgatus: *dimitte eum* (ita et Syrus: ܫܒܘܩ ܠܗ), quod Hieronymus ſic explicat: „O igitur Juda, cui ſupra dixi, *ſi fornicatur Iſrael*, *non delinquat ſaltem Juda*, audi conſilium meum, prophetae verba non ſpernas; quia Ephraim ſemel idolorum amicus et particeps eſt, dimitte eum, ne ſequaris impietatem ejus, cujus cultus et religio a tuo ſeparatus eſt.“ Jarchi: „*Mitte eum*, ſinito eum [ut verbum hebraicum et Exod. XXXII, 10. 2 Reg. XXXIII, 18.], tu, propheta, neque vaticinium deinceps illi loquitor; nihil enim proderit.“ Ita Livelejus: „Ne arguito eum quispiam; quin agat, quod libeat. More patris loquitur, qui filium nequam, quem corrigere non poteſt, in ſua nequitia progredi jubet, animoque ſuo obſequi, quaſi curam illius omnem ex illo tempore abjecturus ſit. Hujusmodi eſt illud Ezech. XX, 39. *Ite*, *colite ſtercoreos deos veſtros*.“

vestros." Potior tamen mihi videtur Hieronymi interpretatio, quacum convenit Chaldaeus: שְׁבַקוּ לְהוֹן יַת פּוּלְחָנָא, *permittite eis cultum* eum, quem adoptarunt, simulacrorum. De שְׁבַקוּ, Imperativo, vid. Buxtorfii *Vindicc.* p. 721. Rittershusius:

Inque pari cum sit culpa tribus Ephraimaea,
Idolis sese rituque dicarit eodem,
Hunc quoque Juda meus, missum facito, atque jubeto
Res sibi habere suas.

18. De verborum סָר סָבְאָם sensu tot fere sunt sententiae quot interpretes. LXX: Ἡρέτισε Χαναναίους, *amavit Cananaeos.* Verbum סור ceperunt de recessu a recto tramite, quo malis impiisque se sociarunt Israelitae, pro סָבְאָם vero legerunt סְבָאִים, *Sabaei,* quos vel cum Cananaeis confuderunt, vel pro quibus nomen Cananaeorum, populi idolorum cultui non minus, quam illi, dediti, et tum magis noti, substituerunt. Hieronymum in suo τῶν LXX codice legisse ἠρέθισε, ex his ejus verbis apparet: „Id quod LXX transtulerunt, *provocavit Cananaeos*, in Hebraico non habetur: tamen sic interpretari potest, ut dicamus, tantum studium habuisse Israelem in idolorum cultu, ut non imitatus sit Chananaeos, id est, ethnicos, sed ad imitationem sui eos provocarit erroris." Sed praestat ἠρέτισε; quod Arabicus quoque interpres legit, qui vertit: أَرْضَوْا ٱلْكَنْعَانِيِّينَ, *delectati sunt Cananaeis.* Hieronymus ipse verba hebraea ita interpretatur: *separatum est convivium eorum.* Sequutum eum fuisse non dubitamus magistrum suum, Judaeum Lyddensem, qui verba nostra eodem acceperit modo, quo explicat ea Jarchi: „Factum est, inquit Deus, convivium eorum a me alienum. סָר significat h. l. idem quod זָר, *alienum,* ut in illo Jerem. II, 21. *Qui sit, ut conversa mihi sis* סוּרֵי הַגֶּפֶן נָכְרִיָּה *in degeneres* palmites *vitis alienae?* ac si diceret: recessit a loco suo, et ad alium conversus est. סָבְאָם vero denotat compotationem vini eorum, quae fuit

fuit cum meretricibus." Ad quam sententiam proxime accedit interpretatio eorum, qui ante סָבְאָם subaudita particula ל sive אֶל, verba sic vertunt: *declinavit* Ephraim (Vs. 17.) a veri dei, s. Jovae cultu *ad ingurgitationem eorum*, idolorum (עֲצַבִּים Vs. 17.); ingurgitatione vero idolorum intelligunt epulas in honorem eorum institutas et sacrificiis junctas, quas Paulus 1 Cor. X, 21. vocat τὸ ποτήριον καὶ τὴν τράπεζαν τῶν δαιμονίων, cf. Num. XXV, 2. Verum omnibus iis locis, quibus סָר denotat *declinavit ad locum aliquem*, nomini loci, ad quem quis declinare dicitur, praepositum est vel ל vel אֶל. In alia omnia it Chaldaeus interpres, qui verba nostra ita exponit: שִׁלְטוֹנֵיהוֹן אַסְגִּיאוּ שֵׁירָוָן מִן אוֹנֵס, *principes eorum multiplicant convivia ex rapina.* Ea sententia Amos. II, 8. סָר cepit pro nomine, quasi idem sit quod שַׂר, princeps, ut 1 Sam. XV, 32. Chaldaeus סָר itidem vertit רִבּוֹנִי, *domine.* Cf. Buxtorfii *Vindicc.* p. 731. Verbum אַסְגִּיאוּ vero pro lubitu inseruit de suo. Aben-Esra: „*Recedit potatio eorum*, id est, hoc mali eos invasit, ut recesserit ac fuerit plane abrogata eorum potatio, ademto omni vino; attamen non recesserunt a via sua mala (Jon. III, 10.)." Kimchi vocem סָר hic *foetoris* significationem obtinere existimat, ut Chaldaicum סְרִי, quod Exod. VII, 21. Onkelos posuit pro hebraeo יִבְאַשׁ, ut verborum סָר סָבְאָם sensus sit hic: „Tantum ingurgitaverunt potus, in id se ebrietatis oneraverunt, ut jam foetorem ex eorum ore emitteret potus, sive vinum sumserint, sive alium potum inebriando validum." Verum סָר, toties in V. T. *recedendi* notione obvium, hoc solo loco *foetendi* significatu usurpari, parum verisimile. Abarbenel: „Quum familiare hoc sit prophetis, ut Ephraimiticum populum crapulae incusent juxta ac idololatriae, ut Jesajas Judaicum populum V, 11. 18., et XXVIII, 1.; videtur vates et hoc loco velle, Ephraimum, quem modo (Vs. 17.) dixerat *sociatum idolis*, deditum quoque prorsus esse voluptatibus, cum nempe *videret, bonam esse requiem* [וַיַּרְא מְנֻחָה כִּי טוֹב, Genes. XLIX, 15.]. Id significat verbis (Vs. 17.) הַנַּח־לוֹ, *statuit sibi*, id est,

 re-

requiem voluptatemque in perpetuum ſibi bonum propoſuit. At ut *receſſit potus eorum*, id eſt, cum vinum ab iis et ebrietas recederet, mox *ſcortando ſcortati ſunt*, הַזְנֵה הִזְנוּ, ut h. l. additur, vult indicaſſe, tam ipſos in ſcortandi foedum crimen devolutos, tam et alios eo pertraxiſſe in ſuperſtitioſi cultus ritibus ſervandis, ut per totum ſic diem operam darent flagitiis, dum conſumta vini, quod avide hauſerant, virtute, mox ſe componebant ad idololatriam.“ Sed rituum in idololatria ſic ferebat ordo, ut poſt oblata ſacrificia populus effunderetur in impuras voluptates, juxta Exod. XXXII, 6. *Sacrificabant holocauſtum, tum deſedit populus ad edendum et potandum.* Quare minus verum mihi videtur, quod Abarbenel ait, ſenſum in his prophetae verbis eſſe, quod, poſtquam receſſerat ab Iſraelitis ebrietas et crapula, tum illi ſe dederint idololatriae. Ab Abarbenelis interpretatione haud longe recedit Sebast. Schmidius, qui ſubaudito אִם, Verſus hujus initio, ut 2 Reg. V, 13. VI, 27. Jeſaj. VII, 21. X, 4., verba hoc modo explicat: „*Si receſſit vinum* vel *potus eorum*, i. e. ſi utique aliquando ſit, ut idololatrica eorum temulentia recedat, ut ad ſobriam ac meliorem mentem redituri videantur (cf. phraſin 1 Sam. I, 14. הָסִירִי אֶת־יֵינֵךְ מֵעָלָיִךְ, *removeas vinum tuum abs te*), mox tamen omnis illa ſpes evaneſcit, dum ſtatim a regibus et principibus ſuis in pejorem ſcortationem retrahuntur, et magis, quam prius unquam. Viſi autem ſunt ad ſobriam mentem reverſuri, quando prophetae veri eos redarguerunt, et terruerunt ſuis comminationibus. Manifeſtum exemplum eſt in hiſtoria Eliae. Hic ſuo zelo tandem effecit, ut omnes exclamarent: *Jova eſt Deus!* et paſſi ſint prophetas Baal occidi, ejusque altaria everti, 1 Reg. XVIII, 39. ſeqq.; ſed mox relapſi in pejora ſunt, et Elias fugere coactus eſt coram Jeſabele. Sic Jehu reſtituturus videbatur veri Dei cultum, ſed mox haeſit in cultu vitulorum, 2 Reg. X, 16—29.“ Haec Schmidius, quae mihi tamen altius petita videntur. Drusius in *Obſervatt.* L. II. C. XL. verba noſtra ſic explicat: „*Receſſit vinum eorum*; tum vero *recedere vinum* dicitur,

citur, cum in vappam resolvitur et acescit; ut apud Ciceronem vinum ejusmodi *fugiens* appellatur, et Graece *ἐξεστηκώς*." Id probat Liveleus. „Nam סור, inquit, proprie *cedere, recedere, discedere* significat, ut *ἐξίσταμαι* Graece interdum, unde *οἶνος ἐξεστηκὼς* et *ἐξιστάμενος* dicitur vinum, cum aetati cedens in vappam abit, vel, ut Ciceronis verbum usurpem, *fugit*, h. e. deterius fit, interprete Nonio in *Fugere*, ubi locum illum Ciceronis adducit ex *Officior.* III. *Si quis vinum fugiens vendat sciens, debeatne dicere,* etc. Tremellius priore sua Oseae interpretatione ejusdem judicii fuisse videtur, ita enim reddidit: *vappescit merum eorum.* Arguit igitur depravatos Israelitarum mores, sumta metaphora a vino corrupto, ut Jesaj. I, 22. *Argentum tuum abiit in scorias, merum tuum aqua mistum est.* Et Ps. XIV, 3. Drusius existimat probabiliter eodem tropo dici: *Unusquisque eorum recessit, una rancuerunt.* Latini etiam eodem modo hominem ignarum et nequam *vappam* vocant." Nos tamen malumus acquiescere Hieronymi Jarchiique supra allatae sententiae, admoneri Judam, ut ab Ephraimi se consuetudine separet, quum gentiliciis se moribus et institutis imbuerit, neque salva religione possit cum illo simul mensam inire, quam cibis, qui idolis sunt consecrati, instruxit. הַזְנֵה הִזְנוּ *Scortari faciendo scortari faciunt* alios, i. e. non solum ipsi se idolorum superstitioni impotenter tradunt, verum et alios ad idem crimen trahunt. Eodem sensu verbum זָנָה transitive usurpatum aderat supra Vs. 10., legiturque infra V, 3. Cf. 2 Paral. XXI, 13., ubi Elias vates Joramo regi exprobrat: *Incessisti in viis regum Israelis,* וַתַּזְנֶה אֶת־יְהוּדָה, *et scortari fecisti Judam et habitatores Hierosolymae,* i. e. ad idolorum cultum non exemplo solum, verum tyrannicis etiam mandatis eos impulisti, כְּהַזְנוֹת בֵּית אַחְאָב *sicut familia Achabi ad scortandum,* ad idolorum cultum, *impulit* Israelitas. Transitivam verbi hebraei notionem nostro loco non expresserunt veteres. LXX: *πορνεύοντες ἐξεπόρνευσαν.* Hieronymus: *fornicatione fornicati sunt.* Chaldaeus: בְּכֵן סְטוֹ וְאִתְפַּנִיאוּ בָּתַר זְנוּתָא *ita erraverunt*

raverunt et respexerunt post scortationem. In verbis, quae sequuntur, הֵבוּ קָלוֹן מָגִנֶּיהָ, interpretandis molestiam creat vox הֵבוּ, hoc solo loco obvia. LXX: Ἠγάπησαν ἀτιμίαν ἐκ Φρυάγματος αὐτῆς. Vocem הֵבוּ omisere, vel quod pro geminatione praecedentis אָהֲבוּ habuerunt, vel quod in eo, quo utebantur, codice non legerunt, ut in tribus Kennicotti codicibus deest, et מָגִנֶּיהָ sine punctis vocalibus scriptum ceperunt pro מִגְּאֹנָה, nam vocem גָּאוֹן solent Φρύαγμα reddere, vid. Jerem. XII, 5. Ezech. VII, 24. XXIV, 21. Vid. Buxtorfii *Anticrit.* p. 660. Apud Cyrillum est in plurali ἐκ Φρυαγμάτων, quod exponit: τουτέστιν, ἐκ ὑψηλῶν αὐχημάτων ἅπερ εἶχον, ἐπὶ Θεῷ καὶ δόξῃ τῇ παρ' αὐτοῦ. Symmachum חַבּוּ (cum Cheth) legisse, de-Rossi inde colligit, quod in codice Syro-Hexaplari Ambrosiano haec ejus interpretatio adducitur: ܐܚܒܘ ܣܟܠܐ ܕܝܠܗ *dilexerunt reatum ejus.* Sed vix dubium est, ܣܟܠܐ respondere hebraeo קָלוֹן, הֵבוּ autem a Symmacho, uti a LXX, plane omissum esse. Syrus: ܘܪܚܡܘ ܨܥܪܐ ܘܦܬܟܪܐ *amantque ignominiam et idola.* Sensum utcunque reddere satis habuit. R. Tanchum, Ed. Pocockio referente, הֵבוּ nomen esse conjicit, *vanitatem* denotans, quasi esset transpositis literis בהו dictum. Magis forsan arriserit ipsius Pocockii conjectura, הֵבוּ, si pro nomine habendum sit [formae שְׁכוּ 1 Sam. XIX, 22.], conferri posse cum Arabico هَبَآءٌ, *dispersus per aerem fumi instar subtilior pulvis,* quo ipso nomine Saadias Deut. XXXII, 21. usus est ad exprimendum hebraeum הֲבָלִים, *vanitates.* Tum esset asyndeton: *diligunt vanitatem, ignominiam proceres ejus.* Sed plerique interpretibus הֵבוּ est verbum. Nec hi tamen consentiunt. Quidam enim, ut H. B. Starkius in *Nott. Sell.* ad h. l. p. 146., per aphaeresin dictum putant pro אָהֲבוּ, *amant,* ut per reduplicationem ejusdem vocis intentissimus amor, et maximum desiderium innuatur. In eandem cogitationem incidit Storr *Observatt.* p. 191. not. Cf. J. H. Verschuir *Opuscula,* Traj. ad Rhen. 1810. 8. p. 237.

Aliis

Aliis cum Kimchio הַבוּ eſt Imperativus verbi יָהַב *dedit*, a quo Prov. XXX, 15. הַב הַב, *da! da!*, et הָבוּ *date*, Deut. I, 13. XXXII, 3., quod ipſum in uno eorum, quos de-Roſſi inſpexit, codice legitur. Hinc ſenſum ſtatuit hunc: *principes eorum amant*, gaudent continuo clamare: *date!* afferte munera, et juſtas pronuntiabimus et res veſtras iniquas, id quod eſt illis *ignominia* (קָלוֹן), perquam ignominioſum. Simili modo Drusius: „Frequenter illud in ore habent, et libenter uſurpant: *date* quod bibamus, *o dedecus! ſcuta*, i. e. principes *ejus*.“ Pro Imperativo verbi יָהַב habet quoque Grotius, ſed ſenſum hunc facit: „*Amarunt* dicere *proceres eorum: afferte ignominiam!* Illi dicebant: afferte idola. Sed propheta dicit non quod ipſi dicebant, ſed quod res erat.“ Abarbenel הָבוּ pro Praeterito (coll. זֵרוּ Zachar. II, 2.) verbi יָהַב, capit, et locum noſtrum ſic explicat: *clypei*, proceres, *ejus amant* et *dant* quoque hanc *ignominiam*. Mallem ego: *amant dare*, praebere, *ignominiam clypei ejus*, Ephraimiticae gentis, i. e. ſacerdotes et principes, quibus ſalus publica credita eſt, qui a ceteris omnem injuriam et ignominiam depellere debuerunt, eos in ignominiam conjecerunt, ſuperſtitionem videlicet longe turpiſſimam, vel poenas, quae huic decretae ſunt. Eundem ſenſum expreſſit Chaldaeus: רְחִמוּ דִּתֵיתֵי לְהוֹן קְלָנָא רַבְרְבֵיהוֹן *expetivere ut illis ignominia contingat magnates eorum.* Nec non Hieronymus: *dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus*, et in Commentario: „Principes eorum infelicem populum deceperunt, et pro Dei cultu imbuerunt eos ignominia idolorum.“ Convenit Jarchi, qui הֵבוּ קָלוֹן explicat: הֵזְמִינוּ, לָהֶם קָלוֹן *parant eis ignominiam.* הֵבוּ ei eſt tertia Praeteriti pluralis verbi הָבָה, Geneſ. XI, 4. 7. Exod. I, 10., cui *parandi* notionem tribuit, ex conjectura parum veriſimili. Nam illud הָבָה videtur potius excitantis ad opus aliquod peragendum vox eſſe, qualis Latinorum *age!* Quod vero nos אָהֲבוּ הֵבוּ vertimus *amant dare*, in eo nihil committimus a loquendi uſu Hebraeorum alienum, qui duo verba finita ſolent ita conjungere, ut alterum poſitum ſit pro Infinitivo;

nitivo; ut in illo 1 Sam. II, 3. אַל־תַּרְבּוּ תְדַבְּרוּ *ne multiplicate loquamini!* i. e. ne multiplicate loqui. הֵבוּ vero quodsi non pro forma anomala verbi יָהַב habere velis, possit contracte accipi pro הֵבִיאוּ, *afferunt*, cf. מֵבִי pro מֵבִיא 2 Sam. V, 2., הָבִי pro הָבִיא, Ruth. III, 15. Nodum sciderunt, non explicarunt, qui הֵבוּ vel plane resecandum, vel aliter legendum conjicerent. Eorum tentamina recte ut vana repudiavit Aurivilius *Dissertatt.* p. 609. Nec tamen, quod ipse proponit, nobis se probat. Refert הֵבוּ ad verbum היב, arab. هَيِبَ, *metuit,* vertitque: *diligunt, metuunt ignominiam,* i. e. tametsi non possint non hanc metuere, tanta nihilominus aguntur peccandi consuetudine et libidine, ut ament simul diligantque. Manger nostrum locum ita vertit: *amant levitatem; ignominiosae sunt ejus insaniae.* הֵבוּ habet pro nomine, cui arabici هَبَاءٌ significationem tribuit (de quo vide supra); מְגִנֶּיהָ vero ope arabici جُنُون, *furor,* unde مَجْنُون, *insanus,* explicare tentat. Male vero hebraico מָגֵן, quod locis ceteris omnibus *scutum* denotare constat, novam affingit et Hebraeis inauditam significationem. מָגִנֵּי־אֶרֶץ, *Clypei terrae,* vocantur *principes* et Ps. XLVII, 10., quia defensores ac protectores publicae salutis si non sunt, at esse debent. Abul-Walid, referente Pocockio, interpretatur اجلا الناس وروساهم *illustrissimos hominum et proceres eorum.*

19. Verba צָרַר רוּחַ אוֹתָהּ בִּכְנָפֶיהָ a LXX in codice Alexandrino ita reddita leguntur: *συστροφὴ πνεύματος σὺ εἶ ἐν ταῖς πτέρυξιν αὐτῶν.* Quae si genuina graeci interpretis verba essent, illum suo in codice hebraeo pro אוֹתָהּ legisse putandus esset אַתָּה, *tu;* quod ipsum De-Rossi in duobus a se inspectis codicibus reperit. Sed qui puncta vocalia illis codicibus addiderunt, defective scriptum אתה, quod אֹתָהּ punctandum erat, falsis vocalibus instruxerunt. Sed Theodoretus et Cyrillus graecam versionem τῶν LXX afferunt

asserunt hanc: *συστροφὴ πνεύματος αὐτοῦ συριεῖ ἐν ταῖς πτέρυξιν αὐτῆς*, quod Hieronymus expressit: *turbo spiritus sibilabit in alis ejus*, et Arabicus interpres: اِنْقِلَابُ اَلرِّيحِ أَتَتْ فِي أَجْنِحَتِهَا *subversio venti venit in alas ejus.* Eodem sensu Syrus: ܬܙܪܘܦ ܪܘܚܐ ܒܟܢܦܝܗܘܢ *stridebit ventus in alis eorum.* Vocum hebraearum primam Graecus interpres pro nomine habuit, quod צְרֹר legit, et *colligationem venti, συστροφὴν πνεύματος* interpretatus est. Pro אוֹתָהּ vero in suo codice defective אתה scriptum reperit, ut in pluribus hodienum codicibus legitur, illud autem אָתָה, *venit*, enunciavit. Sensum ceterum ex versione graeca Theodoretus atque Cyrillus hoc modo exponunt: perinde atque aves motu quodam atque sonitu aëra dissecant, ita gens Israelitica, veluti alatā, in alienam terram abripietur, tanquam turbine quodam irae divinae subtrahente illam. „Symmachus," inquit Hieronymus, „pro eo quod nos interpretati sumus: *ligavit spiritus eum in alis suis*, hoc modo vertit in Graecum: *ἔδησε τὸν ἄνεμον ἐν πτέρυξιν ἀνέμου*, velut si quis liget ventum in alis venti, ut scilicet et principes et populum, imo et daemones et Israelem, vanos vanis et inanibus inanes afferat copulatos." Ipse vero Hieronymus *spiritu* intelligit diabolum, qui ligaturus dicitur illos, quibus istae proponuntur minae, in alis, seu, quod idem est, ligaturus alas, ne possint, quo velint, avolare, aut expediri ab ea servitute, quam subeunt, dum idololatriae se nexibus alligarunt. Vetustiores ex Hebraeis interpretes, quibus Kimchi adstipulatur, כְּנָפַיִם intelligunt h. l. *alas* s. *extremitates, lacinias vestium*, quibus colligere solebant et ferre, quae ad usum necessaria haberent, collato Ezech. V, 3., ubi vati praecipitur, partem pilorum detonsorum in lacinia vestium colligare, וְצַרְתָּ אוֹתָם בִּכְנָפֶיךָ. Eodem significatu nomen hebraeum legitur Jerem. II, 34., et cum terminatione feminina, Deut. XXII, 12. רוּחַ autem in accusativo positum sumunt,

ſumunt, et ad idem nomen, generis communis, referunt אוֹתָהּ, cum emphaſi quadam uſurpatum, ita ut ſit vertendum: *ligavit* Ephraim *ventum, eum ipſum,* inquam, *in laciniis ſuis,* i. e. quemadmodum ſi quis ventum liget in veſtium lacinia, quando illam explicet, nihil ibi omnino deprehendit; ſic Ephraim, cum ex idolorum aſſiduo cultu multa ſe collegiſſe atque habuiſſe recondita putaret, nihil inveniet praeter ventum, confuſionem et dedecus, uti a vate ſtatim additur. Eum ſenſum expreſſit Chaldaeus: עוֹבָדֵי רַבְרְבֵיהוֹן לָא תַקְנִין כְּמָא דְלֵית אֶפְשַׁר לְמֵיצַר רוּחַ בְּכָנַף *opera procerum eorum haud recta ſunt, quemadmodum conſtrictus non poteſt teneri ventus in ala.* Quo minus vero hanc adoptemus interpretationem, impedit, quod, ſi צָרַר, verbum maſculinum, referas ad Ephraimum (Vs. 17.), ad eundem non referre poteris בִּכְנָפֶיהָ, quod cum ſuffixo maſculino בִּכְנָפָיו ſcribi debuiſſet. E contra vero, ſi vertatur: *ventus ligavit* ſ. *ligabit* (maſculine) *eam,* פָּרָה סֹרֵרָה, *bovem* ſ. *vaccam refractariam* puta (Vs. 16.), ad quam modo in fine Vs. 18. ſuffixum femininum in מָגִנֶּיהָ pertinebat, *in alis ſuis,* etiam feminine, quod רוּחַ hebraice generis communis ſit, vel, ſi vis, quamquam minus commode, *ejus,* vaccae; limpidius multo fluet ſermo, parietque ſenſum commodiſſimum, ſive exponas, Iſraelem rapida calamitatum vi abactum iri in peregrinas terras, quaſi ventus eum ſuis alis involviſſet, ſive quaſi ipſe prehenſu facilis vaſta latitudine ſic fuiſſet abactus. His ſimile exſtat Jeſaj. LVII, 13. אֶת־כֻּלָּם יִשָּׂא־רוּחַ, *omnes iſtos tollet ventus.* Jarchi: „Ventus ſe ejus alis inſinuavit, prout avibus evenit; idque ne ſedem retinere illi permittat, usquedum in diſſita eum regiones avexerit; ſic eum invadent extranei exercitus, abducentque captivum; tunc igitur pudorem concipient, tam vane ſe ſacrificiorum et labores et ſumtus collocaſſe." Refert itaque בִּכְנָפֶיהָ ad Ephraimum, ad quem etiam אוֹתָהּ, quod praecedit, pertinet, intelligitque de laciniis veſtris, quibus ſe ventus inſinuet. Sed mallem בִּכְנָפֶיהָ ad *ventum* referre, cui ob celerrimum progreſſum et vim abripientem tribuuntur

alae

alae Pf. XVIII, 11. CIV, 3. Ut Ovidius *Metamorphof.* I, 264.

Emittitque Notum; madidis Notus evolat alis.

Nec obftat huic interpretationi, quod ex ea fuffixum femininum ad nomen רוּחַ refertur, quod fimul cum verbo masculino צָרַר jungitur. Solent enim eo modo generis communis nomina utriusque generis verbis et adjectivis jungi. Sic ipfum noftrum רוּחַ 1 Reg. XIX, 11.: וְרוּחַ גְּדוֹלָה וְחָזָק מְפָרֵק הָרִים *ventusque magnus et fortis, montes perrumpens.* Et Jefaj. XIV, 9. שְׁאוֹל jungitur verbo feminino רָגְזָה, fimulque masculino עוֹרֵר. Cf. Jefaj. XXXV, 8. Job. XX, 26. et ibi not. Eft igitur verborum צָרַר רוּחַ אוֹתָהּ בִּכְנָפֶיהָ, *ligabit ventus illam alis fuis,* fenfus hic: dispergentur velociffime et varie, perinde atque fi ventorum pennis effent alligati. וְיֵבֹשׁוּ מִזִּבְחוֹתָם *Tunc pudefient a facrificiis fuis,* de quibus fupra Vs. 13. 14. Sperabant ftulti illi adoratores, fore, ut ab idolis, quorum gratiam fibi ipfis facrificiis promeruiffe videbantur, fecuram agerent vitam in patriis finibus, et bonis affluentem; cum vero abripi fe videant ab hoftibus, erubescent, quod a ligno et lapide falutem fperarint. Chaldaeus: אַיְתֵי עֲלֵיהוֹן סָנְאָה וְיִבְהֲתוּן מֵאַגּוֹרֵי טַעֲוָתְהוֹן *adducam contra eos inimicum, et pudebunt ob aras idolorum fuorum.* Ab interpretibus ceteris omnibus recedit Abarbenel. Vaccae refractariae Ifraeliticum populum Vs. 16. comparari putat ob vitulos, quos Dane et Bethele erectos pro diis ille coluit. „De iis vates dixerat Vs. 17. *Sociatus idolis eft Ephraim.* Idcirco jam addit: *ligabit ventus eam in alis fuis,* ut iret in exfilium. Tunc vero et ipfi, quos peperit, vituli, *pudefient ex facrificiis fuis,* cum avehendi quoque ipfi in captivitatem fint, ut diferte infra X, 6. dicitur: *etiam ipfe in Affyriam avehetur.*" Ad quam expofitionem Abarbenel ductus videtur ob numeri generisque enallagen. Loquutus fuerat propheta de bove refractaria feminine et fingulariter; igitur fi pudoris hic rubor populo, five *vaccae* illi effet adfcribendus, exiftimat commodius dici תֵּבוֹשׁ, *pudefiet,* foeminine et fingulariter. Maluit igitur ad ipfos

vitulos

vitulos ſ. idola hunc ſermonem dirigi. Et certe alias quoque videmus in idola per proſopopoeiam dici ruborem et ignominiam. Ut Jerem. L, 2. הֹבִישׁ בֵּל *Pudore ſuffuſus eſt Bel* — — הֹבִישׁוּ עֲצַבֶּיהָ *pudore ſuffuſa ſunt idola ejus.* Attamen quum apud Noſtrum totius ſermonis ſeries tendat in disceptationem cum incolis illius terrae (vid. Vs. 1.), et in Verſibus hisce frequens ſit alloquutionis modus jam masculino, jam feminino, ſic et variando numerum, non urget nos in hoc Verſu generis numerique alteratio, ut verba: *erubeſcent a ſacrificiis ſuis* ad vitulos referamus. Nobis talis videtur integri ſermonis ratio. Verſu 16. comparavit Ephraimum *vaccae refractariae*; mox tamen in eam haec intonat: עַתָּה יִרְעֵם, *nunc paſcet eos,* loquens pluraliter ac masculine. Iſti loquutionis varietati applicari poterit hic Verſus: *ventus ligabit eam,* vaccam; *pudeſient ob ſacrificia ſua,* quaſi de masculis pluribus ei ſermo eſſet. Id igitur ad populum referri oportere, et contextus docet, et alii V. T. loci. Similiter Jeremias XLVIII, 13. בֹּשׁוּ בֵּית יִשְׂרָאֵל מִבֵּית אֵל מִבְטֶחָם *Pudorem conceperunt domus Iſraelis ex Bethele, cui fidebant.*

Cap. V.

Argumentum.

Hoc Caput ita in decem tribus tonat ac fulminat, ut tamen interdum duas, Judam et Benjaminem, respiciat, admoneatque, ne, si idem infortunium declinare velint, illarum mores aut studia sequantur (Vs. 5. 10. 12. 13.). Reprehendit primum sacerdotes et principes, qui sua abusi dignitate atque auctoritate, rudiorem et imperitam plebem a verae religionis cultu abducebant, atque pessimo suo exemplo sceleribus irretiebant (Vs. 1 — 14.). Ob tantam omnium ordinum corruptelam vates utrique regno poenas gravissimas, imo certissimum denuntiat interitum (Vs. 5. seqq.). Edita videtur haec prophetia, uti e Versu 13. colligi potest, Ahasi, regis Judae, temporibus, postquam non solum Menahem, tyrannus Israelis, Assyrio regi in clientelam sese dedisset (2 Reg. XV, 19.), sed etiam Ahasus ab Assyrio auxilium quaesivisset, 2 Reg. XVI, 7. 8. Jesaj. VII, 17. 2 Paral. XXVIII, 16.

---

1. Concionatur vates et hic adversus totum populum, sed praecipue sermonem suum ad sacerdotes et proceres dirigit, quia hinc prima erat malorum omnium origo, quod sacerdotes, lucro intenti, Jovae cultum negligebant, proceres autem modis omnibus erant corrupti. שִׁמְעוּ זֹאת *Audite hoc*, quod dicturus sum, ut Mich. III, 1. 9. הַכֹּהֲנִים Vos, *sacerdotes*, IV, 6. 8. VI, 9. וְהַקְשִׁיבוּ *Et attendite*, 1 Sam. XV, 22. Jesaj. XLVIII, 18. בֵּית יִשְׂרָאֵל *Domus Israel*, popule decem tribuum, I, 6. IV, 1. XII, 1. וּבֵית הַמֶּלֶךְ *Et* tu inpri-

inprimis etiam, *domus regia*, f. aula, rex et principes et miniftri regii, cf. Jef. VII, 2. הַאֲזִינוּ *Aufcultate*, Jef. I, 10. כִּי *Nam*, rationem reddit compellationis et requifitae attentionis. לָכֶם הַמִּשְׁפָּט *Vobis judicium*, quod aliqui ad regem proceresque referunt, atque ita exponunt: veftrum erat, facere judicium, hoc eft, tenere gubernacula, ut quisque officium fuum praeftaret. Ita Chaldaeus: הֲלָא לְכוֹן לְמִדַּע דִּינָא *nonne vobis* incumbit *fcire juftitiam?* Sed vix dubium eft, quin vates his verbis citet facerdotes et proceres ad Dei tribunal, ut illic refpondeant, et fenfus fit hic: ad vos pertinet judicium, veftra caufa agitur. LXX: *πρὸς ὑμᾶς ἐστι τὸ κρίμα*, quod Theodoretus recte exponit: *πάντας ὑμᾶς ἐπὶ τὴν ἐμὴν ἄξω κρίσιν.* כִּי־פַח הֱיִיתֶם *Nam laqueus fuiftis*, tralatio ab avibus, quae laqueis capiuntur. Hoc vult: quos in officio continere debuiftis, eos in fraudem illectos a vera pietate abduxiftis et ad peccandum incitaftis. לְמִצְפָּה pro nomine appellativo habuerunt LXX, qui *τῇ σκοπιᾷ* verterunt, quod fequutus Hieronymus *fpeculationi* transtulit, et in Commentario fic explicat: „Speculatores vos pofui in populo, et in excelfo dignitatis culmine conftitui, ut populum regeritis errantem; vos autem facti eftis laqueus, et non tam fpeculatores et principes, quam venatores appellandi.“ Chaldaeus: אֲרֵי תַּקְלָא הֲוֵיתוּן לְמַלְּפֵיכוֹן *nam offendiculum fuiftis doctoribus veftris.* Eodem fenfu Theodoretus *τὴν σκοπίαν*, uti LXX verterunt; interpretatur *τὸν τῶν προφητῶν σύλλογον*, adverfus quos mala architectati et fraudes moliti fuerint Ifraelitae. Certe *fpeculatoribus* comparantur prophetae et Jefaj. LII, 8. LXII, 6. Jerem. VI, 17. Ezech. III, 17. Sed quum mox in altero orationis membro cognato et connexo habeatur nomen proprium montis Thabor, rectius plurimi Judaeorum recentiores interpretes et Chriftianorum etiam noftrum מִצְפָּה proprium effe volunt, non tamen urbis, de qua legimus alias faepiffime, et quidem non unius, vid. Jud. XI, 11. 34. XX, 1. 3. XX, 1. 1 Sam. VII, 5. 6. X, 17., fed tractus montani et nemorofi, coll. Jof. XI, 3. Jud. X, 17., ubicunque is tandem

dem ſitus fuerit, qui nomen מִצְפָּה, *ſpeculae*, ferre poſſet, quod ſpeculationi ſive hoſtium, ſive ferarum aptus eſſet. וְרֶשֶׁת פְּרוּשָׂה *Et ſicut rete expanſum*, quo aves et ferae capiuntur, VII, 12., cf. Proverb. XXIX, 5. עַל־תָּבוֹר *Super Thabor* monte, in occidentali Galilaeae parte, vid. Joſ. XIX, 12. Hieronymus: „Expanditis enim rete ſuper montem Thabor, quem LXX Ἰταβύριον transtulerunt, hanc habentes conſuetudinem, ut Hebraea nomina Graeco ſermone declinent, ſicut Edom, id eſt, Eſau et Seir, ſemper Idumaeam interpretantur. Eſt autem Thabor mons in Galilaea, ſitus in campeſtribus, rotundus atque ſublimis, et ex omni parte ſinitur aequaliter, in quo aves laqueis capi ſolent.“ Cf. librum noſtr. *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 105. 108. Chaldaeus poſuit: עַל־טוּר רָם, *ſuper montem excelſum.* Montes ſaltuoſi venantibus ſunt apti. Senſus eſt: quemadmodum ſolent aucupes et venatores ſuper montes Mizpah et Thabor tendere retia ſua et laqueos, ita a vobis irretitus eſt populus. Quia contagio totius populi provenerat a ſacerdotibus et proceribus, et rege etiam ipſo, ideo propheta non abs re comparat eos laqueis, non tantum quia ſuperſtitionum erant auctores, verum etiam quia judicia perverterant et omnem aequitatem. Hebraeorum quidam interpretes poſteriore Verſus-parte exiſtimant eo alludi, quod in montibus Mizpa et Thabor a regibus Iſrael latrones poſiti fuerint, qui interceperint Iſraelitas, ſi quos viderent Hieroſolymam iter inſtituere. Noſtri Verſus ſenſum eleganter expreſſit Rittershuſius:

Auribus accipite haec, animisque recondite verba,
Pontifices, quibus eſt concredita cura ſacrorum,
Iſraeligenae, o noſtris attendite dictis
Regiaque auſcultate domus, Judaea propago!
Ad vos judicium nimirum pertinet iſtud,
Quod ſuperum mandata jubent me efferre ſevera.
Ut laqueo volucres occulto decipit anceps
Mizpa in monte latens, ut pandit retia caeca
Venator, clauditque feris indagine ſaltum;

Sic

Sic etiam incautae disponere retia plebi
Vos juvat, et praeda caſſes implere capita.

2. In verbis וְשַׁחֲטָה שֵׂטִים הֶעְמִיקוּ explicandis magnopere inter ſe discrepant et veteres et recentiores. LXX: Ὃ (*δίκτυον*) *οἱ ἀγρεύοντες τὴν θήραν κατέπηξαν, quod qui capiunt venationem confixerunt,* uti Graeca reddidit Hieronymus. Explicare voluit Graecus interpres ſuperiora, et docere, quomodo rete expanſum ſit, et ad captandas feras aut volucres obtentum. *Deſixum* autem rete dicit, quia, uti ait Theodoretus, retia tenduntur et expanduntur in perticis humi deſixis. Graecum interpretem imitatur Syrus: ܘܨܝܕ̈ܐ ܕܨܝܕܝܢ ܛܡܪܘ ܦܚ̈ܐ, *et venatores venantes absconderunt laqueos.* A qua ſententia haud longe recedit Marckii interpretatio: *ad mactandum* (quaſi ſcriptum eſſet לְשַׁחֲטָה), i. e. ut praedam conſequantur, quam deinde mactent, *declinantes* aucupes vel venatores, qui apud laqueum vel rete non conſiſtunt, ſed inde paululum recedunt, atque *in profundo ſe abdunt* (quo ſignificatu הֶעְמִיק et Jerem. XLIX, 8., ſumitur), in locis depreſſis ſe occultant, ne conſpiciantur a feris aut volucribus. Hieronymus: *et victimas declinaſti in profundum,* „ut nullus," addit in Commentario, „ageret poenitentiam, nec occiſus elevaret caput. Prohibuerunt et reges et ſacerdotes ire populum ad templum Jeruſalem, idcirco in profundum victimas declinaſſe dicuntur." Quam interpretationem Hieronymum vix dubium eſt accepiſſe a magiſtro ſuo Hebraeo. Tradunt enim Jarchi et Abarbenel, doctores veteres hunc locum ita interpretari: *et ad jugulandum illi qui declinant profunde ſua abscondunt,* i. e. callidiſſime ſic conſilia ſua premebant tegebantque, ut impedimenta injicerent, quo minus ad anniverſaria Lege praeſcripta feſta celebranda proficisci Hieroſolymam populo daretur; quia et jugulabant atque interimebant, ſi quis ire in domum Dei deprehenderetur. שֵׂטִים Abarbenel obſervat illos explicare *declinantes* ſeu *divertentes,* ut Num. V, 20. וְאַתְּ כִּי שָׂטִית, *et tu,* o femina, *ſi diverteris;* שַׁחֲטָה vero Inſi-

Infinitive ſumere, *ad jugulandum*, quaſi ſic loqueretur: „ut jugulent proficiscentes, illi qui declinant in profundum ſe demittunt; reconditae enim aſtutiae conſiliis ſua ſic facta obſcurant, ut in civium verae tenacium religionis vitas ſecure graſſentur.“ Grotius: „*Victimas inclinantes in profundum dejecere.* Mos idololatrarum, victimas jugulatas dejicere in ſpecum, in quo erat ignis. Vide Euripidem Iphigenia in Tauris.“ Jejune. שֵׂטִים praeter hunc locum ſemel tantum, Pſ. CI, 3., legitur, ſed cum Samech ſcriptum, סֵטִים, quomodo et noſtro loco partem librorum olim habuiſſe, teſtis eſt Druſius. Illo vero Pſalmorum loco non dubium, quin סֵטִים ſit ſubſtantive capiendum, denotetque *declinationes*, i. e. peccata, crimina. שַׁחֲטָה, *Mactare*, Infinitivus Cal cum ה paragogico, ut אַהֲבָה *amare*, Deut. XIX, 9., דַאֲבָה, *lugere*, Jerem. XXXI, 12. Verbum frequentius quidem in V. T. de *ſacrificiorum mactatione* dicitur, nec deſunt tamen loca, quibus de *hominum caede* uſurpatur, e. c. Jud. XII, 6. 2 Reg. X, 7. Jerem. XXXIX, 6. XLI, 7. LII, 10. שַׁחֲטָה שֵׂטִים ut aſyndeton capio (ſaepe enim duo nomina ejusdem ſpeciei cumulative juncta, eosdem qui hic exſtant, accentus, Merca, Tiphcha, et Athnach habent, ſive intercedat conjunctio, ut Geneſ. V, 2. Jerem. XXIII, 11., ſive non, Jeſaj. XIV, 7.), et phraſin שַׁחֲטָה שֵׂטִים הֶעְמִיקוּ ſic verto: *caedem* ſ. *caedes* atque *declinationes* a rectitudinis tramite, vel veri Dei cultu, *profundarunt*, i. e. maxime cumularunt, totos ſeſe iſtis immerſerunt. Eo ſenſu verbum הֶעְמִיק et infra IX, 9. et Jeſaj. XXXI, 6. (הֶעְמִיקוּ סָרָה *profundarunt defectionem*, i. e. magnopere deſciverunt) adhibetur. Vel, ſi שַׁחֲטָה de *victimarum mactatione* accipiamus, *mactationes* et *declinationes* per ἓν διὰ δυοῖν erunt *victimae ſuperſtitioſae*, contra inſtitutionem divinam pugnantes, et ad idololatriam declinantes, ut hoc dicat vates, illos ita addictos eſſe ſuperſtitionibus, ut non potuerint ad ſanam mentem reduci, et praefracte contemnerent omnia conſilia, omnes admonitiones. Eum ſenſum expreſſit Chaldaeus: וְדָבְחִין לְטַעֲוָן מַסְגַן *et victimas idolis mactant plurimas.*

mas. Alia, ſed minus probabilia tentamina hunc locum explicandi vid. in Verschuirii *Opuscull.* p. 238. ſeqq. וַאֲנִי מוּסָר לְכֻלָּם *Et ego*, Jova, *caſtigatio* ero *illis omnibus*, id eſt, ut Chaldaeus recte: וַאֲנָא מַיְתֵי יִסּוּרִין לְכָלְהוֹן, *ſed ego adducam caſtigationes eis omnibus.* Ultorem ſe fore Iſraelitis Jova minatur, quod adeo pervicaciter ſequantur pravas ſuperſtitiones. LXX: *ἐγὼ δὲ παιδευτὴς ὑμῶν.* Hieronymus: *et ego ero eruditor omnium eorum.* Et in Commentario: „O ſacerdotes et reges, qui meum populum decepiſtis, et tu, popule, qui deceptus es, tam graviter deliquiſtis, ut non ſolum occideritis victimas, ſed et in profundum eas miſeritis inferni; nolite arbitrari magnitudine ſceleris vos a me penitus receſſiſſe. Ego ſum magiſter veſter, imo eruditor, qui emendare cupiam, non punire, et ſalvare, non perdere.“ Sunt, qui verba hebraea ita accipiant: *quamvis ego fui eis omnibus correctio*, ut crimen Iſraelitarum augeatur, quos Deus per ſuos prophetas non deſtiterit ad ſanam mentem revocare, q. d. Non eſt quod excuſent ſe lapſos errore et ignorantia, ſed fuit pervicax obſtinatio in illis, quia non ceſſavi rectam viam eis monſtrare per prophetas. Nos in ſimpliciori Chaldaei interpretatione acquiescimus.

3. אֲנִי יָדַעְתִּי אֶפְרַיִם *Ego novi Ephraimum*, קֳדָמַי גְּלַן עוֹבָדֵי דְבֵית אֶפְרַיִם *coram me revelata ſunt facta domus Ephraim*, ut Chaldaeus vertit. וְיִשְׂרָאֵל לֹא־נִכְחַד מִמֶּנִּי *Et Iſrael*, i. e. crimina Iſraelitarum, *non eſt absconditum a me* (Pſ. LXIX, 6.), cf. infra VIII, 13. כִּי עַתָּה הִזְנֵיתָ אֶפְרַיִם *Nunc enim ſcortari* ceteros *feciſti* (cf. ad IV, 10. 18.), *o Ephraim*, auctor fuiſti aliis deficiendi a cultu Jovano, e tribu Ephraim enim ortus erat Jeroboam, primus Iſraelitarum rex, qui ſuperſtitioſum cultum introduxit. נִטְמָא יִשְׂרָאֵל *Pollutus eſt Iſrael*, cf. infra VI, 10. Hieronymus: „*Ego*, inquit, *ſcio Ephraim*, id eſt, Jeroboam, a quo ſeductus eſt populus, et omnes reges, qui eum dignitate et ſcelere ſunt ſequuti, *et Iſrael non eſt absconditus a me*, id eſt, decem tribus, quia fornicante rege contaminatus eſt Iſrael. Rex primo

primo cepit a Dei cultu fornicari, vitulos aureos cupiens adorare, et volens sequutus est populus, paremque impietatem pari studio compleverunt."

4. לֹא יִתְּנוּ מַעַלְלֵיהֶם לָשׁוּב אֶל־אֱלֹהֵיהֶם *Non dant opera sua*, non in hoc ponunt studia sua, *ut revertantur ad Deum suum.* Simili modo verbum נָתַן usurpatur Coh. I, 13. וְנָתַתִּי אֶת־לִבִּי לִדְרוֹשׁ, *dedi*, adhibui *animum meum ad quaerendum* sapientiam. Et 1 Paral. XXII, 19. עַתָּה תְּנוּ לְבַבְכֶם וְנַפְשְׁכֶם לִדְרוֹשׁ לַיהוָה *Nunc date*, adhibete, *cor vestrum atque animum vestrum ad quaerendum Jovam Deum vestrum.* Cf. locum parallelum infra VII, 10. LXX: οὐκ ἔδωκαν τὰ διαβούλια αὐτῶν. τοῦ ἐπιστρέψαι πρὸς τὸν Θεὸν αὐτῶν. Vulgatus: *non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum.* Chaldaeus: לָא שָׁבְקִין עוֹבָדֵיהוֹן לְמָתַב לְפוּלְחָנָא דֶאֱלָהֲהוֹן *non relinquunt opera sua*, vel, *non sinunt eis opera sua, ut ad cultum Dei sui revertantur.* Ita et Syrus: *non permittunt eis facinora eorum convertere se ad Deum.* Significatione *permittendi* verbum נָתַן, ut Genes. XX, 6. XXXI, 7. Num. XXI, 23., et Jarchi atque Kimchi h. l. sumendum censent. כִּי רוּחַ זְנוּנִים בְּקִרְבָּם *Nam spiritus scortationis in medio eorum*, אֲרֵי רוּחַ טָעֲוּ בֵּינֵיהוֹן, *nam spiritus erroris*, s. *idololatriae intra eos*, vertit Chaldaeus. Idem hujus Versus verba postrema, וְאֶת־יְהוָה לֹא יָדָעוּ *et Jovam non cognoscunt*, recte interpretatur: וְאוּלְפָן מִן קֳדָם יְיָ לָא תָבְעוּ *et institutionem a Domino non quaerunt.*

5. Prius hemistichium, וְעָנָה גְאוֹן־יִשְׂרָאֵל בְּפָנָיו recentiores interpretes fere reddunt: *respondet*, i. e. testatur, sive, ut alii, de poena, in futuro: *testabitur elatio*, fastus, *Israelis in faciem ejus*, collata simili sententia Jesaj. III, 9. הַכָּרַת פְּנֵיהֶם עָנְתָה בָּם *nota vultus eorum testatur contra eos.* Jerem. XIV, 7. אִם־עֲוֹנֵינוּ עָנוּ בָנוּ, *si peccata nostra contra nos testantur.* Ita nostrum locum interpretatus Hieronymus: *et respondebit arrogantia Israel in facie ejus.* „Verbum *Gaon* [גָּאוֹן]," addit in Commentario, „Septua-

 ginta

ginta et Symmachus interpretantur *injuriam*, Aquila et Theodotion *superbiam*. Quicquid igitur fecit Israel, vel superbe agens contra Dominum, vel in injuriam creatoris idola venerans, respondebit in facie ejus, ut non abeat impunitus." Sed reliqui veteres consentiunt in eo, quod verbum עָנָה *humilis, depressus fuit* interpretantur, quem significatum sane haud raro obtinet, veluti Ps. CXVI, 10. עֻנֵּיתִי מְאֹד *depressus sum*, affligor, *vehementer*; cf. ibid. Vs. 67. Jesaj. XXXI, 4. Zach. X, 2. 4. Cohel. I, 13. III, 10. Hinc LXX h. l.: *καὶ ταπεινωθήσεται ἡ ὕβρις τοῦ Ἰσραὴλ εἰς πρόσωπον αὐτοῦ.* Syrus: ܘܢܬܡܟܟ ܫܘܚܪܗ ܕܐܝܣܪܝܠ ܩܕܡܘܗܝ *et humiliabitur fastus Israelis coram ipso.* Chaldaeus: וְיִמאַךְ יְקָר יִשְׂרָאֵל וְאִנּוּן חָזָן *deprimetur gloria Israelis ipsis spectantibus*, i. e. adhuc in patria terra exsistentibus. Quem sensum non dubito alteri praeferendum esse. גָּאוֹן h. l. *fastum* notat, ut Jesaj. XVI, 6. Prov. XVI, 18. וְיִשְׂרָאֵל וְאֶפְרַיִם יִכָּשְׁלוּ בַּעֲוֹנָם *Ideo Israel et* inprimis *Ephraim* (Vs. 3. 9.) *corruent*, in calamitates incident (ut Jerem. VI, 15. VIII, 12.), *per* s. *ob impietatem suam.* Hieronymus: „Populus [יִשְׂרָאֵל] et reges [אֶפְרַיִם] in iniquitate sua pariter corruent, sive infirmabuntur, ut qui fortes erant in scelere infirmi ad Dominum redire cogantur." כָּשַׁל גַּם־יְהוּדָה עִמָּם *Corruet etiam Juda cum illis*, Israele et Ephraimo, quia cum illis peccavit, IV, 15. 2 Reg. XVI, 3. 2 Paral. XXVIII, 2. Hieronymus: „Et hoc non solum eveniet Israeli et Ephraim, id est, decem tribubus et regibus earum, ut ducantur in captivitatem; sed etiam Judas, id est, duae tribus, quae regnabant in Jerusalem, sequentur vestigia captivorum, ut quorum imitantur scelera, imitentur et poenam."

6. בְּצֹאנָם וּבִבְקָרָם יֵלְכוּ לְבַקֵּשׁ אֶת־יְהוָה Etiamsi *cum ovibus suis, et cum ovibus suis*, i. e. cum oblationibus suis, ut recte Jarchi, *eant ad quaerendum Jovam*,

Tunc fracti aerumnis armenta gregesque parabunt,
Quaerentes Dominum mactatis scilicet illis
Conciliare sibi, solitum auxiliumque rogantes,

uti

uti Rittershuſius verba hebraea explicat. Verba לְבַקֵּשׁ אֶת־יְהוָה Chaldaeus reddit: לְמִתְבַּע אוּלְפָן מִן קֳדָם יְיָ *ad quaerendum inſtitutionem a Domino,* quomodo idem interpres eandem phraſin expreſſit Zachar. VIII, 21. et Onkelos Exod. XXXIII, 7. Cf. 2 Paral. XI, 16. XX, 4. וְלֹא יִמְצָאוּ *Non tamen invenerunt* eum, i. e. non impetrabunt poenae remiſſionem, non gratiam et auxilium Jovae, ſed punire eos perget usque ad ruinam eorum. חָלַץ מֵהֶם *Subtraxit ſe ab iis,* collato Arab. خَلَصَ *ſalvus evaſit, progreſſus eſt.* A. Schultens ad *Haririi Conſeſſ.* I. p. 34. et in *Clavi Dialector.* p. 290. confert Arabicum خَلَعَ, *exuit, extraxit,* atque formulam in Achmedis Arabſchah Hiſtoria Timuri obviam, خَلَعَ مِنَ ٱلْمُلْكِ يَدَهُ *exuit ex imperio manum,* i. e. imperium renunciavit. Ita et noſtra hebraea formula indicari obſervat repudiationem feminae, qua penitus exuatur omnis ejus cura. LXX: ὅτι ἐξέκλινεν ἀπ' αὐτῶν. Syrus: ܡܛܠ ܕܦܪܩ ܗܘ ܡܢܗܘܢ *quoniam ſeparavit ſe ab eis.* Eadem ſententia Mich. III, 4. Proverb. I, 28. Chaldaeus: סַלֵּיק שְׁכִנְתִּי מִנְּהוֹן *ſubduxit ſe praeſentiae meae ſymbolum ab iis.* Hieronymus: „Non ſolum Iſrael et Ephraim ibunt cum gregibus et armentis ad Dominum requirendum, ſed etiam Judas, de quo ſupra ſcriptum eſt: *ruet etiam Judas cum eis,* hoc habentes omnes certamen, ut quem praevaricationibus offenderant, hoſtiis placare nitantur; et non invenient quem requirunt, quia a recedentibus et ipſe diſceſſit. Praeſertim quum et alibi [Pſ. L, 13.] loquatur: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum bibam?* Et iterum [ibid. Vs. 9.]: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.* Et in Iſaja [I, 11.]: *Holocauſta arietem, et adipem agnorum, et ſanguinem hircorum atque taurorum nolo.*"

7. בַּיהוָה בָּגָדוּ *In Jovam perfide egerunt,* violata fide conjugii allegorici, quod cum eo contraxerant (cf. I, 2. II,

4. 7.

4. 7. 21.), de cujus violatione verbum בָּגַד et uſurpatur Jerem. III, 20. אָכֵן בָּגְדָה אִשָּׁה מֵרֵעָהּ כֵּן בְּגַדְתֶּם בִּי *Profecto ſicut perſide agit uxor ab amico ſuo* deſciſcens, *ita perſide agitis in me*, vos, *domus Iſraelis*, *dit Jova*. Quo pertinet, quod noſtro loco additur: כִּי־בָנִים זָרִים יָלָדוּ *nam filios alienos pepererunt*, i. e. ſpurios, בְּנֵי זְנוּנִים, uti ſupra II, 6, vocantur, degeneres, alienos a fide et moribus Iſraelis. Cf. Jeſaj. LVII, 3. Non tantum patres peſſimi idololatrae ſunt, ſed filios etiam ſuos ita corruperunt, ut meliora de iis ſperari non potuerint. Rittershuſius:

Perſide offenſus (Deus) *populi, qua vincla jugalis*
Diſſregere tori, ſancti oblitique pudoris
Crimine adulterii ſobolem genuere nefandam.

Hieronymus: „*Praevaricati ſunt enim in Domino*, quia fornicantes cum idolis non Deo filios genuerunt, ſed daemonibus. Alii putant hoc ſignificari, quod in Esdra (C. X.) multo poſt tempore dicitur, quando uxores alienigenas asſumſerunt, creantes ex iis liberos, et poſtea repudiare compulli ſunt (Ita Chaldaeus: אֲרֵי בְּנִין מִבְּנָת עַמְמַיָּא קַיִּמוּ לְהוֹן, *quia filios de filiabus gentium ſibi ſtatuerunt*). Sed hic melius eſt, alienos filios accipere, quia in idolorum errore generati ſunt, ſive quos ducentes per ignem idolis conſecrarunt." עַתָּה יֹאכְלֵם חֹדֶשׁ אֶת־חֶלְקֵיהֶם *Nunc igitur comedet*, conſumet *eos menſis*, videlicet *ſortes*, poſſeſſiones *eorum* (ita חֵלֶק Jerem. X, 16. Pſ. L, 18. Thren. III, 24.), i. e. vel, poſt menſtruum tempus, i. e. breviſſimum, perituri ſunt cum ſuis facultatibus; vel, per ſingulos menſes devorabit eos hoſtis agrosque eorum. Ita Chaldaeus: כְּעַן אַיְתֵי עֲלֵיהוֹן עַמְמִין יְרַח בִּירַח וְיִבְזוּן יַת פֵּירֵי אַרְעֲהוֹן *nunc adducam contra eos populos per ſingulos menſes*, *et diripient fructus terrae eorum.* Hieronymus: „Quia igitur hoc fecerunt, non multo poſt tempore, non annorum ſpatiis infinitis, et ut ſolitus eram prius longe poſt futura praedicere; ſed nunc et inpraeſentiarum adveniet Aſſyrius atque Chaldaeus, et devorabunt eos cum partibus, ſive cleris ſuis, id eſt, cum poſſeſſionibus, quas in diviſione terrae ad menſuram funiculi

culi ſusceperunt. Pro eo quod nos diximus: *devorabit eos menſis*, Septuaginta *rubiginem* transtulerunt [*νῦν καταφάγεται αὐτοὺς ἡ ἐρυσίβη, καὶ τοὺς κλήρους αὐτῶν*]; quum utique *rubigo*, id eſt, *ἐρυσίβη*, *Haſil* (חָסִיל) appelletur, ut ipſi quoque dixerunt in propheta Joel (I, 4.): *reliquias bruchi comedet rubigo*, id eſt, *Haſil*. *Menſis* autem *Hodes* dicitur. Denique Aquila *neomenias*, id eſt, *kalendas* interpretatus eſt, Symmachus et Theodotion *menſem*; et eſt ſenſus; per ſingulos menſes hoſtis adveniet, et cuncta vaſtabit (cf. Chaldaeum). Legamus Regum et Paralipomenon libros: et inveniemus ſub rege Phacee, qui regnabat decem tribubus, veniſſe Teglathphalaſar, regem Aſſyriorum, et magnam partem populi Samariae in Aſſyrios transtuliſſe, quo tempore apud Graecos ſecundus annus primae Olympiadis fuit, et apud Latinos, nec dum Roma condita, Albae viceſimo anno Amulius imperabat, quem poſtea Romulus regno pepulit.“ Syrus poſterius hemiſtichium non expreſſit. Inter recentiores interpretes ſunt, qui חֹדֶשׁ h. l. pro ראשׁ, i. e. *novilunio* capiant (cf. Num. XXVIII, 11. 14.), et id pro omnibus omnino feſtis, ut Jeſaj. I, 13. 14. Jerem. II, 24. ſupra II, 13. Amos V, 21 dictum velint, ut ſenſus ſit: tantum abeſt, ut feſta eorum, in quibus ſacrificabant, Jovam ipſis propitium reddant, ut potius ipſos cum ſuis poſſeſſionibus conſumtura ſint. Grotius *menſe* indicari h. l. opinatur menſtruam penſionem, quam rex Iſraelitarum injunxerit populo ſuo, ut ſarciat damnum, quod fecit magnas pecunias dando Phuli, Regi Aſſyriae, 2 Reg. XV, 19. 20., coll. infra VIII, 10.

8. Interpretum haud pauci, uti Abarbenel, Michaelis, Dathe, Manger, hoc Verſu novum ſermonem inchoandum exiſtimant. Verum ut in iis, qui praeceſſerunt, Verſibus, ita et in his qui ſequuntur, vates pergit utramque, Iſraeliticam et Judaicam, rempublicam, caſtigare et poenas denunciare. Hieronymus etſi hic ſecundum Commentariorum in noſtrum prophetam librum incipiat, in ipſa interpretatione tamen

tamen quae ſequuntur cum ſuperioribus conjungit. Hypotypoſi eleganti hoſtis jam imminens ſiſtitur, cujus adventus buccinarum et tubarum ſonitu Ephraimitis et Benjaminitis denunciatur. תִּקְעוּ שׁוֹפָר *Clangite buccina,* cf. Jerem. IV, 5. VI, 1. Joel II, 1.. Hieronymus: „Ephraim et Iſrael et Juda menſes ſinguli, ſive rubigo, cum ſuis partibus devorabunt. Quamobrem praecipio vobis, qui auditis, at non voce ſublimi, ſed clara buccina concipietis; claro enim auditu opus eſt, ut omnes audiant, qui in circuitu ſunt. *Clangite buccina in Gabaa,* cujus etymologiam in *colles* Septuaginta transtulerunt, *et tuba in Rama,* quae interpretatur *excelſa,* iſtae autem duae ſunt in tribu Benjamin vicinae ſibi mutuo civitates, id eſt, Gabaa, in qua natus eſt Saul, et Rama, quae eſt juxta Gabaa, in ſeptimo lapide a Jeroſolymis ſita, et quam rex Iſrael occupare conatus eſt, ut exitum et introitum clauderet tribui Judae. In Gabaa itaque et in Rama clara buccina et turba perſonate, quorum buccina paſtoralis eſt, et cornu recurvo efficitur, unde et proprie Hebraice *Sophar,* Graece *κρατίνη* appellatur. Tuba autem (חֲצֹצְרָה) de aere efficitur, vel argento, qua in bellis et ſolennitatibus concrepabant. Super Bethhaven, quae quondam vocabatur Bethel, et eſt in tribu Ephraim (cf. ſupra IV, 15.), in qua vitulus aureus erat, non clangore et ſonitu, ſed ululatu opus eſt, quia vicina captivitas eſt. Et pulchre dixit, quod Bethaven poſt tergum ſit Benjamin; ubi enim tribus ſinitur Benjamin, haud procul in tribu Ephraim haec urbs condita eſt." Chaldaeus hunc Verſum ſic exponit: *O prophetae, extollite vocem veſtram, qualis eſt tubae clangor; vaticinamini, quod venturi adverſus eos ſint populi cruenti caedibus et ſanguine, eo quod regem ſibi fecere Saulem, cujus ortus Gibeä fuit; altum clamate, veluti cum quis buccina canit; dicite, quod venturi in eos ſint reges cum copiis ſuis, quia recipere abnuerunt monitiones Samuelis, cui ortum quondam Rama dedit. Nuntium adverſus eos ferte de clamoribus committentium proelium, eo quod in verbum meum ſint praevaricati, verterintque ſe retro, cultum*

tum meum nolentes ſectari, nec cultum exhibuerint mihi in Sanctuario, quod erectum iis olim in terra, quae ceſſerat in portionem tribui Benjamin. Verba אַחֲרֶיךָ בִּנְיָמִין Chaldaeus videtur hoc modo accepiſſe: *retrogreſſus tui, o Benjamin!* vel, ſubaudito ל, *ob retrogreſſos tuos, Benjamin!* id eſt, Jarchio explicante, „propterea quod tardaſtis et retro averſi eſtis, ut ad ſtatas ferias aſcenderetis ad aedem Sanctuarii, quae eſt in portione tribus Benjamin.“ Hinc intelligas, cur LXX verterint ἐξέστη Βενιαμείν. Sed praeſtat, cum Hieronymo et recentioribus plerisque interpretibus אַחֲרֶיךָ de *ſitu* accipere, hoc ſenſu: *poſt te, Benjamin!* adeſt hoſtis, imminet tibi, jam enim ille ſubegit ſibi terram Ephraim.

9. אֶפְרַיִם לְשַׁמָּה תִהְיֶה בְּיוֹם תּוֹכֵחָה Nam *Ephraim in deſolationem erit die correptionis,* vaſtatio ei obtinget, quando Jova ſuam in Ephraimum caſtigationem exſequetur. Verbum femininum תִּהְיֶה jungitur nomini אֶפְרַיִם, nomina enim populorum *feminina* eſſe ſolent, quando ut mulieres introducuntur; cf. ſupra II, 21. Alii תִּהְיֶה pro ſecunda perſona habent: *Nam tu,* o Ephraim, in deſolationem *eris.* Chaldaeus: בֵּית אֶפְרַיִם לְצָדוּ תְהֵי בְּיוֹם תּוּשְׁלֶמֶת חוֹבִין *Domus Ephraim vaſtationi erit quo tempore conſummata fuerint* ejus *peccata.* Vocem תּוֹכֵחָה, *caſtigatio, redargutio,* ſumſit ille, ut et alii interpretes, pro *convictione,* ſive reprehenſione convincente, quam ſignificationem haec vox haud raro obtinet, quaſi Deus hoc dicat: vaſtationem Ephraim ſubibit, quando plena peccatorum menſura convincentur has poenas meruiſſe. בְּשִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל הוֹדַעְתִּי נֶאֱמָנָה *In tribubus Iſraelis indicavi firmam, certam* futuram correptionem ſ. poenam, certo ſuper illos, Judaeos (Vs. 5. 8.) et Iſraelitas venturam; cf. Deut. XXVIII, 59. נֶאֱמָנָה ABEN-ESRA interpretatur גזירה *decretum firmum,* R. TANCHUM vero, referente Pocockio, ſubaudiendum ratus واقعة *caſum, eventum,* haec verba ſic explicat: انذرتهم بواقعة صحيحة ثابتة *admonui eos comminatione caſus vere*

et

et certo eventuri. Chaldaeus: *ſed in tribubus Iſraelis indicaci legem* (אוֹרָיְתָא). Videtur בָּאֱמוּנָה de monitis miniſque Jovae cepiſſe, ut in priori Verſu hemiſtichio contineatur poenae indictio, eventurae cum Deus eſſet Ephraimum correpturus, in poſteriori autem demonſtratio fiat, quam juſtum eſſet hoc Dei judicium, ut nihil impiis in excuſationem poſſit adduci, utpote qui nec fidis Dei monitis nec minis fuerint ab iniquitatibus retracti. Hieronymus: „Idcirco autem dico atque praecipio: clangite buccina in Gabaa, et tuba in Rama, et ululate in Bethaven, quia domus regia Ephraim, ſive ipſe Ephraim, hoc eſt, imperium Iſrael, jam in deſolatione erit, et inſtat vicina captivitas. In die correptionis atque ſupplicii decem tribuum Iſrael oſtendi mea fidelia verba, quae per prophetas comminatus ſum, ut quod ſermone praedixeram, opere comprobarem."

10. הָיוּ שָׂרֵי יְהוּדָה כְּמַסִּיגֵי גְּבוּל *Fuerunt* enim et adhuc ſunt (ita Praeteritum et ſupra II, 7. IV, 18.) *principes Judae,* qui malitiam populi coercere debebant, profuſi in omnia ſcelera atque peccata, *ſicut illi, qui terminos movent,* Deut. XIX, 14. XXVII, 27. Prov. XXII, 28., dum et leges divinas impudentiſſime violant (cf. Pſ. XI, 3. כִּי הַשָּׁתוֹת יֵהָרֵסוּן *nam fundamenta deſtruuntur, quid faciet pius?*), et bona civium vi ac fraudibus ad ſe rapiunt. *Transferre terminum* proverbiali ſermone dictum videtur de illis, qui leges majorum, quibus homines in officio continentur, temere immutant. Grotius: „Tranſit ſaepe ab hoc regno in illud, ut utriusque peccata oſtendat, et poenas praenuntiet. Terminos ab hominibus conſtitutos movere crimen grave (Deut. XIX, 14.), quantum ergo conſtitutos a Deo terminos, id eſt, legem? quod fecere principes Judae, ut Abaſus, 2 Reg. XVI, 10. ſeqq." Vix dubium, exprimi iſto ſimili effrenem peccandi libidinem, nullum amplius modum, nullam verecundiam obſervantem. Rittershuſius:

Judaei imperii quotquot moderantur habenas,
Et jus unicuique aequabile reddere debent,

Officii

Officii migrant fines, ut limite moto
Si quis turbet agros, incertaque praedia reddat,
Quo nihil infandum magis, aut magis eſt ſceleratum.

Jarchi hoc deſignari exiſtimat, principes Judae ſic feſtinaſſe ad ſuscipiendos ſuperſtitioſos ritus, quos in ſtatam ſibi conſuetudinem Iſraelis reges, horum ſodales, ſervabant, quemadmodum homo removet hereditarium limitem vicini, eumque ſibi in poſſeſſionem rapit. Hieronymus: „Ductis Ephraim et Iſrael in captivitatem, et redacta terra eorum in ſolitudinem, principes Juda, qui flere debuerant, et ſuum populum exhortari, ut recederent ab idololatria, ne et ipſi ſimilia ſuſtinerent, ceperunt gaudere atque laetari, quod pateret ſibi terra ad poſſidendum latius, et facti ſunt quaſi aſſumentes terminos Iſrael, transeuntes fines ſuos, et in locis quondam eorum regnum ſuum et poſſeſſionem dilatare cupientes.“ עֲלֵיהֶם אֶשְׁפּוֹךְ Ideo *ſuper eos*, principes, *effundam*, Pſ. LXIX, 25. Thren. IV, 11. כַּמַּיִם *Sicut aquas*, quae ultra ripas aut littora effuſae nullis terminis ſe contineri patiuntur, Jeſaj. VIII, 7. Jerem. XIV, 16. עֶבְרָתִי *Furorem meum*, ſupplicia, Jeſaj. IX, 18. X, 6.

11. עָשׁוּק אֶפְרַיִם *Oppreſſus eſt Ephraim* ab hoſtibus, gentibus barbaris. רְצוּץ מִשְׁפָּט *Contritus*, fractus (Jeſaj. LVIII, 6., velut arundo, Jeſaj. XLII, 3.) *judicii*, i. e. juſto meo judicio, cf. Ezech. XXII, 29. Genitivus eſt efficientis, ut מֻכֵּה אֱלֹהִים, *a Deo perçuſſus*, Jeſaj. LIII, 4. Jarchi: „caſtigatur caſtigationibus.“ R. Tanchum quoque ſenſum eſſe ait انه معاقبهم بوجه حكم وعدل *puniri eos viâ judicii et aequitatis.* Verba עָשַׁק et רָצַץ ad oppreſſionem ſignificandam junguntur quoque Deut. XXVIII, 33. 1 Sam. XII, 3. 4. Jerem. XXII, 17. Amos IV, 1. כִּי הוֹאִיל *Nam voluit*, ſ. *propoſuit ſibi*, Geneſ. XVIII, 27. 1 Sam. XII, 22. הָלַךְ Et *ivit*, i. e. ire voluit, ſectari ei placuit, aſyndeton emphaticum, ut I, 2. III, 1. אַחֲרֵי־צָו *Poſt praeceptum* (ita nomen צַו et Jeſ. XXVIII, 10. 13.) ſubaudiunt plures: non *meum*, ſed *ſuum*, quodcunque ſcilicet reges cum comitiis populi,

populi, vel populo conſentiente fecerunt, quo pertinet mandatum Jeroboami de vitulis (1 Reg. XII, 18.), et Achabi de Baal colendis, 1 Reg. XVI, 32. Mallem cum R. Tanchum verba ita capere: لانه اصعن في سلوك طرق الشر بعد الوصية له والنهى عنها *propterea quod conſulto pergit in via mala procedere poſt mandatum Dei ei in*junctum de via mala, idolorum cultu, non perſequenda, *et poſt vetitum de ea* perſequenda. הוֹאִיל et Abu-Walid ait denotare الامعان في الشي والتمادي *procedere in re aliqua et in ea perſiſtere.* Arabicus quidam interpres ineditus, Pocockio laudatus, verba ſic interpretatur: لانه جهل مضا ورا الوصية *propterea quod ignorat ire poſt legem.* Cepit הוֹאִיל pro נוֹאַל *ſtolidus fuit.* LXX: *ὅτι ἤρξατο πορνεύεσθαι ὀπίσω τῶν ματαίων.* Nec aliter Syrus. Chaldaeus haec refert ad corruptionem judicum, ſua avaritia alios opprimentium: אִתְפְּנִיאוּ דַיָּנֵיהוֹן לְמִטְעֵי בָּתַר מָמוֹן דִּשְׁקַר *verterunt ſe judices eorum ut errarent poſt divitias iniquas.* צָו pro שָׁוְא, *vanitas* (quod Job. XV, 31.. שָׁו ſcribitur), poſitum ceperunt illi interpretes, quemadmodum et ex recentioribus nonnulli, ut Livelejus, qui plura commutationis literarum dentalium זסצש exempla attulit, v. c. צָחַק et שָׂחַק *riſit,* עָלַץ et עָלַם, *exultavit,* ejusdem ſunt ſignificationis. Hieronymus: „*quoniam coepit abire poſt ſordem,* hoc eſt, poſt idola, quae ſordibus comparantur." Legit צֹו, cum Cholem, quod ſignificatione nominis צוֹא aut צוֹאָה accepit. Genuinum verſiculi ſenſum expreſſit Rittershuſius:

Ephraimaea tribus patitur vim, ſupplicioque
Jam jam percutitur: coelo haec vis ingruit illi.
Nec ſane immerito; mandata humana ſequuti
Meque meamque animis vocem ſprevere protervis.

12. וַאֲנִי כָעָשׁ לְאֶפְרָיִם *Et ego Ephraimo ero ſicut tinea,* Pſ. XXXIX, 12. Job. IV, 19., cf. Bocharti *Hieroz.* P. II. L. IV. C. XXV. T. III. p. 513. ſeqq. edit. Lipſ., qui lenta Dei judicia comparari ait cum vitio, quod a tinea

veſti

veſti accidit, ſenſim enim id inoleſcit, ita ut, quod prius ſolidum atque integrum videbatur, tandem tacito morſu conficiatur atque exedatur. וְכָרָקָב לְבֵית יְהוּדָה *Et ſicut putredo,* ſ. caries (Proverb. XII, 4. Job. XIII, 28.), quae lignum morſu tacito ac lento corrodit et perdit, *domui Judae.* Hieronymus: „*As* lingua Hebraica *tinea* dicitur, *Recob, putredo et caries,* quorum alterum veſtes, alterum ligna conſumit; pro quibus LXX ταραχὴν, id eſt, *tumultum,* vel *conturbationem,* et *ſtimulum* (*κέντρον*) transtulerunt. Et notandum quod tinea referatur ad Ephraim, et putredo ad domum Juda. Quomodo igitur tinea veſtimenta conſumit, et putredo vel caries ligna, quod utrumque longo fit tempore; ita Deus et decem tribubus, et poſtea tribubus duabus longo tempore dans locum poenitentiae, et eos provocans ad ſalutem, theſaurizantes ſibi iram in die irae, quaſi tinea efficitur et putredo, non quod Deus tinea ſit et putrido, aut conturbatio et ſtimulus, ſed quod ſuſtinentibus poenas haec univerſa videatur. Primus igitur conſumtus eſt Ephraim et Iſrael, deinde ſequuta eſt domus Juda."

13. וַיַּרְא אֶפְרַיִם אֶת־חָלְיוֹ *Quumque animadverteret morbum ſuum,* i. e. ſuae reipublicae ſtatum corruptum, atque ad exitium praecipitem, qui et Jeſ. I, 5. cum morbo comparatur. וִיהוּדָה אֶת־מְזֹרוֹ *Et Juda purulentum ſuum vulnus,* tale enim purulentum ulcus, cujus ſaniem exprimunt (זוֹרוּ) medici, et hoc modo curare ſolent (cf. Jeſaj. I, 6.), nomine מָזוֹר indicari, ſuadet nexus cum nomine חֳלִי, comparationis ratio, et veterum interpretum auctoritas. Nam LXX verterunt τὴν ὀδύνην αὐτοῦ. Chaldaeus יַת, מַכְאוֹבֵיה *dolorem ſuum,* cum quo prorſus conſonat Syrus. Sed Hieronymus *vinculum ſuum* reddit, ad quod in Commentario hoc obſervat: „Poſſumus *vinculum,* pro quo in Hebraeo ſcriptum eſt *Mezur,* et Aquila interpretatus eſt ἐπίδεσιν ſive συνδεσμὸν, id eſt, *colligationem* ſive *conjurationem,* et ad illud tempus referre, quando Raſin et Phaſee, filius Romeliae, multa de tribu Juda hominum millia vaſtaverunt,

verunt, quod frustra Judas adversus reges duos non Dei, sed Assyriorum auxilium flagitarit.“ Videtur Aquila, quem in nominis מָזוֹר interpretatione sequutus est Hieronymus, illud ad radicem אָזַר retulisse, vel זור pro synonymo habuisse cum אָזַר; et sane Arabibus أزر est *constringere*. וַיֵּלֶךְ אֶפְרַיִם אֶל־אַשּׁוּר *Ivit Ephraim* ad auxilium quaerendum non ad Jovam, *percussorem suum* (Jesaj. IX, 13.), cujus opem quaerere debuerant, sed *ad Assyriam*, quod ipsum vates eis iterum iterumque exprobrat, vid. VII, 11. VIII, 9. XII, 2., et ob eam caussam minatur, Assyrium fore regem illorum, XI, 5., ipsosque comesturos res immundas in terra Assyriae, IX, 3. Assyrii regis auxilium primus petiit Menahemus, qui, ut in regno confirmaretur, Phuli mille talenta argenti dedit, 2 Reg. XV, 19., tum Hoseas, Elae filius, qui ut cliens fiduciarius se Assyrio subjecit, deinde vero in eum rebellavit, 2 Reg. XVII, 3. 4. וַיִּשְׁלַח *Misitque* etiam Juda, *πρέσβεις, legatos*, uti additum a LXX., אֶל־מֶלֶךְ יָרֵב, *ad regem Jareb*, quod nomen et infra X, 6. obvium, alii, ut Aben-Esra, ut nomen proprium urbis Assyriacae, nusquam alias tamen commemoratae, alii regis alicujus existimant. Sed tum requireretur הַמֶּלֶךְ יָרֵב, quemadmodum dicitur הַמֶּלֶךְ דָּוִד, 2 Sam. VI, 16. VII, 18., הַמֶּלֶךְ שְׁלֹמֹה, 1 Reg. I. et II. et IV, 1. dicitur, הַמֶּלֶךְ אָחָז, 2 Reg. XVI, 1., item הַמֶּלֶךְ חִזְקִיָּהוּ, 2 Reg. XVIII, 17. Sumimus cum pluribus melioris notae interpretibus pro futuro verbi ריב, *litigare, adversari*, ante quod subaudiendum אֲשֶׁר (ut mox Vs. 14.), ut sit: *ad regem* qui *litem intendet*, sive *maligne adversabitur*. Vel potest desumi a verbo illo ut nomen derivatum יָרֵב, *adversa pars in lite, adversarius*, prout et nomen est יָרִיב, cujus pluralis, יְרִיבַי, *adversarii mei*, exstat Ps. XXXV, 1. Hinc Chaldaeus: ושְׁלַחוּ לְמַלְכָּא דְיֵיתֵי לְאִתְפְּרַע לְהוֹן *et miserunt ad regem, qui veniet, ut animadvertat in eos.* Confer, quae mox ex Hieronymo adferemus. Eo nomine vix dubium significari regem Assyrium, cujus auxilium Ahasus adversus Israelitas implorabat, 2 Reg. XVI, 7. 8. Jesaj. VII, 17. Neque enim ad Israelem sive Ephraimum refe-

referenda sunt verba וַיִּשְׁלַח אֶל־מֶלֶךְ יָרֵב, sed ad Judam; nam quemadmodum verba וַיֵּלֶךְ אֶפְרַיִם אֶל־אַשּׁוּר respondent illis, nostri Versus initio, וַיַּרְא אֶפְרַיִם אֶת־חָלְיוֹ, ita illis וִיהוּדָה אֶת־מְזֹרוֹ respondent haec וַיִּשְׁלַח אֶל־מֶלֶךְ יָרֵב. Hieronymus: „Ubi Septuaginta posuerunt *Jarib*, nos juxta Symmachum *ultorem* (*ἔκδικον*, vel *ἐκδικητὴν*) vertimus; nam Aquila et Theodotion *judicem* interpretati sunt. Quod autem *Jarib ultorem* significet et *judicem*, nomen Gedeonis ostendit, quem quum cultores Baal expeterent ad supplicium, eo quod lucum Baal arasque evertisset, respondit pater, *ulciscatur se Baal*, aut *judicet eum Baal*, et appellatus est, inquit, *Jerobbaal* (יְרֻבַּעַל, Jud. VI, 32.), id est, *ulciscatur se Baal.* Intelligens itaque Ephraim infirmitatem suam, et Judas vinculum suum, quo cum decem tribubus peccato fuerat colligatus; non a Deo, qui solvere poterat, sed a rege Assyriorum quaesivit auxilium. Legimus (2 Reg. XV.), quod sub rege Menahem, qui decem tribubus praefuit, Israel Assyriis dona transmiserit; et Judas sub rege Achaz praesidium flagitarit Teglathphalasar regis Assyriorum, qui eos adversante Deo liberare non potuerunt, nec captivitatis vinculum solvere.“ Nomen יָרֵב J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1155. mallet *regem magnum* vertere, „quod in Asia nomen usitatum ad Graecos etiam transiit (ὁ *μέγας βασιλεὺς*, i. e. rex Persarum); est enim et ܪܶܒ prima radicali Jod Syris *magnus fuit*, unde ܐܰܘܪܶܒ, *magnum se fecit.*“ Hanc sententiam adoptavit et Gesenius in *Lexic. hebr. teuton. majori* sub voce יָרֵב et ad eam commendandam addidit, regem Assyriae et 2 Reg. XVIII, 19. (coll. 28. et Judith II, 5.) hoc titulo commemorari: הַמֶּלֶךְ הַגָּדוֹל מֶלֶךְ אַשּׁוּר, ut itaque utroque vatis nostro loco domestico sub Assyriaco titulo inducatur. וְהוּא *At ille*, rex Assyriae, quem non diversum esse a מֶלֶךְ יָרֵב tam ex hoc ipso, quod de utroque pronomen singularis numeri hic usurpatur, quam e loco infra X, 6. apparet. לֹא יוּכַל לִרְפֹּא לָכֶם *Non poterit sanare vos*, reipublicae vestrae opitulari. Cf. VI, 1. VII, 1.

Jesaj.

Jesaj. VI, 10. Eadem imagine usus Cicero *Epist. ad Attic.* II, 1. *Si omnes, ut aequum erat, faverent, tamen non minus esset probanda medicina, quae sanaret vitiosas partes reipublicae, quam quae exsecaret.* וְלֹא־יִגְהֶה מִכֶּם מָזוֹר *Nec amovebit a vobis*, Judaeis, *foedum vulnus.* In verbo ἅπαξ λεγομένῳ יִגְהֶה explicando, inquit Michaelis *Supplemm.* p. 273., „Arabismo nos destituente opem fert Syria, cui ܓܗܐ est *recedere, fugere* (idem quod Arabum quadriliterum جَهْجَهَ, in secunda conjugat. تَجَهْجَهَ) ut T. I. Operum Ephraemi p. 44. *Petiit Cainus, ut a tanta ignominia statim primo die* ܥܡ ܡܘܬܐ ܢܓܗܐ ܗܘܐ *per mortem fugere sibi daretur*, indeque Etthaphal ܐܬܓܗܝ *liberatus est.* Ergo גָּהָה *fugit*, in Hiphil *fugavit, depulit*, verbaque prophetae vertenda, si in Kal accipias, *non recedet a vobis ulcus*, sin in Hiphil, *non depellet a vobis ulcus.* Proximi ex veteribus ab hac significatione LXX: οὐ μὴ διαπαύσῃ (intransitive *recedit*) ἐξ ὑμῶν ὀδύνη, et Vulgata, sed male מָזוֹר *vinculum* interpretata, *non solvere poterit a vobis vinculum*, seu, ut legebatur ante Hieronymum, *nec cessare faciet a vobis dolorem.*" Chaldaeus: וְלָא יְגִיחַ מִנְּכוֹן מַכְאוֹב *neque quiescere faciet a vobis dolorem*, non sedabit vestrum dolorem. Eodem verbo גוח interpres utitur VI, 1. pro hebraico חָבַשׁ. Syrus: ܘܠܐ ܢܣܐܒ ܡܢܟܘܢ ܟܐܒܟܘܢ *neque sanabit a vobis dolorem vestrum.* A. Schultens in *Animadverss. philologg.* ad h. l. (*Opp. minor.* p. 328.) מִכֶּם מָזוֹר *ulcus vestrum* recte verti posse autumat, ut particula מִן sit Genitivi nota, ut Arabibus frequentissime, nec haud raro Hebraeis; exempla attulit in *Animadverss.* ad Prov. XXVI, 7. (*Opp. minor.* p. 233.). „Dubium," inquit, „movere posset, quod מִכֶּם praeponatur; verum hoc ne quem detineat. Arabes ita frequenter faciunt. Coran. LXIX, 46. قطعنا منه الوتين *praecidimus venam ejus*, מנהו ותין, *ab eo venam*, pro *venam ab eo*, i. e. ejus." Sensum hujus versiculi ita expressit Rittershusius:

— — *Sed*

— — Sed sensit ubi utraque morbos
Languoresque suos, sibi consulere ipsa fategit,
Auxiliumque petens adiit procul extera regna,
Assyriis consisa armis et rege superbo,
Qui propulsaret violentos fortior hostes.
Inque fidem acciperet propugnaretque clientes.
Ah frustra imploratis opem hanc! Neque enim illa mederi
Afflictis poterit rebus, curareque vulnus
Jam desperatum, jamque insanabile factum.

14. Cur Assyrius atque aliquis alius auxiliator vulneri salutarem adhibere medicinam non possit, ea ratio est, quia plaga illa non tam est inflicta ab humana, quam a divina manu, atque ideo ab uno tantum Deo obligari atque sanari potest. כִּי אָנֹכִי כַשַּׁחַל לְאֶפְרַיִם *Nam ego instar leonis ero Ephraimo.* De nomine שַׁחַל, quod et infra XIII, 7. Ps. XCI, 13., et locis quatuor aliis indubie est leonis nomen, pluribus egit Bochartus *Hieroz.* P. I. L. III. C. I. T. II. p. 8. edit. Lips., *nigrumque* illo leonem proprie designari evincere studuit. Alii *rugientem* notari putant, coll. Job. IV, 10. כְּפִיר *Leunculus,* λεόντισκος, uti patet ex Ezech. XIX, 2. 3. Cf. Bochartum l. c. p. 4. Chaldaeus: בַּר אַרְיָוָן, *filius leonum.* Haud infrequens Hebraeis, Deum severius castigantem, et in impios atrocius animadvertentem, proponere ut leonem, qui e lustro suo prodiens obvios discerpit et dilacerat, nemine obsistente. Vid. Jesaj. XXXI, 4. XXXVIII, 13. Jerem. XXV, 37. 38. Thren. III, 20. Job. X, 16., infra XIII, 7. 8. Hieronymus: „Illis euntibus ad Assur, et mittentibus ad regem vindicem, vel ultorem, qui eos sanare non poterit, nec solvere vinculum colligatum, ostendam quod me adversante omne hominum auxilium vanum sit; ero enim quasi leaena Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda. Pro *leaena,* quod Hebraice dicitur *Sobol;* Septuaginta interpretati sunt *pantherem,* quae Graece similiter dicitur, et Latine, et tam nomen bestiae, quam omnis bestia accipi potest, ut quidquid saevum in bestiis est, hoc in Dei indigna-

tione cognoscas. Nihil panthere velocius, nihil leone fortius; in panthere velox per Assyrios regni Samariae significatur interitus, et in leone fortissimum contra Jerusalem et Judam aliquanto post tempore regnum ostenditur Chaldaeorum.“ אֲנִי אֲנִי *Ego, ego*, inquam, omnipotens Deus; eadem ejusdem pronominis emphatica repetitio Jesaj. XLIII, 25. Chaldaeus: אֲנָא בְּמֵימְרִי, *ego per verbum meum.* אֶטְרֹף וְאֵלֵךְ *Rapiam*, s. *lacerabo* (VI, 1.), Chaldaeus: אֶקְטוֹל, *occidam, et abibo.* אֶשָּׂא *Tollam*, auferam, scil. praedam, ut 1 Sam. XVII, 34. *Venit leo cum urso* וְנָשָׂא שֶׂה *sustulitque ovem de grege.* LXX: Λήψομαι. Chaldaeus: אָרִים גְּבוּרְתִּי *extollam fortitudinem meam.* וְאֵין מַצִּיל *Et nemo erit, qui eripiat,* Deut. XXXII, 37. Mich. V, 7. Ps. VII, 3. L, 22. supra II, 12. Rittershusius:

Namque velut suevit catulis orbata leaena,
Sic ego in Ephraimum; vegetis vel scymnus in annis
Quale furit, pecudes raptans lanians que minores,
Talis ego, Judaea, in te, domus, et tua regna
Ipse ego diripiam vastaboque; deinde recedam.
Deportabo ipsos patria e regione alienas
In terras, manibusque meis non eruet ullus,
Apprensos. — — —

15. אֵלֵךְ אָשׁוּבָה אֶל־מְקוֹמִי *Abibo redibo ad locum meum,* quod Chaldaeus sic exponit: אֲסַלֵּק שְׁכִנְתִּי אֲתוּב לִמְדוֹר קוּדְשִׁי דִּי בִשְׁמַיָּא *auferam praesentiae meae symbolum, revertar in habitaculum sanctitatis meae, quod est in coelis,* cf. supra Vs. 6. Ezech. XI, 23. *Locus* Deo hic tribuitur tropo a leone sumto, quasi dicat: sicut leo revertitur post rapinam in locum, s. lustrum suum, nec relictum amplius curat, sic ego quoque revertar in locum meum, i. e. non amplius curabo, Judam et Ephraimum. עַד אֲשֶׁר־יֶאְשְׁמוּ *Donec reos se agnoscant.* Chaldaeus: עַד דְּיִדְעוּן דְּחָבוּ, *donec agnoscant se peccasse.* אָשַׁם *Reum se declaravit*, agnovit, Lev. IV, 13. V, 5. Verba, quae fieri, esse, vel agere significant, interdum pro rei cognitione dicuntur. Vid. Glassii *Philolog. S.* p. 225. edit. Dath. LXX: ἕως οὗ ἀφανισθῶσι. Videtur hebraica

verba

verba hoc sensu cepisse: *donec rei fiant*, ut Zachar. XI, 5. Jerem. II, 3. L, 7. infra X, 2. i. e. donec peccatorum poenas persolverint. וּבִקְשׁוּ פָנָי *Et quaerant faciem meam*, i. e. auxilium a me implorent, non ab exteris regibus. *Quaerere faciem alicujus*, est aliquem deprecari, ut propitio vultu respiciat, cf. Psalm. XXVII, 8. Rittershusius:

— — Abiensque locum ipse deinde revertar
Ad proprium, missos faciens opis omnis egenos,
Dum culpam agnoscant ipsi, peragantque reos se,
Inque meo quaerant vultu inveniantque salutem.

בַּצַּר לָהֶם *In angustia* quae *eis* est, cf. Deut. IV, 30. Chaldaeus: כַּד מְעוּק לְהוֹן, *cum angustia erit eis.* יְשַׁחֲרֻנְנִי *Mane*, i. e. sedulo et anxie *me requirent*, prout solent qui diligenter negotium expedituri sub ipso aurorae crepusculo ad opus se accingunt. Cf. Ps. LXIII, 2. Jesaj. XXVI, 9. Job. VIII, 5. LXX: *ἐν θλίψει αὐτῶν ὀρθριοῦσι πρός με*, *in tribulatione sua mane vigilabunt ad me*, ut Hieronymus vertit. Chaldaeus: יִבְעוֹן דַחֲלְתִי *requirent timorem mei*, me sedulo colent. Ceterum יְשַׁחֲרֻנְנִי poetice positum est cum Nun paragogico pro יְשַׁחֲרוּ אֵלַי, ita ut suffixum, omissa particula, immediate verbo sit junctum, ut Ps. V, 5. יְגֻרְךָ pro יָגוּר עִמְּךָ, *tecum commorabitur.* Hieronymus: „Ut quem propitium praesentemque non senserant, iratum et absentem requirant, et in tribulatione sua, orto eis lumine poenitentiae, mane consurgant ad eum, juxta illud quod in Isaja legimus (XXVI, 16.): *In tribulatione Domini recordatus sum.*“ Rittershusius:

Rebus in adversis animos angustia eorum
Quum premit, humani neque spes ostenditur ulla
Auxilii, tum crux pietatis vera magistra
Surgere mane ipsos subiget, stratoque relicto
Ad me curriculo properare jubebit anhelos,
Ad maturandum se talibus exstimulantes.

Sequuntur enim Versu primo proximi Capitis verba mutuo sese cohortantium Israelitarum, ut Jovae auxilium implorent.

Cap. VI.

Argumentum.

Docet primum, quodnam consilium capturi sint Israelitae, tribulationum stimulis compuncti, et quomodo ad bene sperandum excitent moerentem animum (Vs. 1 — 3.). Carpit deinde graviter illorum inconstantiam ac levitatem animi, quum ipsis tam sit misericordia momentanea, et sibi in externa atque fucata sanctitate magnopere placeant, quum tamen procul absint a legis observantia et misericordia, qua nullum est magis acceptum holocaustum (Vs. 4 — 7.). Reprehendit deinde Gileadem, quia consilio plane scelerato, ut alios a templo veraeque religionis cultu prohiberet, cum sacerdotibus conspiravit (Vs. 8 — 10.). Ad extremum duabus tribubus eorundem criminum contagionem objectat (Vs. 11.).

---

1. Arctissime hic Versus cum superioris Capitis Versu postremo cohaeret. Loquentes inducuntur Israelitae, ut ad meliorem frugem revertantur sese invicem cohortantes. Subaudiendum igitur לֵאמֹר, quod veteres omnes expressefrunt. לְכוּ וְנָשׁוּבָה אֶל־יְהוָה *Ite,* agite, *revertamur ad Jovam,* poenitentes, cf. supra III, 5. Thren. III, 40. V, 21. et similem Imperativi verbi הָלַךְ constructionem Genes. XXXVII, 20. 27. Jes. II, 3. Ps. XCV, 1. Chaldaeus: אֱתוּ וּנְתוּב לְפוּלְחָנָא דַיְיָ *venite et revertamur ad cultum Jovae.* כִּי הוּא טָרָף *Nam ille rapuit,* s. *discerpsit,* laniavit, sauciavit, ut leo unguibus, cf. V, 14. Chaldaeus: אֲרֵי הוּא דִי מְחָנָא *nam ille est is, qui nos percussit.* וְיִרְפָּאֵנוּ Idemque, non Assyrius,

rius, aut alius quisquam (V, 13.) *ſanabit nos*, ut medicus noſter, Exod. XV, 26. Locus plane ſimilis Deut. XXXII, 39. Cf. et infra VII, 1. XIV, 5. יַךְ *Percuſſit* nos, ſubaudiendum Vau converſivum, ut infra VIII, 12. וְיַחְבְּשֵׁנוּ Ipſeque, inſtar chirurgi, *obligabit nos*, vulnera noſtra, Jeſ. I, 6. Job. V, 18. Hieronymus: *curabit nos*, et in Commentario: „Pro eo quod diximus *curabit*, omnes ſimiliter transtulerunt μοτώσει: proprie autem μότα appellantur *linteola*, quae inferuntur vulneribus, ut putridas carnes comedant, et extrahant purulentias; artisque medicorum eſt grandia vulnera longo ſanare tempore, et per dolorem reddere ſanitatem.“ Chaldaeus: וּדְאַיְתִי עֲלָנָא תְּבַר יְנִיחַ לָנָא, *et qui cladem nobis induxit, refocillabit nos.* Senſus: qui calamitate nos affecit, Jova, idem ille et reſtaurabit noſtram felicitatem. Rittershuſius:

> *Huc agite, ad Dominum curſu properante reverti*
> *Unumquemque juvet, vitiis quem offendimus olim,*
> *Quo procul heu nimium diſceſſimus ante relicto.*
> *Nec vero ad ſeſe redeuntes ille repellet,*
> *Aut veniam ſua confeſſis errata negabit.*
> *Quin potius plagis male quos mulctaverat ipſe*
> *Conſideratque flagris, medicinam adhibere ſalubrem*
> *Haud renuet, ſanans idem qui vulnera fecit.*

2. יְחַיֵּנוּ *Vivificabit nos*, valetudinem, novam quaſi vitam nobis reddet, i. e. a miſeriis nos liberabit, felices nos reddet, cf. Pſ. XLI, 3. LXX: ὑγιάσει ἡμᾶς. מִיֹּמָיִם *Poſt dies* LXX recte verterunt μετὰ δύο ἡμέρας, *poſt biduum*, ſequitur enim בַּיּוֹם הַשְּׁלִישִׁי, *die tertio*, i. e. poſt paucos dies, ſ. intra breve tempus; binarius numerus in V. T. paſſim *paucitatem* indicat, vid. 1 Reg. XVII, 12. Jeſaj. VII, 21. XVII, 6. Jerem. III, 14. Noldius Not. 1555. ad *Concordant. Particular.* ad noſtrum locum vere haec obſervat: „*Poſt biduum* et *die tertio* Ebraismus eſt pro *deinceps*, vel *poſthac.* Nam ſolatur ſe populus, qui hic exſul introducitur, quod *brevi* evaſurus ſit ex ſuis miſeriis. Ita σήμερον

καὶ

καὶ αὔριον καὶ τῇ τρίτῃ, seu *τῇ ἐχομένῃ*, *hodie*, *cras* et *perendie*, pro *posthac*, seu *aliquamdiu*, Luc. XIII, 32. 33. Quare frustra sunt tum ex Judaeis Jarchius, Kimchius, Abarbenel, qui hinc volunt exprimere *tria templa*, seu *tres captivitates* (Aegyptiacam, Assyricam et hodiernam), in quarum *ultima*, tanquam *die tertio*, stulta natio sibi sperat restitutionem; tum qui ex Christianis hinc elicere volunt seu *tres annos ministerii*, seu *tres dies resurrectionis Christi*." יְקִמֵנוּ *Eriget*, suscitabit *nos*, qui quasi mortui jam sumus. Felicitatis restitutio imagine resurrectionis proponitur, ut Jesaj. XXVI, 19. Ezech. XXXVII, 1—10., ad quem loc. vid. not. וְנִחְיֶה לְפָנָיו *Ut vivamus*, felices simus *coram ipso*, sub praesidio et tutela Jovae, ad nos redituri, qui antea a nobis recesserat, V, 15. Cf. Genes. XVII, 18. Chaldaeus hunc Versum ita exponit: *Vita donabit nos in diebus consolationis, qui venturi sunt; in die resurrectionis mortuorum suscitabit nos, ut coram eo vivamus.* Rittershusius:

Post biduum ad dulcis revocatos lumina vitae
Restituet nobis; lux tertia deinde reviset
Laeta resurgentes caelesti munere tumbis.
Tunc coram ipsius vivemus lumine vultus
Nec vitae huic finem mors afferet amplius ulla.

3. וְנֵדְעָה *Agnoscamus* igitur hoc; connectendus hic Versus cum antecedentibus, ut in eo sit cohortatio poenitentium ad se invicem, sicut Vs. 1. נִרְדְּפָה לָדַעַת אֶת־יְהוָה *Persequamur cognoscere Deum*, praeceptis ejus cognoscendis sedulo operam dabimus; ita רָדַף usurpatur et Deuter. XVI, 20. Jesaj. LI, 1. Ps. XXXIV, 15. Proverb. XXI, 21., et *διώκειν* 1 Thess. V, 15. כְּשַׁחַר נָכוֹן מוֹצָאוֹ Tunc *sicut aurora firma*, i. e. clarissima, lucidissima in *exitu*, ortu *suo*, i. e. quemadmodum post noctem tenebricosam aurorae lux omnia collustrat, ita post calamitatum tempestates procedet, apparebit Jova, nosque oppressos laetitia afficiet. נָכוֹן de aurorae jam maturae clara luce dicitur, ut Prov. IV, 18. de luce

luce meridiana: *Piorum via* eſt ſicut *lux ſplendoris* matutini, *pergens ac lucenos* עַד־נְכוֹן הַיּוֹם, *usque ad firmum*, ſ. firmitudinem *diei*, usque ad perfectam diem. Ante מוֹצָאוֹ ſubaudiendum praefixum כּ. Ita Chaldaeus: כִּנְהוֹר צַפְרָא דְּמִקְשַּׁט בְּמַפְּקֵיהּ, *inſtar lucis aurorae quae ornat in exitu ſuo.* Rittershuſius:

At Dominus roſeos aurorae imitabitur ortus,
Accendetque diem nitida face, et omnia luſtrans
Lumine percurret.

וְיָבוֹא כַגֶּשֶׁם לָנוּ *Venietque nobis ut pluvia* valida et larga, qualis poſt jactam ſementem autumno et hibernis menſibus cadere ſolet, nam hyemi tribuitur Cantic. II, 11. LXX: Ὑετὸς πρώϊμος, Hebraeorum enim annus ſeptimo menſe, noſtro circiter Octobri, incipit, atque hinc illa pluvia in anno prima eſt. Chaldaeus: וְיֵיתֵין בִּרְכָן לָנָא כְּמִטַר מְגַבַּר *advenient nobis beneficia ſicut pluvia invaleſcens.* Huic opponitur מַלְקוֹשׁ, *pluvia ſerotina*, verna, quae meſſem proxime antecedebat, eamque promovebat. LXX: Ὄψιμος. Cf. not. ad Deut. XI, 14. יוֹרֶה אָרֶץ Quae *jaculatur* verſus *terram*, eamque foecundam redit. Futurum Hiphil, ut X, 12. Chaldaeus: כְּמַלְקוֹשָׁא דְמַרְוֵי אַרְעָא *ſicut pluvia ſerotina, quae terram irriguat*, quaſi יִרְוֶה ſcriptum eſſet.

4. Poſtquam denunciaſſet vates Iſraelitis et Judaeis, receſſurum Deum Hieroſolymis, et eos ſibi ipſis relicturum, usque dum confiterentur ſe reos, ejusque praeceptis ſtuderent (V, 15.), mutuoque ſeſe cohortarentur ad reſipiſcentiam ejusmodi verbis, qualia Vſs. 1—3. leguntur; nunc redit ad abruptam redargutionem. Loquens introducitur Deus, qui Iſraelitis aeque atque Judaeis, quum nullis admonitionibus ſe commoveri patiantur ut in rectam viam redeant, et ſincerae pietatis ſtudioſi ſint, graviſſimam certiſſimamque poenam minatur. מָה אֶעֱשֶׂה־לְּךָ אֶפְרַיִם וגו׳ *Quid faciam tibi, Ephraim? quid faciam tibi, Juda?* quae mihi jam ingredienda eſt via, qua vos in rectam tramitem reducere poſſim? omnis labor in vobis emendandis adhuc

irritus

irritus fuit. Chaldaeus: מִן קֳדָם דִין קְשׁוֹט מָא אַעְבֵּד לְכוֹן דְבֵית אֶפְרַיִם *coram judicio juſto quid faciam vobis, de domo Ephraim?* Hieronymus: „Quando dicit: *quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Juda?* parentis in perditos filios monſtrat affectum, juxta illud quod in Jeſaja (V, 4.) legimus: *Quid eſt, quod ultra debui facere vineae meae, et non feci ei?* Et in Micha (VI, 3. 4.): *Popule mi, quid feci tibi? aut quid moleſtus fui tibi?*" וְחַסְדְּכֶם כַּעֲנַן־בֹּקֶר *Nam pietas veſtra* tam fluxa et evanida erat *ſicut nubes diluculi,* quae vix nata a ſole dispergitur; eadem ſimilitudine res cito transiens ſiſtitur Jeſaj. XLIV, 22. Job. VII, 9. Jud. Vs. 12. וְכַטַּל מַשְׁכִּים *Aut ſicut ros matutinus,* ut infra XIII, 3. Alius enim mane pluit, alius ipſa nocte, quem *guttas noctis* vocat poeta Cantic. V, 2. Quoniam vero *neque in nube neque in ſtatu cadunt rores,* ut Plinius ſcribit *Hiſt. Nat.* XVIII, 29., ideo qui mane demum cadit, tenuior eſſe ſolet, et minus conſiſtens. הֹלֵךְ *Cito abiens,* evaneſcens, qui orto ſole mox ſiccatur. Chaldaeus: וּכְטַלָּא דְמוֹחֵי פָּסֵק, *et ſicut ros, qui cito deficit.* Rittershuſius;

Nonne tibi merito acciderunt iſta omnia jure?
Namque velut nubes vaneſcit ſole coorto
Matutina; velut ros lapſus mane per herbas
Momento exiguo durans abit, atque calore
Lambitur ignito, ſiccataque gramina linquit:
Exiguo bonitas ita durat tempore veſtra;
Nam ſimulata fuit, non ſeria, nec bene firma.

„Ita," inquit Abarbenel, „ſe habuit profecto quicquid boni aequique praeſtiterint; durabile non fuit. *Fecerit* licet *Hiskias rectum in oculis Domini* (2 Reg. XVIII, 3.), ſucceſſit ei Menaſſe, qui operibus nequam ad iram provocavit Deum (2 Reg. XXI, 5.). Joſias quidem *ad Deum ſe convertit omni ſuo corde ac omni anima ſua* (2 Reg. XXIII, 25.), filii tamen rebelles in Dominum *dolore affecerunt ſpiritum ſanctitatis ejus* (Jeſ. LXIII, 10.). Ita et in Iſraele

res

res processit; etsi imperii sui initia bona fecerit Jehu, ultima tamen prorsus corrupit."

5. עַל־כֵּן חָצַבְתִּי בַּנְּבִיאִים *Propterea quod dolavi* eos (Pronomen subaudiendum e proximo הֲרַגְתִּים) *per prophetas*, i. e., Chaldaeo recte interpretante, עַל כֵּן דְּאַזְהַרְתִּנוּן בִּשְׁלִיחוּת נְבִיַּי וְלָא תָבוּ *propterea quod ferio eos commonefeci per ministerium prophetarum meorum, ipsi tamen sese non converterunt*, הֲרַגְתִּים בְּאִמְרֵי־פִי *occidi eos verbis oris mei*, i. e. exitium et adversa omnia eis minatus sum, nisi mentem mutarent. Haud infrequens Hebraeis scriptoribus, ut illa fieri dicantur, quae facienda praedicuntur, vid. Jes. VI, 10. et ad eum loc. not., Jerem. I, 10. Mich. II, 12. Sic ergo nunc occidisse se dicit Deus illos, quos infidelitatis coarguit, quia illis subeundam esse mortem, id quod instar obtinet mortis, per prophetas denunciat. Oracula divina, אִמְרֵי־פִי יְהוָה, ob suam virtutem et efficaciam et alias comparantur modo cum *telis*, ut Ps. XLV, 6., modo cum *gladio* ancipiti et acuto, ut Jes. XLIX, 2. Ps. XLV, 4. Hebr. IV, 12. Apocal. I, 16. Locus nostro similis Jes. XI, 4., quo effata divina convincendo homines impiae vitae eos necare dicuntur. Verbum חָצַבְתִּי, quod de caedendis lapidibus et lignis dici constat, sunt qui h. l. ἰσοδύναμον cum הֲרַגְתִּים existiment. Nos tamen *dolandi* significatum, ab Hieronymo quoque adscitum, retinendum arbitramur, ut indicentur eo verbo mitiores adhortationes, quas minae acriores (הֲרַגְתִּים) sequebantur. Tentavi, inquit Deus, omnia, quo vos ad officium reducerem; et quemadmodum qui rude lignum aut saxum in pulchram aliquam aut honestam speciem informare vult, omnem adhibet artis solertiam, omne ferramentum, sic ego vos, ut aliquam exprimerem pietatis formam, dolavi saepè, per prophetas, atque cohortatus sum, modo blandioribus mulcendo promissis, modo tundendo minacibus verbis. וּמִשְׁפָּטֶיךָ אוֹר יֵצֵא *Et judiciorum tuorum* unumquodque sicut *lux prodibit*, sive: *in lucem* (לְאוֹר) *prodibit*, i. e. supplicia, quae tibi irroganda per meos prophetas

com-

comminatus sum, usque adeo erunt aperta, ut instar lucis, aut solis, omnium occursent oculis et his notata signis, ut nemo dubitet, illa a Deo, scelerum vindice, fuisse profecta. Quasi dixisse vellet: non solum jus meum sic fert: illi ob peccata concidantur, quin et tradantur morti; verum et ipsa poenarum irrogatione lucidum conspicietur. Ita de poenarum immissionibus dicitur, *judicia produci in lucem* et Zephan. III, 5. בַּבֹּקֶר בַּבֹּקֶר מִשְׁפָּטוֹ יִתֵּן לָאוֹר, *singulis matutinis judicium suum edit in lucem.* Sed nostro loco minime praetermittendum est, pro מִשְׁפָּטֶיךָ Graecum Alexandrinum, Syrum, ac ipsum Chaldaeum, qui raro ab hodierno textu recedit, ita vertisse, ac si legissent וּמִשְׁפָּטִי כָּאוֹר יֵצֵא, vel וּמִשְׁפָּטַי, cum suffixo primae personae, translato ad nomen אוֹר vocis וּמִשְׁפָּטֶיךָ. Qua adscita scriptura, quam et Kennicottus *Differt. generał.* §. 28. p. 55. ed. Bruns, et Michaelis *Biblioth. Orient.* T. XIX. p. 172. tuentur, sententia prodibit haec: ita serio et graviter vos per prophetas sum cohortatus, ut *judicia,* i. e. statuta mea *sicut lux prodirent,* ut luce clarius quid meae postulent leges, quid vobis faciendum fugiendumve sit, appareret. מִשְׁפְּטֵי יְהוָֹה dici *statuta Jovae,* tralaticium. Sic Ezech. XX, 11. *Dedi eis* אֶת־חֻקּוֹתַי, *leges meas,* וְאֶת־מִשְׁפָּטַי הוֹדַעְתִּי אוֹתָם *et statuta mea nosse eos feci, secundum quae si facit homo, vivet per ea.* Eum, quem indicavimus, nostri loci sensum, Versui proximo praeclare accommodatum, feliciter assequutus est Rittershusius:

> *Ergo ipsos vatum castigans voce dolavi,*
> *Atque interfeci sermonibus oris acutis*
> *Ipse mei. Hinc adeo sancti lux clara refulsit*
> *Judicii, ut, mihi quid sit gratum, appareat inde.*

Alia ratione nostrum locum explicat Buxtorfius in *Anti-Critica* p. 741., qui Chaldaeum negat aliter suo in codice legisse, quam hodie in libris tantum non omnibus scriptum reperitur. „Idem," inquit, „est sensus in Chaldaeo, qui in Hebraeo, sed recte ex mente Jonathanis intellecto. Hebraeus textus ita sonat: *Propterea dolavi eos in prophetis,* *occidi*

occidi eos verbis oris mei, et judicia tua ut lex egredientur; ubi in voce ומשפטיך duplex mutatio obſervanda, Numeri et Perſonae, dum ad perſonam ſecundam redit, et numero ſingulari eum compellat, populum nempe alloquens; dicendum enim fuiſſet: *et judicia eorum*, ſicut in verbis praecedentibus *occidi eos*, quae mutationes frequentes ſunt in prophetarum ſcriptis. Porro *judicia* ſumſit Paraphraſtes paſſive pro judiciis, quae in populum a Deo exercenda erant, ſeu decretis, poenis, paulatim augendis et accrescendis, quemadmodum lux in ſingula momenta crescit et augetur. Judicia haec in populum exercita et decreta, ſunt Dei judicia active, quia ab ipſo decernuntur et immittuntur. Ad mutationem ergo hanc perſonae et numeri vitandam Paraphraſtes Chaldaeus pro: *et judicia tua*, dixit: *et judicium meum*, vel, *judicia mea*, ut conformitas et ſimilitudo loquendi in toto Verſu maneat: *ego admonui eos* etc. Ego *adducam contra eos* etc. *Transgreſſi ſunt verbum beneplaciti mei, et judicium meum* (quod contra eos decrevi) *ſicut lux* etc. Sic in perſona prima idem dicit, quod textus Hebraeus in perſona ſecunda, ut nulla hinc varia lectio conjecturari poſſit. Nam judicia illa, quae intelligit, reſpectu uno ſunt populi, reſpectu altero, Dei.“ Eundem in modum hunc locum exponit Hieronymus: „*Dolavi vos in prophetis*, et verbis terribilibus comminatus ſum; ſcalpellum, ignes et cauteria protuli, ut qui clementem contemnebatis, timeatis offenſum: et occidi negligentes in verbis oris mei, ut ante peccatores verborum terrore punirem, quam captivitas immineret. Et haec univerſa feci, ut judicii, quo te judicaturus ſum, veritas appareret, nullusque dubitaret, vos juſte quae patimini fuiſſe perpeſſos. Pro eo quod eſt, *dolavi in prophetis*, Septuaginta transtulerunt: *ſuccidi prophetas veſtros* (ἀπεθέρισα τοὺς προφήτας ὑμῶν), ipſos pſeudoprophetas occiſos a Domino intelligentes; ut qui cauſſa erroris fuerant, proſpera promittentes, interfecti verterentur in occaſionem ſalutis. Et eſt ſenſus: ne diceretis: prophetis credidimus; etiam ipſos interfeci,

ut

ut omnis vobis peccandi tolleretur occaſio. Legimus in Regum volumine (1 Reg. XVIII. 2 Reg. X.), quadringentos quinquaginta prophetas Baalim interfectos ſub Elia, et aliam innumerabilem multitudinem ſub Jehu, qui ſubvertit domum Achab.“

6. כִּי חֶסֶד חָפַצְתִּי וְלֹא־זָבַח *Nam pietatem volo, nec ſacrificium*, non tam ſacrificia, externum cultum, quam potius pietatem flagito. Comparative enim haec accipienda ſunt, uti et Chaldaeus expreſſit: אֲרֵי בְּעָבְדֵי חִסְדָּא רַעֲוָא קֳדָמַי מִמַּדְבַּח *nam iis qui pietatem exercent, magis delector quam ſacrificiis*. Cf. locos plane ſimiles Jeſ. I, 11. Pſ. XL, 7. LI, 18. וְדַעַת אֱלֹהִים מֵעֹלוֹת *Et cognitionem Dei*, talem intellige, quae vita factisque exprimitur (cf. ſupra IV, 1.), *volo prae holocauſtis*, magis cupio quam ſacrificia et maxime ſumtuoſa. Chaldaeus: וְעָבְדֵי אוֹרַיְתָא דַיְיָ מִמַּסְּקֵי עֲלָוָן *et facientibus legem Domini magis* delector, *quam offerentibus holocauſta.* Rittershuſius:

Non bove mactato, aut ſuccenſo gaudeo thure:
Grata mihi in miſeros bonitas et amica voluntas,
Quae bene, cui poſſit, faciat, juvet, atque ope egenos
Sublevet, auxilium rebus neque deneget arctis.
Cognitione Dei quod fulget pectus, amicum
Eſt mihi prae multis hecatombis atque holocauſtis.

7. Occurrit jam, Abarbenele monente, vanae illorum perſuaſioni, terrae ipſis a Jova conceſſae tantam eſſe dignitatem, ut qui eam incolerent hoc ipſo poenis ſint immunes. וְהֵמָּה כְּאָדָם עָבְרוּ בְרִית *Nam ipſi ſicut Adamus transgreſſi ſunt foedus*, i. e. ſimiles ſe illi egere Adamo, ſeu homini primo, quem ut miſi in hortum Eden, mandatum meum transgreſſus eſt: quale tum debitum ei judicium fuit? utique ut inde exigeretur. Tales ſe habent poſteri Judae, terram quidem Sanctam habitant, שָׁם בָּגְדוּ בִי ſed *ibi praevaricati ſunt in me*, ac ſuis probroſis factis eam polluerunt, quare aequum poſtulat eos avelli ex iſta, Prov. II, 22. Ita et Chaldaeus: *At iſti ſicut primi orbis habitatores* (כְּדָרַיָּא קַדְמָאֵי), *trans-*

transgressi sunt foedus meum, et ut praestans fuit terra quam ipsis dedi, quo morigeri meae voluntati justa peragerent (nimirum sicut Adamo prius in horto Eden habitaculum Deus constituerat, Genes. II, 15.), *ibi praevaricati in verbum meum fuere.* Hieronymus: „Ipse autem imitati sunt Adam, ut quod ille in Paradiso fecerat, pactum meum legemque praeteriens, isti in terra facerent." בְּרִית, proprie *foedus, pactum,* quum vero id constet conditionibus legibusque utrique parti sancte servandis, hinc in universum pro praeceptis, legibus usurpatur, ut Exod. XIX, 5. Sic in illo Virgilii *Aeneid.* I, 62.

— legemque dedit, qui foedere certo
Et premere, et laxas sciret dare jussus habenas.

Ad בְּרִית subaudiendum primae personae suffixum, quod expressum infra VIII, 1., ubi בְּרִיתִי respondet תּוֹרָתִי. Dictio כְּאָדָם ut nomen proprium primi hominis (unde ei articulus ה non praefixus) et Job. XXXI, 33. occurrit, vid. not. ad eum loc. Alii ellipsin h. l. statuunt, qualis in comparationibus saepe occurrit, ubi nomen, quod repetendum erat, altero loco reticetur, ut vertendum sit: *transgressi sunt foedus meum, tanquam hominis* scil. foedus, i. e. non pluris faciunt pactum, quod pepigi cum eis, quam pactum cum quovis homine initum. Ita Schnurrerus in *Thesib. Philolog. Critt.* a. 1787. propositis, qui hoc ipso Hoseae Capite eandem ellipsin bis extare docet, scil. Vs. 3., ubi כְּשַׁחַר dictum sit pro כְּמֹצָא הַשַּׁחַר, et Vs. 9. חֶבֶר כֹּהֲנִים pro כְּחַכֵּי חֶבֶר כֹּהֲנִים. Eundem sensum expressit Rittershusius:

Ast ipsi aetherei violarunt foedera pacti,
Tanquam hominis, nomenque meum sprevere proterva
Perfidia.

In qua tamen explicatione negligitur שָׁם, quod certe non otiose a vate positum existimandum est, cujus vera ratio idonea constat ex interpretatione supra allata. LXX: *Αὐτοὶ δέ εἰσιν ὡς ἄνθρωπος παραβαίνων διαθήκην.* Syrus: ܘܗܢܘܢ ܐܝܟ ܒܪܢܫܐ ܥܒܪܘ ܥܠ ܩܝܡܝ *et illi ut homo transgressi sunt foedus meum.* Jejune.

8.

8. גִּלְעָד קִרְיַת פֹּעֲלֵי אָוֶן *Gilead est urbs operantium iniquitatem*, urbs, cujus incolae pessimi atque nequissimi homines, qui eadem phrasi Jesaj. XXXI, 2. Ps. V, 6. designantur. Chaldaeus: גִּלְעָד קִרְיַת אֲנוּסִין *Gilead urbs violentorum.* Alii nomine אָוֶן superstitiosum *simulacrorum cultum* indicari h. l. existimant, ut Jesaj. LXVI, 3. Amos V, 5. Habac. III, 7. Hinc Vulgatus: *Galaad civitas operantium idolum.* Quod Hieronymus ita illustrat: „Legimus (2 Reg. IX, 1. seqq.) in Ramoth Galaad unctum esse in regem Jehu, qui sanguinem sanguini miscuit, et Achab subvertit domum, et ante solis ortum acervos capitum filiorum ejus jussit statui: in hac urbe trans Jordanem in possessione tribus Gad idolum consecratum est, quae habitabatur a sacerdotibus, nam et ipsa fugitivorum civitas fuit (Cf. quae infra e Drusio afferemus). Quanto igitur celebrior et majoris auctoritatis, quia in partem sacerdotum fuerat delegata, tanto trans Jordanem habitanti Israel principium idololatriae et malorum omnium fuit, ut, qui primi peccaverant, primi ab Assyriis caperentur." Cf. 2 Reg. XV, 25. 29. Sensus profecto est perquam idoneus: Gilead, quae mearum legum observantissima esse debuerat, utpote sacerdotalis civitas, ipsa idola fingit et adorat. Sed quum Gilead nusquam alias in V. T. *urbis* sit nomen, sed *regionis*, et quidem montosae, quae Rubenitis, Gaditis, et dimidiae tribui Manassis data multisque referta urbibus erat, Num. XXXII, 1. 26. 33. Deut. III, 12. 13. Jud. X, 4.; recentiorum interpretum haud pauci et hoc loco Gileaditicam regionem intelligendam existimant. Nec tamen ii inter sese consentiunt. Alii enim גִּלְעָד nominativum absolutum, et singularem קִרְיַת per synecdochen pro plurali positum statuunt, vertuntque: *Gileaditidem quod attinet, urbes ejus sunt peccatrices;* alii ante גִּלְעָד subaudiunt vel praefixum בּ, ut sit: *in Gilead unaquaeque urbs habet incolas operantes iniquitatem*, vel כּ, sicut, quod ante cognatam literam ק omittatur, hoc sensu: *universa regio Gilead similis est urbi operatoribus iniquitatis refertae;* alii denique cum J. D. Michaele

(*Sup-*

(*Supplemm.* p. 2203.) vertunt: *Gilead eſt confluxus* ſ. *colluvies maleficorum,* collato Arabico قرو, quod peculiariter de fluente et confluente aqua dicitur, unde قَرِيَّةُ الماءِ, *confluxus aquae* in Amralkaiſi Moallaka a Lettio edita p. 48. Ipſe tamen Michaelis l. c. fatetur, et conſuetae ſignificationi nominis קִרְיַת poſſe locum eſſe, ſi גִּלְעָד non regionem Gileaditidem interpreteris, ſed urbem regionis primariam Mizpam. „Sic quidem Jud. XII, 7. (בְּעִירוֹ גִּלְעָד legentes) accepiſſe videntur LXX et Vulgatus: ἐτάφη (Jephta) ἐν πόλει αὐτοῦ Γαλαάδ, *ſepultus eſt in civitate ſua Galaad.* Saepe metropolis apud Orientales, Arabes maxime, nomen regionis ſibi adſciſcit.“ Atque hanc quidem rationem ceteris, quibus Gilead h. l. pro nomine regionis accipitur, haud dubitamus praeferendam. Urbem eſſe heic intelligendam et Drusius vidit, cujus nota digna videtur, quae adſcribatur. „Quid? an Gilead nomen civitatis? Arbitrantur interpretes, fuiſſe unam ex aſylis terrae ſanctae. Id probant ex Joſ. XX, 8. Sed ibi offendi *Ramoth in Gilead,* quae civitas erat refugii a Levitis habitata in Galaad regione. Fuit tempus, cum ſuſpicarer, Galaad dici compendio quodam ſermonis pro *Ramath Gilead,* quemadmodum *Aven* dicimus pro *Beth-Aven* (Eadem Hieronymi erat ſententia; vid. ſupra). Poſtea coepit haec ſuſpicio mihi diſplicere, nec injuria: nam non temere hujusmodi ellipſis admittenda eſt. Igitur alii legunt: *in Galaad urbs erat,* i. e. בְּגִלְעָד. Sed ſciendum (Euſebius mihi auctor) in tractu montis Galaad *urbem* fuiſſe ejus nominis, ſic appellatam a monte cognomine, vel a Galaad, Machir filio. Verba Euſebii ſunt: „„*Galaad mons,* ad quem ſeptimo die profectionis e Charris Jacob profugus venit. Eſt autem a tergo Phoenices et Arabiae, collibus Libani copulatus, extenditurque per deſertum usque ad eum locum, ubi trans Jordanem habitavit olim rex Sihon Amoritarum. Cecidit ſupradictus mons in ſortem filiorum Ruben. Sed et Jeremias loquitur: *Galaad, tu mihi initium Libani.* A quo monte

et

et *civitas* in eo condita fortita eft vocabulum, quam et cepit de Amorrhaeorum manu Galaad, filius Machir, filii Manaffe.““ Plus difficultatis in explicanda dictione עֲקֻבָּה מִדָּם. LXX: ταράσσουσα ὕδωρ. Videntur עֲקֻבָּה interpretati effe *calce* f. *calcaneo trita*, fcil. aqua (ea tamen Hebraeis in plurali tantum מַיִם dicta) ab עָקֵב, *calx*. Ad idem nomen noftram vocem retulit Hieronymus, qui vertit: *fupplantata fanguine*, i. e. ob caedes ab incolis frequenter perpetratas everfa. Chaldaeus: בְּנִכְלִין אָשְׁדִין דַּם זַכַּי *cum dolis*, dolofe, *effundunt fanguinem innocuum*. Id fequuntur Hebraei magno confenfu et *fraudis* notionem vocis עֲקֻבָּה e Genef. XXVII, 36. vindicant, ubi Efavus: *nae ille merito Jacobus* (יַעֲקֹב) *nominatur, qui me jam bis fupplantaverit* (וַיַּעְקְבֵנִי). „Hinc,“ ait Kimchi, „Jerem. XVII, 9. עָקֹב הַלֵּב *fraudulentum eft cor*, et 2 Reg. X, 19. וְיֵהוּא עָשָׂה בְעָקְבָּה, *fecitque Jehu per aftum*. Hoc Hofeae loco ponitur Adjectivum femininum, cujus masculinum עָקֹב, plane uti ex אָדוֹם, *rufus*, eft אֲדֻמָּה. Significatio ejus *dolus* et *callida oppreffio*. Eandem expofitionem tradunt prisci piae memoriae, ajuntque dici urbem Gilead *oppreffam fanguine*, quod incolae ejus dolos aftute machinarentur, ut e medio fic alios tollere poffent, quafi diceret propheta, eos per fraudem aliis impofuiffe.“ Etfi vero non plane hoc incommodum fit, videtur tamen repugnare conftructioni, et, fi is fenfus foret, dicturum fuiffe prophetam credibile eft עֲקֻבָּה לְדָם *fraudulenta ad fanguinem*. Id alio loco priscis Magiftrorum Hebraeorum obfervatum, notante in *Etymologico* (ספר שרשים) Kimchio. „Alio loco,“ ait, „expofuere iidem prisci dictionem עֲקוּבָּה מִדָּם *confpurcatam fanguine* multo, quem in ea civitate profundebant. Sic in Talmud Hierofolymitano legitur: אם יש בה עקיבת יין אסור *fi fuerit in ea confpurcata vino, prohibetur*. Ubi vocis עקיבת notionem repetunt ex Hof. VI, 8. עֲקֻבָּה מִדָּם, *confpurcata fanguine*.“ Ita Syrus: ܘܡܦܠܦܠܐ ܒܕܡܐ *et confperfa*, foedata, *fanguine*. Sane quum עֲקֵבוֹת *veftigia* notet (vid. Pf. LXXVII,

20.

20. LXXXIX, 52.), posset עֲקֻבָּה proprie esse *vestigiata*, i. e. vestigiis (sanguinis vinive) notata, maculata. Grotius: „*Supplantata sanguine*, id est, in omni solo impressa habens cordis vestigia; plurimi enim ibi homicidae." Hinc Rittershusius:

— Gileaditarum urbs plena patrantum est
Pessima quaeque; ubi quis vestigia sanguinolenta
Per plateas figi passim ac per compita cernat.

Et Coccejus עָקֹב exponit *lacunosus*, lacunas habens, ut a vestigiis hominum et animalium viae limosae, quum indurnerint; et עֲקֻבָּה מִדָּם *lacunosa a sanguine*, i. e. calcata a sanguine, vestigia habens a sanguine. Sic Babylon urbs Zephan. I, 3. נִגְאָלָה *polluta* vocatur, et Thren. IV, 14. superstites cives Hierosolymitani נְגֹאֲלוּ בַּדָּם, *conspurcati sunt sanguine.* Gussetius (sub voce עָקַב Lit. K.) nostrum עֲקֻבָּה ad עָקוֹב, *dolosum*, et עָקְבָה, *fraus*, accedere arbitratur. „Video autem," inquit, „nomen עֲבֻדָּה, *famulitium*, hac forma denotare copiam rerum primitivo nomine עֶבֶד significatarum; item אֲלֻמָּה et סְגֻלָּה, *manipulus et thesaurus*, sub eadem forma significant congeriem confertam; adeo ut forma illa congeriei confertae denotandae apta nata sit. Itaque Hos. VI, 8. dicetur civitas illa esse *congeries conferta fraudum*, et additum fuerit מִדָּם, ut materia, de qua in illis fraudibus agitur, indicetur. Duobus verbis duo illa verba reddere licet *fraudificium sanguineum.*" Ceterum plures interpretes hoc Versu vatem respicere putant caedem Pecajae, quem Pecachus, filius Remaljae, Gileaditis adjutus, Samariae in palatio regio interfecit, 2 Reg. XV, 25. Quae caedes, Gileaditarum ope a Pecacho peracta, rationem involvat, cur Gileaditarum prima et expressa mentio fiat.

9. וּכְחַכֵּי אִישׁ גְּדוּדִים חֶבֶר כֹּהֲנִים *Et sicut praestolantes aliquem turmae*, ita *sodalitium* est *sacerdotum*, i. e. sodalitium sacerdotum simile est turmae latronum, qui speculatim sedent, et vident, unde aliquis veniat, quem spoliare operae pretium sit. Verba priora וּכְחַכֵּי אִישׁ גְּדוּדִים ad

verbum ſonant: *et ſecundum exſpectare*, i. e. ſicut exſpectant *virum turmae*, ſcil. latronum, praedonum. Alii: *ſicut exſpectat vir*, aliquis, *turmas* latronum, i. e. ſi quis auxilii quidquam exſpectat ſperatque a ſodalitio ſacerdotum, et in eo fiduciam ponit, idem eſt, ac ſi confidat turmis praedonum; decipitur turpiſſime. Et banc quidem expoſitionem commendat Chaldaei auctoritas: וּכְמָא דִי מְסַבַּר אֱנָשׁ לְמִשְׁרְיָן אִתְחַבָּרוּ אִנּוּן וְכָהֲנֵיהוֹן *quemadmodum exſpectat quis turmas* (latronum), ita *conſociati* ſunt *illi et ſacerdotes*. Prior interpretatio tamen videtur praeferenda. חַכֵּי Infinitivus Pihel chaldaizans (formae קַוֵּה, *exſpectare*, Jerem. VIII, 15., עַנֵּה, *affligere*, Exod. XXII, 22.), pro חַכֵּה mutato *He* in *Jod*, ut רֹעִי Jeſaj. XXXVIII, 12. pro רֹעֶה, *paſtoris*, וַתִּזְנִי, *et ſcortata eſt*, Jerem. III, 6., pro וַתִּזְנֶה. Sunt etiam codices, etſi pauci, in quibus forma regularis וכחכה reperitur. Cf. N. G. Schroederi *Inſtitutt. ad fundamenta Ling. Hebr.* Reg. LXXXII. a. et Storrii *Obſervatt* p. 176. Sed Bosseckio in Notis ad H. B. Starkii *Lux Grammat. Hebr.* p. 498. חַכֵּי poſitum videtur pro מְחַכֵּי (Participium Piel, in quo nota מ aliquando deficit, ut שַׁבֵּחַ אֲנִי, *laudans ego*, Eccl. IV, 2. מָאֵן אַתָּה *renuens es*, Exod. VII, 27. IX, 2, X, 4. al.), ut vertendum ſit: *et ſicut exſpectantes virum turmae*, i. e. ſicut turmae latronum inſidiantur viatori, ita eſt ſocietas ſacerdotum; quod convenit cum ea interpretatione, quam ſupra initio attulimus. In alia omnia abeunt LXX: *καὶ ἡ ἰσχύς σου ἀνδρὸς πειράτου· ἔκρυψεν ἱερεῖς ὁδὸν Κυρίου.* Pro וּכְחַכֵּי apparet illos וּכְחֵכִי enuntiaſſe, nomen כֹּחַ cum ſuffixo feminino. Ita et Syrus: ܚܝܠܟܝ ܐܝܟ ܕܓܒܪܐ ܓܝܣܐ ܐܫܬܘܬܦܘ ܟܗܢܐ *robur tuum tanquam* robur *viri latronis; participes fiebant ſacerdotes.* Hieronymus: *et quaſi fauces* (quod וּכְחַכֵּי eſſet) *virorum latronum*, „ſive," addit, „*viri latronis*, utrumque enim legi poteſt." Quod in Commentario ſic exponit: „Quoniam ipſa provincia plena eſt latrociniorum, comparat eos latronibus, ut quomodo illi viatoribus, ſic ſacerdotes ſimplicitati populi inſidiati ſunt."

ſunt." J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 741. a חַכָּה, *hamus* (Jeſ. XIX, 8. Habac. I, 15. Job. XL, 25.), formatum exiſtimans pluralem maſculina, ut perſaepe, terminatione, חַכִּים, et *hamis* pro *muricibus* poſitis, noſtrorum verborum ſenſum arbitratur hunc eſſe: *ut murices viri turmarum*, i. e. piratae, *fraudes ſunt ſacerdotum* (quod in verſione teutonica ſic expreſſit: *wie der Fuſsangel, den der Räuber legt, ſo iſt die Zäuberey der Prieſter*). Pro *hamis* cepit חַכֵּי h. l. et interpres Arabicus ineditus (Saadias, uti probabile eſt) ab Ed. Pocockio ſaepius laudatus, qui noſtra verba ſic reddidit: ومثل شصوص الصياد على الشطوط كذاك جميع الايمة يقتلون الناس *et ſicut hami piscatores ad ripam, ita omnes ſacerdotes interficiunt homines.* גְּדוּדִים hic idem quod גִּדוֹת *ripas*, Joſ. III, 15. denotare putavit. Quod tamen parum veriſimile. Nec ſenſus ſatis concinnus. דֶּרֶךְ In *via*, בְּאוֹרְחָא, ut Chaldaeus recte, ſubaudienda praepoſitio בּ, ut Joſ. X, 10. Jud. VIII, 11. יְרַצְּחוּ *Occidunt*, caedes committunt, IV, 2. Pſ. XCIV, 6. Jeſ. I, 21. Chaldaeus: קָטְלִין נַפְשָׁן *occidunt animas.* שֶׁכְמָה num ſit ſumendum pro appellativo, vel pro nomine proprio urbis Sichem cum He locali, interpretes diſſentiunt. Qui appellativum exiſtimant, Chaldaeo praeeunte, qui כְּתַף חַד vertit, poſitum cenſent pro שְׁכֶם אֶחָד, *humero uno*, Zephan. III, 9., metaphora a bajulis deſumta, commune onus humeris ſuis portantibus, i. e. invicem ſibi ſuccurrentes, hoc ſenſu: ſociatis in malum conſiliis caedes committunt. Ita et Arabicus interpres antea laudatus: كتف بجنب كتف *humeri ad latus humeri.* Nusquam alias tamen שְׁכֶם abſolute poſitum concordantiam et mutuum auxilium deſignat; ut minus dici illud queat de שֶׁכְמָה, ubi ה ſigno eſt, de loco vocem capiendam eſſe. Nec poterit Zephaniae phraſis, de ferendo onere cultus divini uſurpata, commode huic loco aptari. Praeſtat igitur, urbem Sichem (שְׁכֶם, Gen. XII, 6. Joſ. XX, 7. Pſ. LX, 8.) intelligere, ut vertendum ſit: *Sichemum verſus.* Videtur jus aſyli hic ſpectari, quo ex conſtitutione

Dei Num. XXXV, 9. Sichemum reſugio erat committenti homicidium fortuito caſu, ſicut et ipſa haec civitas in portionem ſacerdotibus fuit aſſignata, Joſ. XXI, 21. Quare emicat clarius Iſraelitarum, ſacerdotum maxime, in latrociniis ſcelus, quod et refugium homicidis datum, et ſacrum quodammodo ſacerdotum habitationi, caedibus inſontium perfunderent. Gussetius *Commentar. Ling. Hebr.* ſub voce שְׁכֶם lit. B. „Nota ה tendentiae, quod raro aliter ſumitur, quam in reſpectu ad locum: convenit Sichem eatenus. Praeterea res expedita eſt: Sichem ſcilicet urbs fuit ſacerdotum, urbs refugii, et urbs Ephraimitica. Queritur ergo, quod in Ephraim ſacerdotes principes eſſent homicidiorum, et ſontes in urbes refugii admitterent contra Dei inſtitutionem, puta, ſocios ſuos protegentes. Unde et ſecuritas reddebat homicidas audaciores in viis Sichemam ducentibus, adeoque frequentiores. Verti debet igitur: *occidunt in via, quae Sichemam verſus*; vel, *via* in qua *occidunt*, eſt *Sichemam verſus*. Suppletur enim אֲשֶׁר vel poſt primam, vel, poſt ſecundam dictionem. — Ceterum ſi שְׁכֶמָה punctuatio ſuſpecta ſit anomaliae, hoc incertum eſt, et utique leve, nec poteſt dicta labefactare.“ Dathius: „Videntur ſacerdotes illo tempore abuſi eſſe ſuis privilegiis et jure aſyli, ut vel ipſi caedes patrarent, vel ab aliis commiſſas occultarent.“ Pro nomine proprio שְׁכֶמָה jam LXX habuerunt; nam verterunt: ἐφόνευσαν Σίκιμα, quod et Syrus ſequutus eſt. Nec non Hieronymus, qui tamen voces חֶבֶר כֹּהֲנִים contra accentus cum דֶּרֶךְ וגו' conjungit, et locum ſic reddit: *particeps ſacerdotum in via interficientium pergentes de Sichem.* Ad quae in Commentario: „Symmachus hunc locum ita interpretatus eſt: *ſocietas ſacerdotum in via interficiebant Sichem.* Theodotion hoc modo: *absconderunt ſacerdotes viam, interficiebant in dorſo.* Aquila: *participatio ſacerdotum, in via occidebant humeros.* Quorum quum intelligentiam juxta hiſtoriam quaereremus ab Hebraeo, ita nobis expoſitum eſt: ſacerdotes Bethel, imo fanatici Bethaven temporibus Paſchae, et Pentecoſtes, et Scenopegiae, quando

per

per Sichem, quae hodie Neapolis appellatur, eundum erat Jeroſolymam, ubi ſolum licebat victimas immolare, ponebant in itinere latrones, qui inſidiarentur pergentibus, ut magis vitulos aureos in Dan et Bethaven, quam in Jeroſolymis et in templo adorarent Deum (Cf. ſupra ad V, 1.). Quod autem dicit: *participatio et ſocietas ſacerdotum,* conjurationem eorum ſignificat et in malam partem conſenſum. Sin autem legerimus, ut nos interpretati ſumus: *particeps ſacerdotum,* ad Galaad, inquit, referendum eſt, quae operatur idolum, et ſupplantata eſt ſanguine, quod ſacerdotum impietatem ſequuta ſit, et latrociniis vacet et ſanguini." כִּי זִמָּה עָשׂוּ *Nam ſcelus perpetrant,* ſceleratiſſimi ſunt. זִמָּה *ſcelus,* quod quis data opera et deliberata voluntate perpetrat, notare conſtat, unde Chaldaeus h. l. (ut Onkelos Levit. XVIII, 17.) vertit: אֲרֵי עֵצַת חַטָּאִין עֲבַדוּ, *nam conſilium peccatorum faciunt.* En Rittershuſianam hujus Verſus paraphraſin:

Ipſa ſacerdotum ſed enim collegia, vulgum
Quorum erat officium errantem ad meliora vocare
Non minus exemplo vitae, quam flumine linguae,
Inſtar latronum ſubſeſſorumque viarum
Qua Sichemum iter eſt, illac ſi forte viator
Transeat, obſervant, ipſum vitaque bonisque
Orbantes, et caede manus temerare profanas.
Religio nulla eſt ipſis, quia caeca libido
Quicquid ſuggeſſit, minime hoc patrare verentur.

10. בְּבֵית יִשְׂרָאֵל רָאִיתִי שַׁעֲרוּרִיָּה *In domo Iſraelis,* ſ. regno decem tribuum (I, 6. V, 1.) *video horrendum,* LXX *Φρικώδη,* Syrus ܬܗܪܐ, *rem ſtupendam.* שַׁעֲרוּרִיָּה, ſive, ut in textu exſtat, שַׁעֲרִירִיָּה a שָׁעַר i. q. שָׂעַר *horruit* eſt quicquid videnti vel audienti ingentem horrorem incutit (vim auctam ſignificationis prodit ultima radicalis geminata; idem eſt שַׁעֲרוּרָה Jerem. V, 30. XVIII, 13.). שָׁם זְנוּת לְאֶפְרַיִם *Ibi,* in domo Iſraelis, *ſcortatio* eſt *Ephraimo,* intelligitur idololatria, quam Ephraimi dicit, quia Jeroboam, qui eam

eam inſtituit, de tribu Ephraim fuit. Eadem leguntur ſupra V, 3. נִטְמָא יִשְׂרָאֵל Et ſcortatione iſta *pollutus* eſt ſ. *polluitur* totus Iſrael. Grotius ſic interpretatur: „*Fornicatione Ephraim*, i. e. Jeroboami, qui ex ea erat tribu, *contaminatus eſt Iſrael*, i. e. decem tribus. Nam Jeroboam primus exemplum dedit cultus vitulorum, qui mirum quam ſubito in tot hominum millia fluxerit.“ Chaldaica hujus Verſus explicatio haec eſt: *In domo Iſraelis vidi ſtupendum quid: mutarunt foedus, quod cum iis pepigi, ut non ſimulacra colerent; converſi ſunt ut errarent poſt vitulos in Bethel; aberraverunt ibi Ephraimitae, contaminati ſunt Iſraelitae.* Hieronymus: „De hoc ſcelere et horrore terribili eſt Jeremias loquutus (II, 12.): *Obſtupuit coelum ſuper hoc, et exhorruit terra vehementer.* Quid enim horribilius, quam decem tribus ad idolorum cultum repente transgreſſas? Unde ad metropolim earum dicitur: Aufer vitulum tuum, Samaria, in qua primus fornicatus eſt Ephraim, id eſt, Jeroboam de tribu Ephraim, et illo fornicante contaminatus Iſrael eſt, populus videlicet Samariae, qui magna ex parte commune Iſraelis nomen obtinuit.“

11. In verbis גַּם־יְהוּדָה שָׁת קָצִיר לָךְ exponendis veteres et recentiores inter ſe discrepant. LXX, qui voces גַּם־יְהוּדָה ad Verſum ſuperiorem trahunt (*ἐμιάνθη Ἰσραὴλ καὶ Ἰούδας*), reliquas ita reddunt: *ἄρχου τρυγᾶν σεαυτῷ.* Cepit קָצִיר, quod *meſſem* notare ſolet, de *vindemia.* Nec aliter Syrus: ܘܐܦ ܝܗܘܕܐ ܥܒܶܕ ܠܟ ܡܥܨܪܬܐ *et etiam Juda fac tibi vindemiam*, vel potius *torcular*, vel: *exprime uvas*, uti, notante Ed. Pocockio, haec verba Syriaca exponunt Lexicographi Bar Ali et Bar Bahlul. Addit Pocockius, ſi pro ܥܒܶܕ enuntietur ܥܒܰܕ Praeteritum, et *Juda* ut Nominativus capiatur, ſenſum hunc fore: *et Juda quoque fecit*, praeparavit *tibi vindemiam*, vel, *torcular.* Hieronymus: *Sed et, Juda, pone meſſem tibi*, quod in Commentario ſic explicat: „Non te putes eſſe ſecurum, quod Iſrael captivus abducitur; tu quoque praepara tibi ſegetes, ut metantur;

non

non multo enim poſt tempore duceris captivus in Babylonem, et meſſionis tuae tempus adveniet.“ Chaldaeus: אַף דְּבֵית יְהוּדָה שְׁרִיאוּ לְאַסְגָּאָה חוֹבֵיהוֹן אַף לְהוֹן יִמְטֵי חוֹבִין *etiam qui de dome Juda ſunt, coeperunt multiplicare peccata ſua, etiam ad eos pertinget reatus.* Videtur et is קָצִיר intellexiſſe de meſſe malorum, quae Juda ſibi conflavit peccatis ſuis. Id ſequuntur plerique recentiorum interpretum, qui per meſſem intelligunt ſementem idololatriae ab Iſraelitis traductam in tribum Judae, cujus poenas Judaei poſtea meſſuerint. Habent fere יְהוּדָה pro Vocativo, et שָׁת impersonaliter ſumunt: *ponit* ſcil. *ponens*, i. e. ponitur, vertuntque: *tibi quoque, Juda, parata eſt meſſis*, reſpicique exiſtimant cladem Judaeis ab Iſraelitis illatam, cujus ſit mentio 2 Chron. XXVIII, 8., cum mera verbi ſui virtute abductos jam captivos Judaeos per Odedum Iſraelitarum crudelitati et ſervituti Deus ſubtraheret. Comparent laudato Chronicorum loco Vs. 10. verba, iis quae noſtro loco leguntur, בְּשׁוּבִי שְׁבוּת עַמִּי, *cum verterem captivitatem populi mei*, quam ſimillima. Sic enim ait Odedus, vates, perſuaſurus Iſraelitis, ut captivos Judaeos dimitterent, Vs. 11.: הָשִׁיבוּ הַשִּׁבְיָה, *faciatis reverti captivam turbam, quam e fratribus veſtris abduxiſtis.* Ex hac interpretatione hujus Verſus ſenſum expreſſit Rittershuſius:

Te quoque, Juda meus, ſceleris contagia traxe,
Atque in te Ephraimum ſparſiſſe ea ſemina cerno,
Unde ſeges ſcelerum ad meſſem tibi pullulet albam,
Quando reducta mihi populi captiva caterva,
Belli jure ſuum victor quem fecerat hoſtis.

Nos antehac hunc Verſum ſic interpretati ſumus: ***Etiam Juda*** abs te ſeductus, atque ad turpes ſuperſtitiones pellectus, *reponit tibi meſſem* poenarum, i. e. reum te aget, ſuorumque peccatorum poenas a te repetendas poſcet, *cum reduxero captivitatem populi mei*, i. e. cum rempublicam Hebraeam collapſam reſtituero (qua de re haec phraſis Jer. XXXI, 23. Zephan. III, 20. Pſ. XIV, 7. CXXVI, 1. uſurpatur), quo tempore Deus ſevero judicio malos ſecernet ab

iis,

iis, qui digni futuri ſint novae reipublicae cives, cf. Ezech. XXXIV, 17. 18. XXXVI, 23 — 27. Quae tamen interpretatio nunc minus facilis et concinna nobis videtur. Malumus cum Dathio totum Verſum ſic reddere: *Tibi quoque, o Juda, meſſis malorum parata eſt, eo ipſo tempore, quo bene tibi facere cogitabam.* Tertia perſona שָׁת imperſonaliter poſita eſt (ut Pſ. XLIX, 15. שַׁתּוּ). *Meſſis* h. l. ſenſu deteriori uſurpatur de poenis divinis, quibus mali demetuntur, ut Joel IV, 13. Jerem. LI, 33. Phraſis *vertère calamitatem* tropice dicitur de omni mutatione in melius, ut Job. XLII, 10. בְּשׁוּבִי vero valet *dum in eo fuerim ut converterem,* dum convertere cogitavi. Senſus hic eſt: quo tempore tuam conditionem in melius mutare cogitabam, illa tua cum Iſraelitis peſſimis ſuperſtitionibus deditis ſocietas hoc impedivit, novamque malorum ſegetem tibi paravit. Sunt, qui poſterius Verſus hemiſtichium a priori ſeparandum, et ad Capitis proximi initium trahendum exiſtiment. Ita praeter alios J. D. Michaelis, neſcius, uti videtur, in eandem cogitationem jam R. Tanchum incidiſſe, qui prius hemiſtichium ſic interpretatur: *Juda quoque meſſem poſuit tibi,* o Deus! meſſem tibi paravit a te reſecandam, i. e. maturuit ad ſupplicia ab ipſis ſumenda; cf. Joel IV, 13. (al. III, 13.). Sed quae ſequuntur verba, בְּשׁוּבִי שְׁבוּת עַמִּי quam parum apte trahantur ad Capitis proximi initium, non eſt quod moneamus, quum cuique legenti ſponte pateat.

Cap. VII.

ARGUMENTUM.

Conqueritur de extrema populi Iſraelitici pravitate, qua omnes ordines ſint infecti. Et primo quidem acriter regis procerumque corruptiſſimos mores perſtringit (Vs. 1—8.). Deinde reliquum populum ſtuporis atque inſipientiae damnat, qui neque poſt canos et rugas miſerum ſuum ſtatum agnoſcat, et in eo non minus inſipienter quam obſtinato perſeveret (9—11.). Quare graves proponit minas, et eorum peccata magis exaggerat, quod quae a Deo recepiſſent beneficia, illa in auctoris ignominiam perfidioſe converterint (12—16.).

Quae hoc Capite leguntur et iis, quae proxime ſequuntur, usque ad finem libri, edita eſſe ſub ultima Hoſeae, regis Iſraelitarum, tempora, et ſub initiis regni Hiskiae, colligit Lightfoot in *Chronolog. V. T.* p. 105. (*Opp.* T. I.) ex hisce obſervationibus: „Primo," inquit, „communis et perpetuus ſermo, quem in illis habet propheta ad *Ephraimum,* oſtendit, haec adnunciata fuiſſe decem tribubus, antequam abductae fuerunt in captivitatem, quae jam futura erat intra quadriennium. Deinde, dicta haec fuiſſe, poſtquam Hoſeas rex ab Aſſyrio defeciſſet, et foedus cum Aegypto junxiſſet, cujus mentio ſit 2 Reg. XVII, 4. Obſerva enim, quomodo VII, 11. et XII, 2. tale quid innuatur. Denique prolata haec eſſe, poſt expeditionem Salmanaſaris primam (2 Reg. XVII, 3.), qua defluxit Arbelitida (Hoſ. X, 14.), et ante expeditionem ejus ſecundam, quando Bethelem erat deſtructurus."

1. Loquens inducitur Deus, qui et suam in monendo populo benignitatem, et populi invictam pertinaciam testatur. כְּרָפְאִי לְיִשְׂרָאֵל *Dum sanarem Israel,* dum in eo essem, ut admonitionibus ad frugem revocarem Israelem, et sic pristinae restituerem felicitati. Cf. V, 13. infra XI, 3. Jerem. XVII, 14. De *admonitionibus* verbum רָפָא et Jerem. LI, 9. dicitur. Alii: quoties sanare institui Israelem. Chaldaeus: בְּמִתְבְּעֵי חוֹבֵי יִשְׂרָאֵל, *cum quaererem peccata Israelis.* וְנִגְלָה עֲוֹן אֶפְרַיִם *Tum* magis etiam *prodidit se impietas Ephraimi,* praecipuae tribus, V, 13. וְרָעוֹת שֹׁמְרוֹן *Et malitia Samariae,* ubi aula regis; XIV, 1. Aben-Esra: quoniam dixerant (VI, 1.): *qui nos discerpsit, idem et nos sanabit,* ait jam: quando mihi lubet ut eos curem, prostat coram me eorum impietas, quam cordibus reconditam tenent, ac manifesta produnt indicia, necdum eos suae nequitiae valedixisse." Quod probat scelerum gravissimorum, quae hunc populum infecerant, enumeratione: omnia plena sunt fraudibus et rapinis. כִּי פָעֲלוּ שָׁקֶר *Nam faciunt mendacium,* fraudem; nihil est in illis sinceri; fraudibus nectendis intenti sunt. Cf. Jerem. VI, 13. VIII, 10. וְגַנָּב יָבוֹא *Et fur* clanculum *venit,* ingreditur domos, Joel II, 9. Chaldaeus: וּבְלֵילְיָא בְּבָתַּיָא גַּנְבִין, *ac de nocte in domibus furta committunt.* פָּשַׁט גְּדוּד בַּחוּץ *Effundit se,* irruit (ut Jud. IX, 33. 1 Sam. XXVII, 8. XXX, 14. 1 Chron. XIV, 13.) *turma* praedonum (VI, 9.) *foris,* in agris, Ezech. VII, 15. Chaldaeus: וּבְמַדְבְּרָא בִּימָמָא קַפְחִין *et in deserto interdiu latrocinantur.* „Verbis גַּנָּב יָבוֹא apertissimum est reprehendi furta, quae privatim committerentur in aedibus: בוא enim saepe significat, *intrare, introire,* ut apud Graecos *εἰσέρχεσθαι,* ita ut loci vocabulum reperiri aliunde debeat, veluti hic בַּבָּתִּים e nomine בַּחוּץ: sed verba פָּשַׁט גְּדוּד בַּחוּץ, referri ad grassationes debere, quae in vicis fierent et plateis urbium, ita ut גְּדוּד sint ipsi *grassatores,* בַּחוּץ *in publico,* et פָּשַׁט *diripere vestes, spoliare vestibus,* quippe quod a grassatoribus fieri constat. Nemo autem melius vidit haec omnia, nemo hunc locum elegantius interpretatus est, quam Ver-

Verſionis quintae auctor, qui eum ſic vertit: *κλέπτης μὲν ἔνδον, λωποδύτης δὲ λῃστεύει τὰ ἔξω.* Λωποδύτης enim eſt *graſſator*, et graſſatores furibus parietumque perfoſſoribus ſocii dantur ab Xenophonte (v. c. *Memorabb.* I, 2. 62.) aliisque ſcriptoribus Atticis ſaepe (ut Ariſtoph. Plut. 165.).“ Haec J. F. Fischer in *Proluſſ. de Verſionibus Graecis Libror. V. T. Litterarum Hebraicar. magiſtris* p. 133. Rittershuſius:

Iſraeligenis dum tento adhibere medelam,
Ephraimitarum hoc ipſo ſcelerata patescunt
Facta, revelanturque ſimul Samaritica probra.
Omnibus ex aequo ſic ſunt mendacia cordi.
Fur intus, latroque foris ſpoliatque rapitque.

Hieronymus: „Multa ſaepe Iſrael idololatriae accepit vulnera, et maxime illud, quando in eremo vituli conflaverunt caput, atque dixerunt (Exod. XXXII, 4.): *Iſti ſunt Dii tui, Iſrael, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Unde ego, qui malo poenitentiam peccatoris, quam mortem, et poſtea loquor in Evangelio (Luc. V, 31.): *Non indigent ſani medico, ſed hi qui male habent*, vulnera populi mei ſanare conatus ſum. Et quum haec omni arte tractarem, ut miſerabilis populus curaretur, ſubito exſtitit Jeroboam de tribu Ephraim, qui vitulos aureos faceret, et malitia Samariae revelata eſt, ſequentis regem impium; operati ſunt enim et rex et populus mendacium, hoc eſt, idolum. Sicut enim contrarium eſt ſimulacrum Deo, ita mendacium veritati. Ipſe autem rex inſtar furis ingreſſus eſt ad populum Iſrael et quaſi latrunculus infelicem plebem Dei exſpoliavit auxilio. Et eſt ſenſus: quum vellem vetera populi mei peccata delere, propter antiquam idololatriam, Ephraim et Samaria nova idola repererunt.“

2. וּבַל־יֹאמְרוּ לִלְבָבָם כָּל־רָעָתָם זָכָרְתִּי *Nec dicunt cordi ſuo, quod omnis malitiae eorum memor ſim*, non cogitant ſuis animis, me omnia ſua ſcelera meminiſſe. Recte Chaldaeus: וְלָא מְחַשְּׁבִין בְּלִבְּהוֹן דְּכָל בִּישְׁתְהוֹן גְּלַיִן קֳדָמַי *nec cogitant*

cogitant in animis ſuis, quod omnia maleſacta eorum coram me pateſacta ſunt. Ad זָכַרְתִּי appoſite Druſius: „Si ***recordatur,*** ergo punit ſuo tempore. Nam quae impune abeunt, eorum ***non recordari***, h. e. obliviſci dicitur. Qui hanc opinionem de Deo habent, eos non pudet quaelibet flagitia committere. Nam poena homines a peccando deterret, contra impunitas eis calcar addit ad quilibet audendum." Pro לִלְבָבָם in pluribus codicibus a Kennicotto et de-Roſſio enumeratis legitur בִּלְבָבָם. „Nec eſt," inquit Aurivillius *Diſſertatt.* p. 615., „ſive Hebraeis infrequens locutio אָמַר בְּלִבּוֹ, ſive Arabibus قَالَ فِي قَلْبِهِ et قَالَ فِي نَفْسِهِ, ***dicere in corde ſuo, cogitare apud animum.*** Quin imo, לְבָב aut לֵב junctum verbo אָמַר intercedente ל alibi in Hebraeo textu Biblico non occurrit. Veruntamen quia minutula utramque inter lectionem diſſimilitudo ſenſum haud valde tangit, et Hebraeae linguae arctior hodie cognitio non permittit, ut ſoloecum illico pronuncietur τὸ לִלְבָבָם, quod Alexandrinus et Aquila in dativo caſu verterunt *τῇ καρδίᾳ, ταῖς καρδίαις αὐτῶν*, mihi quidem vulgaris lectio nondum videatur rejicienda." Verba quae ſequuntur, עַתָּה סְבָבוּם מַעַלְלֵיהֶם, ***nunc cingunt eos opera ſua,*** nonnulli interpretantur de criminum in Iſraele evidentia; prout evidens manifeſtumque circa hominem eſt, quo quis ceu ſtola et indumento exteriore fuerit cinctus, vel etiam ceu ſatellitum caterva. Nec diſſitendum, ex ultimis Verſus hujus dictionibus, נֶגֶד פָּנַי הָיוּ, ***coram vultu meo poſita ſunt,*** ſumi poſſe, quod huic interpretationi ſit patrocinium. Cf. Pſ. XC, 8. שַׁתָּ עֲוֹנֹתֵינוּ לְנֶגְדֶּךָ, ***poſuiſti peccata noſtra coram te,*** cf. not. ad eum loc. Ex ea ſenſum ita Ritterhuſius expreſſit:

Nec tamen advertunt pravis me attendere factis.
Sed quaecunque patrant paſſim fanda atque neſanda,
Stipati quaſi criminibus, ſunt omnia vultus
Ante meos, oculum neque fallunt omnituentem.

Atta-

Attamen quum *cingendi* verbum alias saepissime de angoribus usurpetur, qui constrictos undique miseros homines tenent (e. c. Ps. XVII, 11. XVIII, 6. XXII, 17.), ego cum aliis interpretum censeo, esse hic עבר במקום עתיד, *Praeteritum gerens vicem Futuri* (ut est in Commentario qui inscribitur *Michlal Jophi*), quo denunciatur, fore tandem, imo brevi, ob impudentissimam populi in malis actionibus pervicaciam, ut undique cingant eum sua tam probrosa facta, seu potius immittendi ob ea angores et supplicia, quasi totidem lictores. Similiter Jeremias Thren. II, 22. Deum dicit advocare מְגוּרֵי הָעָם הַזֶּה מִסָּבִיב *angustias hujus populi undique.* Haec vero quam certo, quam cito eos pressura essent mala ostendit, dum dicit: *coram facie mea sunt.* Quasi jam mandatum dedisset ministris suis, et vocasset ad iram suam heroes suos, Jes. XIII, 3. Sicut paratissimi in obsequium ministri, venti irae divinae dicuntur sistere se domino universae terrae Zachar. VI, 5., cf. Apoc. IX, 15. Sin vero quis a *cinctura vestium* praeoptaverit illud *circumdandi* verbum exponi, idem quoque sensus, de ingruentibus in populi oppressionem malis, poterit retineri. Ita Ps. CIX, 18. 19. impius dicitur *induere maledictionem veluti tunicam suam* (וַיִּלְבַּשׁ קְלָלָה כְּמַדּוֹ), *ut sit ipsi instar vestis, qua circumtegatur* (תְּהִי־לוֹ כְּבֶגֶד יַעְטֶה). Cf. Jesaj. L, 11. Drusius ad verba עַתָּה סְבָבוּם haec notat: „*Nunc circumdant eos, ut qui urbem aliquam corona cingunt et obsident undique, ne quis elabi possit.* Sic ait Prov. V, 22. *Iniquitates suae capiunt ipsum improbum, et funibus peccati sui constringitur.* Hieronymus hunc Versum sic vertit: *Et ne forte dicant in cordibus suis, omnis malitiae eorum me recordatum; nunc circumdederunt eos adinventiones suae; coram facie mea factae sunt.* Quae in Commentario hoc modo enarrat: „Ne forsitan, inquit, dicant in cordibus suis: vetera nobis Deus peccata restituit, et patrum delicta persolvimus: illi comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt (Jerem. XXXI, 29.): idcirco quae nunc et in praesentiarum, me vidente, fecerunt,

runt, et quotidie faciunt, ſequente ſermone narrabo, et oſtendam illis adinventiones ſuas, ſive cogitationes, quibus mala ſtudioſiſſime confectati ſunt, et quae me praeſente geſſerunt, non timentes faciem meam. Quod autem in Septuaginta legimus, *ut concinant quaſi canentes in cordibus ſuis* (ὅπως συνᾴδωσιν ὡς συνᾴδοντες τῇ καρδίᾳ αὐτῶν), ad illud referendum eſt, quod ideo fur ingreſſus, ſive latrunculus exſpoliaverit foris (Vs. 1.), ne in priſtinis divitiis et veſtibus permanentes, repellerent furis latronisque conſenſum; ſed quum ſpoliati fuerint, concinant cum eis, et uno corde efficiantur: idcirco recipient quae fecerunt, et omnes cogitationes eorum, vel opera, meum non merebuntur aſpectum.“

3. בְּרָעָתָם יְשַׂמְּחוּ מֶלֶךְ *Per malitiam ſuam exhilarant regem*, וּבְכַחֲשֵׁיהֶם שָׂרִים, *et per mendacia ſua* exhilarant *principes*, „vult dicere,“ inquit Abarbenel, „violentos iſtius aevi homines regibus ſuis narrare ſolitos facinora ſua, ut hilaritatem inde conciperent illi.“ Nec improbanda videtur haec expoſitio, dici haec in populi proſtitutam impietatem *peccata ſua praedicantis ut Sodoma,* Jeſ. III, 9., ad gloriam inde gratiamque ex magnatibus conſequendam; id tamen ſimul, imo maxime ipſos reges principesque ſpectare, qui, quum rex ſapiens diſſipet impios, et dispellat omne malum, Prov. XX, 8. 26.; ſic erant improbitati et nequitiae dediti, ut vel gaudio afficerentur, ſi quem probris viderent ſtrenue navare operam. Rittershuſius:

Ipſum etiam vindex ſcelerum qui debuit eſſe
Exhilarant probris regem, proceresque patrata
Crimina delectant, et vaniloqua inſuper ipſis
Lingua voluptas eſt.

Hieronymus: „Exponit quae coram facie ejus fecerunt: in malitiis ſuis laetificaverunt regem Jeroboam, et in mendaciis ſuis principes, qui ſub Jeroboam populo praeſuerant.“

4. כֻּלָּם מְנָאֲפִים *Omnes illi*, Ephraimitae et Samariae incolae (Vs. 1.), vel, rex, populus et principes, ſunt *adul-*

adulterantes, ut Jerem. IX, 1. XXIII, 10., quod Chaldaeus ſic explicat: כּוּלְהוֹן מְחַמְּדִין לְמִנְאַף נְשֵׁי חַבְרֵיהוֹן *omnes illi cupiunt comprimere uxores proximorum ſuorum.* Sed videntur potius *adulteris* ſenſu allegorico idolorum cultores intelligendi, qui violant foedus, quod cum populo ſuo Jova iniit. כְּמוֹ תַנּוּר בֹּעֵרָה מֵאֹפֶה *Sicut clibanus ardens a piſtore* ſuccenſus; vehementiſſimum idololatriae ſtudium comparat cum furni accenſi ardore, quo ſignificaret eum valde intenſum eſſe. Recte notat Abarbenel, in voce בֹּעֵרָה literam ה, alias feminei ſexus ſignum, eſſe paragogicum, quum תַּנּוּר ſit masculinum, hinc illam et penacutam eſſe, accentumque Tarha ſub ע poſitum, ut idem ſit quod בֹּעֵר; cf. Mal. III, 19. בֹּעֵר כַּתַּנּוּר, *ardens ſicut furnus.* יִשְׁבּוֹת מֵעִיר מִלּוּשׁ בָּצֵק עַד־חֻמְצָתוֹ *Ceſſat excitans a depſendo paſtam usque ad fermentationem ejus*, quod quidam ita exponunt: quando fornax ſatis eſt ſuccenſa et poſt ſubactam paſtam quiescit piſtor, nec excitat ſuos, quorum opera non eget; itaque dormire eos ſinit, usque dum paſta fermentata fuerit; tum rurſum eos excitat ad panem furno immittendum. Sic illi ardebant concupiscentiis peſſimis, et numquam ab illis quiescebant, niſi forſan per exiguum tempus, aliis distenti occupationibus. Jarchi: „Ceſſat prava eorum cupiditas, quae eos excitat, poſt ſubactam maſſam, donec fermentetur, id eſt, poſtquam animo malum concepit, idque quomodo exſequatur, cogitavit, quieſcit ac dormit ad manum usque, quo poteſt illud perpetrare, quemadmodum piſtor ceſſat a ſubactione farinae, donec ea fermentata eſt, ut eam coquere poſſit, quemadmodum Mich. II, 1. dicitur: *Heu iniquitatem comminiscentes malumque fabricantes ſuis in cubilibus, quod primo male patrent.*" Idem ſequitur Kimchi. Similiter Abarbenel: „Inhibet ſe illud ſigmentum dum animo ſcelus concipit homo, usquedum ipſo opere illud exſequatur." Alii: *ceſſat excitans*, i. e. piſtor flammam excitare ceſſat, quando fornix ſatis eſt ſuccenſa, *poſtquam depſuit maſſam, donec ea fermentescat*, et per בָּצֵק indicari exiſtimant machinationes malorum, maſſam probroſam quaſi,

quasi, sic infectam fermento malitiae et pravitatis, ut extumescat tandem in panem impietatis, quo impii, quasi alimento, et saturantur, et sese oblectant; pistor vero sic ipsum hominem artificem suae malitiae designabit. Nobis quidem haec addita videntur ad describendum tempus, quo summe ardet furnus, ex quo scilicet excitare primum pistor desiit ad massam subigendam, ex quo, inquam, subigi coepit, donec fermentetur. Tum enim paulatim vehementius incenditur, donec summe caleat, quo tempore inferendi sunt panes qui coquantur. Vehementius igitur idololatriae studium pingit. Sunt, qui יִשְׁבּוֹת מֵעִיר vertant: *desinit esse vigil,* ut significet, post subactam massam eum cubitum ire. Hinc Rittershusius:

— — Omnes moechantur, et omnes
Illicitis ardent flammis; succensa libido
Aestuat, ut fornax, cui pistor suggerit ignem,
Declinans modico vigilantia lumina somno,
Fermentum massam dum se penetrarit in omnem:
Tum mox evigilans furno, quae depsuit, indit,
Et coquit, humanisque facit panem usibus aptum.

Sed *vigil* est hebraice עֵר, Cant. V, 2. Mal. II, 12., et *vigilare* הֵעִיר. Veteres in hujus Versus sensu exprimendo vehementer inter se discrepant. LXX: Πάντες μοιχεύοντες· ὡς κλίβανος καιόμενος εἰς πέψιν κατακαύματος ἀπὸ τῆς φλογὸς ἀπὸ φυράσεως στέατος, ἕως τοῦ ζυμωθῆναι αὐτό. Quae Hieronymus sic transtulit: *Omnes adulterantes quasi clibanus ardens ad coquendum in deustionem flammae a commixtione fermenti, donec fermentaretur totum.* Arabicus vero interpres Graeca sic reddidit: جَمِيعُ ٱلْفَسَقَةِ مِثْلُ تَنُّورٍ مُتَّقِدٍ لِلْخُبْزِ بِحَرَارَةٍ مِنَ ٱللَّهِيبِ مِنْ عَجِينِ ٱلدَّرْمَكِ إِلَي أَنْ يَخْتَمِرَ *omnes adulteri sunt similes furno accenso ad panem* coquendum *calore flammeo*

flammeo ex massa similaginis donec fermentetur. Illud ἀπὸ τῆς φλογὸς respondet hebraico מֵעִיר, quod de *flamma excitanda* interpres cepit. Pro κατακαύματος legit Theodoretus κατακαύσει αὐτοὺς ἀπὸ τῆς φλογός. Quorum verborum sensum hunc esse ait: τὸ τῆς ἀκολασίας πῦρ, τὴν πολεμικὴν αὐτοῖς ἐπάξει φλόγα. Reliqua sic explicat: καθάπερ ἡ ζύμη τὰ συμφυρόμενα ἄλευρα εἰς τὴν οἰκείαν μετατίθησι φύσιν, οὕτως ἡ ζύμη τῆς ἀσεβείας ὑπὸ τοῦ Ἱεροβοάμ, τοῦ πρώτου βασιλεύσαντος ὑμῶν, προσενεχθεῖσα, ὑμῖν τε καὶ τοῖς κατὰ καιρὸν ἐν ὑμῖν βασιλευκόσιν ὑμῖν, τῆς οἰκείας μεταδέδωκεν ἅπασι δυσωδίας. Hieronymus: *omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente: quievit paululum civitas a commixtione fermenti donec fermentaretur totum.* Hausisse videtur e Graeca versione anonymi, quae numeratur quinta apud Montfauconium in Hexaplis, et in qua haec occurrunt: ἐπαύσατο πρὸς ὀλίγον ἡ πόλις τοῦ φυράματος κοινωνίας, καὶ μετὰ μικρὸν πᾶσα ἐζυμώθη. Hunc interpretem apparet מֵעִיר cepisse pro nomine עִיר, *civitas.* Sed יִשְׁבּוֹת מֵעִיר minime significare: *quievit civitas*, unusquisque hebraice vel mediocriter doctus ipse intelliget. Ceterum Hieronymus in Commentario hujus Versus sensum hoc modo declarat: „Qui in malitia sua laetificaverunt regem, et in mendaciis suis principes (Vs. 3.), omnes adulteri sunt, et instar clibani ad Jeroboam idololatriae igne succensi, ut panem coquerent impietatis, qui quum erroris in animas eorum misisset incendium, quasi caminus et clibanus primo igne succensus, paululum conquievit, ut non vim faceret populo, sed suae eum dimitteret voluntati, donec fermentaretur omne mendacium: quidquid enim necessitate fit, cito solvitur; quod voluntate arripitur, perseverat. Ideo et hic quia translationem a clibano sumserat, qui ad coquendos panes succenditur, servat in reliquis, ut in commixtione fermenti totius populi monstret assensum, quo scilicet et rex et populus pari in idololatria ardore corruerint.“ Ad nomen עִיר, *civitas,* vocem מֵעִיר retulit etiam

Syrus, qui Versum sic reddidit: ܟܠܗܘܢ ܡܕܒܪܢܝܗܘܢ ܓܝܪܝܢ ܐܝܟ ܬܢܘܪܐ ܕܝܩܕ ܠܡܐܦܐ ܢܒܛܠ ܡܢ ܡܕܝܢܬܐ ܠܐܫ ܠܝܫܐ ܥܕܡܐ ܕܢܚܡܥ *omnes principes eorum moechantur, ut clibanus ardens ad coctionem panis; deficiet ab urbe subigens massam donec fermentetur.* Chaldaeus priorem versiculi partem accurate interpretatur, sed in posteriore hemistichio explicando ad aliena delabitur. Ita enim exponit hebraea inde a יִשְׁבּוֹת מֵעִיר: *quamobrem migrabunt cito ex civitatibus suis, non secus ac festinant ad exsequenda consilia improba, et quia minime memores fuerunt miraculorum et rerum magnarum gestarum, quae operatae sunt eis die, qua ascenderunt ex Aegypto, ab eo tempore, qua subacta fuit massa, antequam fermentaretur.*

5. יוֹם מַלְכֵּנוּ *Dies* est *regis nostri,* vel natalis, vel inaugurationis (ut Chaldaeus: *die quo constituerunt super se regem suum*), vel quacunque de caussa solennis, scil. dicunt proceres, subaudito initio hujus Versus לֵאמֹר, ut V, 15. Ps. II, 3. Jesaj. XIV, 8. הֶחֱלוּ שָׂרִים חֲמַת מִיָּיִן *Principes aegrotant aestu a vino,* crapula nimia, calidisque vaporibus, e vino manantibus, qui caput petunt, aegrotant. Inter vitia, quae in Ephraimitis Noster carpit, praeter turpes libidines et ebrietatem taxat supra IV, 11. הֶחֱלוּ veteres omnes *inceperunt* vertunt, a חָלַל, sed hoc esset הֵחֵלּוּ, vel forte ejecto Dagesch (ut infra VIII, 10.), הֵחֵלוּ. Recte vero monent Jarchi et Kimchi, esse ad חָלָה, *aegrotavit,* referendum, re ipsa poscente, quia foeditatem crapulae non tam voce *incipiendi* in helluationibus, quam *aegrotandi* ex immodico potu exprimit redargutio. חֲמַת מִיָּיִן nonnulli vertunt *utre vini* epotato scil. aegrotant. Sed *uter* est חֵמֶת vel חֹמֶת, vid. Genes. XXI, 14. 15. 19. חֲמַת formam status regiminis nominis חֵמָה *calor, aestus,* esse constat, quae forma haud raro ponitur ante nomen sequens quod Praepositionem praemissam habet, ut Jerem. XXIII, 23. אֱלֹהֵי מִקָּרֹב, *Deus e propinquo.* Ante חֲמַת vero subaudi מִן, quasi מֵחֲמַת scriptum

ſcriptum eſſet. Recte Jarchi noſtram dictionem exponit: מחום היין הבוער בם, *a calore vini, in illis ardentis,* proceres noſtri aegroti ſunt facti. מָשַׁךְ יָדוֹ אֶת־לֹצְצִים *Extendit* rex *manum ſuam cum deriſoribus*, compotor eſt irriſorum et ſcurrarum, unaque cum illis familiariter verſatur. Dictio *manum extendit* geſtum propinantium deſcribit; nam in compotationibus manus poſcendo, accipiendo, porrigendo pocula extendi ſolet. Horatius *Epiſtol.* L. I. 18. 91. ſequ. eum morem oſtendit:

Potores bibuli (al. *liquidi*) *de nocte Falerni*
Oderunt porrecta negantem pocula.

Et Athenaeus L. I. Deipnoſophiſtarum, ex Homero, a quo alicubi dici aſſirmat, *δείδεκται ἀντὶ τοῦ, ἐδεξιοῦτο, ὅ ἐστι προέπινεν, αὐτῷ τῇ δεξιῇ διδοὺς τὸ ποτήριον.* LXX inde ab הֶחֱלוּ verba hebraea ſic reddiderunt: *ἤρξαντο οἱ ἄρχοντες θυμοῦσθαι ἐξ οἴνου, ἐξέτεινε τὴν χεῖρα αὐτοῦ μετὰ λοιμῶν.* Chaldaeus: שְׁרִיאוּ רַבְרְבַיָּא לְמִשְׁתֵּי עִמֵּיהּ חֲמַר נְגַד לִידֵיהּ עִם כִּיעַת שַׁקָּרִין *coeperunt magnates cum eo, rege, compotare vinum, traxit manum ſuam cum coetu vaniloquentium.* Syrus: ܫܪܝܘ ܪ̈ܘܪܒܢܐ ܠܡܬܚܡܬܘ ܡܢ ܚܡܪܐ ܢܓܕܘ ܐܝ̈ܕܝܗܘܢ ܥܡ ܒ̈ܝܫܐ *coeperunt magnates furere ex vino, traxerunt manus ſuas cum ſceleratis.* Hieronymus integrum Verſum ſic vertit: *dies regis noſtri: ceperunt principes furere a vino; extendit manum ſuam cum illuſoribus;* et in Commentario hoc modo exponit: „Obſcurus locus, et attento lectoris ſenſu indigens, ut primum hiſtoriam cognoſcamus. Paululum Iſrael et Samariae civitas conquievit, recepto in ſe erroris ardore, donec tota maſſa fermento ſimilis fieret, et cresceret atque erumperet (vid. Hieron. ad Vs. 4.), ac populus intumescens clamaret ad fores Jeroboam regis, et diceret: hic eſt dies Jeroboam, regis noſtri, hic eſt feſtus dies, quem nobis conſtituit imperator noſter, hunc celebramus, hunc canimus, in hoc exſultamus et ludimus, in hoc vitulos aureos adoramus. Clamante populo principes non irati ſunt, ut quidam putant; ſed et ipſi ceperunt furere

 a vino,

a vino, et intelligentiam suae mentis amittere, oblivisci Dei, et in idolorum ligna impingere. Quod quum rex cerneret, clamare scilicet populum et dicere: dies iste regis nostri est, et principes quasi temulentos et fanaticos nescire quid dicerent, extendit manum suam cum illusoribus, copulavit assensum his qui ei vanis laudibus illudebant." Rittershusius:

Regia lux haec est; auras hac editus hausit
Primum, vel regni felices cepit habenas.
Nunc est potandum, et vino pleno utre furendum
Epoto. Haec procerum totâ vox perstrepit aulâ:
Ipseque se socium Rex derisoribus addit,
Atque una certat magnis potare cululllis.

6. „Deinde et hoc de foedis eorum flagitiis commemorat, quod caedibus se incruentarent. Uno nempe die potabant cum rege principibusque aureos calices e fundo evacuandos, ut hilaritatem iis crearent, ceu eorum amantissimi mutuis ludificationibus certabant, sequenti autem die ad necem usque in eos assurgebant; quae profecto enormis erat rebellio, ac sceleratissimum flagitium. De hisce igitur loquitur hoc modo: כִּי־קֵרְבוּ כַתַּנּוּר לִבָּם בְּאָרְבָּם *Nam applicant ut furnum cor suum dum insidiantur;* sensus est, animo suo intentos illos fuisse clam machinando, ut cor suum furno simile redderent." Ita Abarbenel, in sensu phraseos כִּי־קֵרְבוּ וגו׳ exponendo sequutus Jarchium, cujus haec sunt verba: „Pararunt et praeparaverunt cor suum in opere insidiarum suarum tanquam clibanum istum (Vs. 4.), quem praeparant et calefaciunt ad coquendum." בְּאָרְבָּם proprie: *in insidiari suo,* Infinitivus, ut Jerem. IX, 7. אָרְבּוֹ, *insidiari suum.* LXX prius hoc hemistichium ita reddiderunt: *διότι ἀνεκαύθησαν ὡς κλίβανος αἱ καρδίαι αὐτῶν, ἐν τῷ καταράσσειν αὐτούς.* Quod pro קֵרְבוּ Graecus interpres *ἀνεκαύθησαν* posuit, quocum convenit Syrus, qui verbo ܢܓܕ usus est, Cappellum movit, ut illum חָרְבוּ suo in codice Hebraeo legisse opinaretur, illique, quod nunc in omnibus codicibus

dicibus Hebraicis reperitur, praeferendum. Sed verissime Buxtorfius in *Anti-Crit.* p. 586. monet: „Ubi חָרְבוּ significat *inflammati sunt?* Cedo locum. Significat *exsiccati sunt*, ut חָרְבוּ הַמַּיִם, *exsiccatae fuerunt aquae*, חָרְבוּ פְּנֵי הָאֲדָמָה *exsiccata fuit superficies terrae*, Genes. VIII, 13. *Inflammare* nuspiam significat. Unde barbara et insolens foret illa lectio, ad rem etiam praesentem impertinens. Si lectio fingenda, meliori specie diceretur, illos legisse קָדְחוּ, cujus vocis scriptio etiam est aliquo modo affinis.“ Sed nec hac opus esse conjectura, ostendit Aurivillius *Dissertatt.* p. 617. „Si vel servetur,“ inquit, „verbi קָרַב significatus vulgatior *prope accedendi, admovendi, aggrediendi*, commodus nihilominus et facilis enascetur sensus. Non jungatur קֵרְבוּ proxime cum כַתַּנּוּר, sed cum בְּאָרְבָּם, vel etiam sumatur seorsum, hunc in modum: *quando accedunt*, propius se admovent, ut vim inferant, *insidiis suis, cor eorum est ut furnus*, ardet animus, ut furnus (בֹּעֵרָה Vs. 4.) calore aestuans; vel etiam, parum enim differet, *quando vim inferunt*, inferre cogitant, *cor eorum, structas inter insidias, aestuat, ut accensus igne furnus.* Liceat hinc inferre, Alexandrinum et Syrum, si hoc ordine voces explicandas sumserint, potuisse, nec male, vertere, uti vertisse deprehenduntur, et nihilominus, aliud, quam nostrum קֵרְבוּ, suis in codicibus non reperisse; quumque et Chaldaeus, et Aquila, et Hieronymus jam olim illud legerint, nec in Mss. Hebraicis ulla heic observata sit varietas, esse τὸ קֵרְבוּ non temerandum.“ Chaldaeus: אֲרֵי אִתְקָרַבוּ לַעֲצַת חַטָּאִין וְלָא עַכִּיבוּ כְּתַנּוּרָא בָּעַר לִבְּהוֹן בְּאִתְכַּמּוֹנֵיהוֹן *nam aggregant sese consilio peccatorum, neque morantur; furni instar ardentis* est *cor eorum in insidiis suis.* Hieronymus: *qui applicuerunt quasi clibanum cor suum quum insidiaretur eis.* Quae in Commentario sic explicat: „qui illusores (vid. ad Vs. 5.) quum insidiaretur eis rex suus, et eos a Deo suo abduceret, praebuerunt ei quasi clibanum cor suum, ut eos succenderet, et idololatriae flammis ardere faceret. Idcirco enim assensus est populo, quia intellexit omni eos ad errorem

rem mente converſos.“ כָּל־הַלַּיְלָה יָשֵׁן אֹפֵהֶם בֹּקֶר הוּא בֹעֵר כְּאֵשׁ לֶהָבָה *Per totam noctem piſtor*, calefactor, *eorum dormit*, nullum miniſtrando ignem, *mane* autem *ille* furnus *ardet ſicut ignis ſlammae*, flammans; qua ſimilitudine doloſam impiorum in premenda ira vafritiem taxare vatem Abarbenel ait, quod quemadmodum noctu, dormiente calefactore non ardet furnus, ingruente autem diluculo injectus illi ignis ardescit; ita et hos ſe compoſuiſſe in regis principumque conſpectu, iniquam clanculum foventes perduellionem; non tamen eam exſequerentur, niſi ſequentibus inde temporibus nacti occaſionem. Ratione haud multum diverſa hunc locum Schmidius exponit: „Redit vates ad ſimilitudinem clibani, ut doceat, eundem eſſe impetum et furorem in odio et inſidiis, qui prius erat in amore et adulationibus. Dictum nempe eſt praecedente Verſu, quomodo populus in gratiam regis et principum ſcortatus ſit; nunc oſtendit, quam mobilis et inconſtans, ſemper tamen malus, ſit, et mox animum avertat a rege et principibus, adplicetque ad inſidiandum, conſumendum et interficiendum eos: *Tota* quidem *nocte*, i. e. omni tempore, ſeditioni apertae nondum commodo, *dormit*, i. e. quiete ſe gerit, et conſilia ſua occultat, *piſtor eorum*, i. e. caput ſeditionis, v. g. Sallum, poſtquam foedus ſeditioſum iniit contra Zachariam 2 Reg. XV, 10., ſed *diluculo*, ſ. *mane*, i. e. ubi opportuna occaſio movendae ſeditionis advenit, *ille*, dux ſeditionis, *ardet*, et aperto furore cum ſociis in regem et principes irruit, *ſicut ignis ſlammans*, qui obvia quaevis conſumit et deſtruit.“ Aliter haec Kimchi explicat: „Cor,“ inquit, „ſive animus, eſt cogitationum officina, atque vis illa, per quam actiones producuntur, quare ille per translationem *coquus* ſive *piſtor* (אֹפֶה) vocatur. Quemadmodum igitur coquus noctu furnum accendit, in quo mane ligna ardent, quibus panis coquitur, qui eſt finis operis, coquus vero, poſtquam in furno ligna poſuit, per noctem dormit, neque quidquam ante auroram agit; ita animus, in quo vis cogitandi, dormit nocturno tempore; nam quae cogitat,

cogitat, opere non complet ante lucem. *Dormire* autem dicit eum qui cogitat, quia cogitatio fit sine labore corporis. Mane vero exardent in ea, quae noctu excogitarunt.“ Sed in eo aperte falsus est Kimchi, quod animum *pistori* comparari dicit, quum ille potius *furno* diserte assimiletur in hemistichio priori. Quod ipsum et vidit Aurivillius l. c. p. 618., ubi nostra verba recte hoc modo explicat: „Inhaeret propheta similitudini *ardentis furni*, quam induxerat Vs. 4. Corda, animos hominum, qui heic accusantur, comparat cum *furno ardente*, ipsos illos cum *pistore*, qui furnum igne accendit. Insidiosas machinationes, harum veluti *pistores*, clam habebant initio, laetis indulgentes compotationibus, quales Vs. 5. memorantur, mox, data occasione, plenam in flammam educebant, haud aliter ac dormiens per noctem, latens ac quiescens pistor primo dein mane, in furnum immisso igne, patulum suscitat incendium. In his aeque ac Vs. 7. seditiones continuas, et caesum per insidias unum post alterum regem spectat propheta, id est, intestinas turbas, quibus post Jeroboamum II. laceratum fuisse Israeliticum regnum Historia testatur.“ Dictione כָּל־הַלַּיְלָה quidam notari existimant hominum illorum in iris acerbitatem ac inflexibilem rigorem, Chaldaeo praeeunte, qui verba כָּל־הַלַּיְלָה יָשֵׁן אֹפֵהֶם sic vertit: כָּל לֵילְיָא מוֹרִיךְ רוּגְזְהוֹן *tota nocte perseverat eorum furor*, quasi hoc velit vates, perquam valido igne succensam fornacem, quae, quum post injectam materiem tota nocte dormiverit calefaciens pistor, mane luculenter ardet: sic vehementissimam oportet eorum iram fuisse, quae post exortas dudum odii caussas ac coepta inimicitiarum consilia tandem in flammas erumpat. Pro אֹפֵהֶם Hubigantius et Dathius opinati sunt legendum esse אַפֵּיהֶם, *furor eorum*, hac una ratione moti, quod רוּגְזְהוֹן sit in Chaldaeo et Syro. Illos vero non esse audiendos, recte monet Aurivillius. „Nam contra,“ inquit, „Aquilae πέσσων et Hieronymi *coquens* vulgarem lectionem afferunt, tum Alexandrinus, ubi manifesto licet errore, posuit Ἐφραίμ, hoc saltem indicat, *iram*, *furorem* se non cogitasse. Apud Ken-

Kennicottum triginta quidem et quinque Mss., duo impressi (quamplurimi etiam apud De-Rossium, vid. *Scholia critt.* ad loc.) אפיהם exhibent, quod Dualis videri posset forma τοῦ אַף. At verissime statuente J. D. Michaele *Biblioth. Orient.* P. V. p. 153., litera י ista in scriptione erit tertia radicalis verbi אָפָה, *coxit*, neque adeo prohibebit, quin vox ipsa explicetur participiali forma, uti postulant nostris in libris puncta." In Graeca Alexandrina versione posterius hujus Versus hemistichium ita sonat: ὅλην τὴν νύκτα ὕπνου Ἐφραὶμ ἐνεπλήσθη· πρωῒ ἐγενήθη, ἀνεκαύθη ὡς πῦρ φέγγος. Hieronymus: „Quodque sequitur, *tota nocte dormivit coquens eos, mane ipse succensus quasi ignis flammae,* hoc significat: postquam misit ignem in clibanum cordis eorum, et vidit eos furere, et nullum esse, qui suae resisteret voluntati, tota nocte dormivit, id est, securus fuit; versatus in tenebris est, dum illi coquerentur, et impietatis panem efficerent. Unde postea surrexit mane, et scelerum suorum flammam aperta ostendit insania, ut nequaquam per insidias, sed impudenter a Dei cultu ad idolorum caeremonias transilirent." Quemadmodum *pistore* regem significari existimat Hieronymus, ita et Rittershusius, qui totum Versum ita expressit:

Insidias conspirantes struxere, animasque
Consiliis inter se devinxere nefandis;
Ardentes animas calidae fornacis adinstar;
Ipsorum pistor, cui longe alia incumbebat
Imperii justi et popularis cura salutis,
Noctes dum totas somno consumere gaudet,

7. כֻּלָּם יֵחַמּוּ כַּתַּנּוּר *Omnes,* tam principes, quam ipse populus, *incalescunt,* ardent libidine male faciendi, ut *furnus;* repetitum ex Vs. 4. 6. ad ardorem intendendum. וְאָכְלוּ אֶת־שֹׁפְטֵיהֶם *Et sic consumunt,* instar ignis omnia consumentis, *judices,* magistratus, *suos,* per quos Jarchi indicari ait bonos viros, qui malos reprimere conabantur. Chaldaeus: וּבְלִישָׁן שִׁקְרֵיהוֹן מְחַיְּבִין יָת דַּיָּנֵיהוֹן, *et lingua men-*

mendaciorum suorum condemnant judices suos. Sed possunt in genere *principes* (de quibus Vs. 5.) intelligi, qui conjurationibus et intestinis discordiis absumebantur. Cui apprime convenit quod additur: כָּל־מַלְכֵיהֶם נָפָלוּ *omnes reges eorum ceciderunt* seditiosorum gladio. Ita נָפַל usurpatur et 2 Sam. I, 12. XXI, 22. Chaldaeus: כָּל מַלְכֵּיהוֹן, אִתְקְטָלוּ *omnes reges eorum occisi sunt.* Nam continuae fuerunt seditiones, et fere qui imperabat, occisus fuit a suo successore, veluti Zacharias, 2 Reg. XV, 10., Sallum ibid. Vs. 14., Pecachia, Vs. 25., Pecah Vs. 30. Cf. etiam 1 Reg. XV, 27. XVI, 9. 18. 22. אֵין־קֹרֵא בָהֶם אֵלָי *Nec* tamen, pro summa obstinatione et insania eorum, *inter illos*, reges et principes, quisquam est, qui sub tantis malis et concussionibus reipublicae, *clamet ad me*, ad me sese convertat, et tanquam a Deo suo auxilium petat. Hieronymus: „Quid plura? Omnes, quasi clibanus, idololatriae igne calefacti sunt, et devoraverunt judices suos, ut etiam qui bonus esse potuerat per naturam, et religionis Domini recordari, videns et principes et populum vitulis subditos et illos putare deos, etiam ipse a scelere devoraretur. Denique omnes reges ceciderunt Israel, et ambulaverunt in viis Jeroboam, filii Nabath, qui peccare fecit Israel, et nullus inventus est, qui desertis idolis, reverteretur ad Deum. Haec (quae ad Vs. 5. et seqq. explicandos attulit Hieronymus) juxta Hebraeorum traditionem audacter magis quam scienter loquuti sumus, fidem dictorum auctoribus relinquentes.“ Rittershusius:

Concaluere animis omnes, fornacis ad instar,
Judicibusque suis dirum exitium accelerarunt:
Ipsi etiam horribili Reges cecidere ruina.
Nemo poposcit opem tamen, et me nemo vocavit.

8. אֶפְרַיִם בָּעַמִּים הוּא יִתְבּוֹלָל *Ephraimum* quod attinet, non apud Jovam auxilium quaerit (Vs. 7.), et ad ejus cultum revertitur, sed cum populis aliis, a quibus eum Deus habitatione separaverat (Exod. XIX, 5. Levit. XX, 24. 26.

26. Num. XXII, 9. Deut. IV, 34.), *ſeſe permiscet*, quod plerique ad culpam Iſraelis referunt, quod ſcilicet pernicioſis foederibus aut conjugiis ſe illis commiscuerint, vel potius veram regionem, quam in ſpeciem profitebantur, profanis aliarum gentium ſuperſtitionibus polluerint, ut Pſ. CVI, 35. queritur, וַיִּתְעָרְבוּ בַגּוֹיִם וַיִּלְמְדוּ מַעֲשֵׂיהֶם, *cum gentibus ſeſe commiscuerunt, earumque facta didicerunt.* Ita poſt Kimchium Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. C. XXXIII. T. I. p. 338. ed. Lipſ., nec non Abarbenel: „Adverſus adulteria, continuasque crapulas caediumque horrendam frequentiam factis reprehenſionibus (Vs. 4—7.), oſtendit jam propheta, talia iis contigiſſe, quod gentium ſe immiscerent conſortio, earumque ſic opera addiscerent; iſtae enim tam pravae conſuetudines non extiterunt in Iſraele, cum in ſegregem Deo populum illi conderentur, ſed ut cum reliquis coepere nationibus commercia agere, ad eorum ſe mores protinus compoſuerunt.“ Drusius: „Confundit ac miscet ſe Aegyptiis et Aſſyriis, quorum etiam mores et religionem didicit. *Miscuit* autem, cum foedera iniret cum eis, et auxilii cauſſa legatos mitteret ad reges illorum.“ Alii vero cum Jarchio (qui Hebraea ſic exponit: *permiscebitur in exſilio cum populis*) ad caſtigationem divinam referunt, ita ut magna ex parte, praeſertim Transjordanenſes, inter exteras gentes abducti, vel etiam in ipſa terra ſua cum iisdem *inviti confunderentur*, et commixti cum illis viverent, coll. 2 Reg. XIII, 3. 22. XV, 29.; quaſi dicat Deus: *ego feci, ut Ephraim cum* aliis *populis commisceretur*, a quibus captivus abductus eſt, ſi forte hoc modo ad poenitentiam adduceretur, ſed etiam hoc fruſtra fuit; Vs. 9. 10. Eadem ſenſus ambiguitas in poſteriori hemiſtichio, אֶפְרַיִם הָיָה עֻגָה בְּלִי הֲפוּכָה, *Ephraim erat* ſ. *eſt*, *panis ſubcinericius*, placenta, inter coquendum *non verſa*, Jud. VII, 3. עֻגָה *placentae* ſive *panis* genus, quod ſuper prunis coquitur (cf. 1 Reg. XIX, 6., not. ad Geneſ. XVIII, 6. Bocharti *Hieroz.* l. c. p. 335., et Jo. Kneppelhout Diſſert. Seb. Ravio praeſide defenſa *de re cibaria veterum Hebraeorum*, Traj. ad Rhen. 1768. §. XII. ſeqq.),

seqq.), quod si non versum fuerit, ab inferiore parte plane aduritur, antequam a superiore coquatur. Quod igitur Ephraim cum ejusmodi pane h. l. comparatur, nonnulli significari volunt, mutasse illum immaturo et non cocto satis consilio cultum patrium in cultum externum; sensu non diverso ab eo, quem plerique in priore hemistichio agnoscunt. Vel, uti Drusius: „Qui (panis) nec plane crudus, nec plane coctus est. Sic Ephraimitae nec Deum pure colebant, nec idola vere, sed utramque religionem commiscebant, et vitulos adorantes, et per Deum aeternum jurantes." Idem sequutus Bochartus l. c. p. 338. Alii vero placentae ab altera parte adustae Ephraimum ideo comparari dicunt, quod regnum ejus adflictissimum, et magna ex parte jam eversum, ex reliqua vero parte valde infirmatum esset, unde supra V, 11. Ephraim vocatur *oppressus et contusus.* Eo sensu videtur Chaldaeus verba nostra accepisse, dum vertit: בית אפרים דמן לחררא דעד לא אתהפכת אתאכלת *domus Ephraim similis est pani subcinericio, qui, antequam vertatur, comeditur.* Nec non Syrus: ܐܦܪܝܡ ܗܘܐ ܚܪܘܪܬܐ ܕܥܕܠܐ ܐܬܐܦܝܬ ܐܬܐܟܠܬ *Ephraim factus est placenta, quae, antequam cocta esset, comeditur.* Abarbenel: „Veruntamen ista, ait vates, cum gentibus permistio nequaquam iis in commodum cessit, nam factus inde est ipse sicut placenta prunis tosta, quam de uno in alterum per vices latus nemo verterit, ut proinde ab una quidem parte in pleno suo vigore ejus humor supersit, ab altera vero ambusserit eam prunarum ardor, ac ceu aridum ramentum in nihil ea conducat." Eundem in modum Rittershusius, qui hunc Versum una cum proximi initio sic expressit:

Cum populis sese commiscent Ephraimaei
Externis, et opem implorant horum auxiliumque.
At populi instar eos cujusdam habuere placentae
Dulcis, quae nunquam nisi parte imponitur una,
Numquam pistori in furno conversa calente,
Quam convivarum partitur coetus editque:

Haud

Haud aliter comedunt alienigenae Ephraimitas,
Robur et absumunt ipsorum depopulantes.

Nescio tamen, annon prophetae scopus eo potius tendat
populi in suis peccatis continuam taxet progressionem,
sive beneficiis a Dei gratia cumularetur, sive poenarum
vinitus inflictarum, per bellorum calamitates, eum co
meret vis, idem semper obtineret, eademque incederet p
catorum semita. Igitur cum *placenta non versa* eum com
rat, et declarat mox (Vs. 9.), quomodo: *alieni comedel*
ejus facultates, hostes designantur, qui exurentium pru
rum instar cuncta hujus populi consumebant. Simul reve
in memoriam benignum Dei favorem in conservando subi
populo, vel restituendo ex hostium tyrannide in pristin
prosperitatem, ut sic habuerit se frequenter populus, ve
placentae latus, cui ex prunis nulla omnino noxa vel co
rem mutaverit, retinenti adeo inspersae farinae caniti
HIERONYMUS: „Factum est regnum decem tribuum, si
omnium nationum, quia recesserunt a Domino; et si
subcinericius panis, qui non reversatur, hoc est, non a
poenitentiam, comederunt Assyrii et Chaldaei fortitudin
ejus, et quidquid virium habere poterat, devoraverunt."

9. אָכְלוּ *Consumserunt* enim, cf. Jerem. X, 25. Occ
tropo data est per similitudinem placentae, Vs. 8., q
etiam ab igne *comeditur*, quando aduritur. זָרִים *Peregr*
barbari hostes, VIII, 7., cf. Jesaj. I, 7.; veluti Syri, 2 I
XIII, 7., Philisthaei, Jesaj. IX, 11., et Assyrii, 2 Reg. XV,
כֹּחוֹ *Robur ipsius*, magna parte regni avulsa, vid. inpri
2 Reg. XV, 29. Chaldaeus: בַּזּוּ עַמְמַיָּא נִכְסֵיהוֹן *diripuer*
gentes facultates eorum. וְהוּא לֹא יָדָע *Et ipse* tamen
non agnoscit, in summa securitate et stupiditate, nec
Deum se convertit, vid. Vs. 7. 10. Eadem queritur J
mias XLII, 25. גַּם־שֵׂיבָה *Etiam canities*, Genes. XI
29. 31., tropus ab homine senescente. זָרְקָה בּוֹ *Spargitu*
eo, vel, *spargit* canos *in eo*, Israele. *Spargendi* ver
hac in re etiam Romanis usitatum. Propertius III, 4. *S*

ſerit et nigras alba ſenecta comas. LXX: *καὶ πολιαὶ ἐξήνθησαν αὐτῶν.* Regnum Iſraeliticum malorum aſperitate afflictum, ſenium quaſi quoddam contraxit, exhauſto omni robore morti eſt vicinus. Eadem imagine, ſed pluribus exornata, de regno Romano utitur CLAUDIANUS *de bello Gildonico* Vs. 17. ſeqq.

Exitium jam Roma timens, et feſſa negatis
Frugibus, ad rapidi limen tendebat Olympi,
Non ſolito vultu, nec qualis jura Britannis
Dividit, aut trepidos ſubmittit fascibus Indos.
Vox tenuis, tardique gradus, oculique jacentes.
Interius fugere genae; jejuna lacertos
Exedit macies; humeris vix ſustinet aegris
Squalentem clipeum; laxata caſſide prodit
Canitiem.

Recte Chaldaeus noſtra verba exponit: חֲלִישׁוּתָא מְטַתְּנוּן *etiam infirmitas aſſequuta eſt eos.* HIERONYMUS: „Tantae vecordiae fuit (regnum decem tribuum), ut devoratum eſſe ſe neſciret; aut certe ignoraret cauſſam, propter quam fuiſſet devorantibus traditus: denique usque ad ſenectutem, id eſt, usque ad ultimam captivitatem, in coepto errore permanſit." Rittershuſius:

Nec tamen agnoscit, quamvis tot cladibus actus,
Tot poenis doctus. Canis quoque tempora ſparſus
Deſipit, et longo non ſit ſapientior aevo.

10. וְעָנָה גְאוֹן־יִשְׂרָאֵל בְּפָנָיו Vid. not. ad V, 5. וְלֹא־שָׁבוּ אֶל־יְהוָֹה אֱלֹהֵיהֶם V, 4. Amos IV, 6. 11. בְּכָל־זֹאת *In omni hoc*, tot tantaque mala non potuerunt ad frugem reducere. Cf. Jeſaj. IX, 12. 16. 20. Eſt autem homo deſperatus, quem nulla poena emendare poteſt.

11. וַיְהִי אֶפְרַיִם כְּיוֹנָה פוֹתָה *Factus eſt Ephraim ſicut columba ſimplex,* aut *pellecta,* Deut. XI, 16. Prov. XX, 19., i. e. deceptu facilis. HIERONYMUS: „*Factus eſt* ergo *Ephraim quaſi columba ſeducta,* quod Hebraice *Photha*, ab Aquila et Symmacho *θελγομένη*, vel *ἀπατωμένη* dicitur, id eſt, *lactata,*

lactata, ſive *decepta*, et a Septuaginta *inſipiens*, ſive *inſenſata*; ἄνους enim utrumque exprimere poteſt. „Quaeritur, cur Ephraim non aliis avibus, ſed columbae comparatus ſit. Aves aliae pullos ſuos etiam cum periculo vitae ſuae protegere feſtinant, et quum ad nidum ſuum accipitrem, colubrum, corvum, ſive cornicem accedere viderent, huc illucque volitant, et immittunt ſe morſu, et unguibus lacerant, et dolorem parentis querula voce teſtantur; ſola columba ablatos pullos non dolet, non requirit; et ideo huic recte comparatur Ephraim, quod vaſtatum per partes populum non ſentiat, ſed negligens ſit ſalutis ſuae.“ Contra Chaldaeus: *facti ſunt domus Iſrael ſimiles columbae gementi, cui pulli ſunt ablati* (בְּיוֹנָה שְׂרִיחָא דְּאִרְגְּסִיבוּ בְּנָהָא). Alii columbae ſimplicitatem in eo patere aſſerunt, quod retia non evitat, neque laqueos ſibi paratos, cum ſe demittit ad cibum. Et huic columbae ſtupori Hoſeam Iſraelitarum vecordiam conferre volunt, qui pericula non praecavebant, et ſe ipſos in hoſtium poteſtatem conjiciebant. Plura de columbae ſimplicitate facilique captura, quae et Graecis Romanisque in proverbio eſt, vid. in Bochartis *Hieroz.* P. II. L. I. Cap. IV. T. II. p. 552. ſeqq. ed. Lipſ. אֵין לֵב *Demens*, Jerem. V, 21. Syrus et Arabs: *cui non eſt cor*, imprudens; nam in corde ſedem ſapientiae ponunt Hebraei. Ceterum non ad Ephraimum, ſed ad *columbam* referendum eſſe, docent Accentus. מִצְרַיִם קָרָאוּ Modo *Aegyptios* in auxilium *vocant*, non me, Deum et Dominum ſuum, Vs. 7. Cf. VIII, 13. XII, 2. 2 Reg. XVII, 4. אַשּׁוּר הָלָכוּ Modo *ad Aſſyrios abeunt*, vid. V, 13. VIII, 9. XII, 2. 2 Reg. XV, 19.

12. כַּאֲשֶׁר יֵלֵכוּ „*Quum profecti fuerint* ad Aſſyrios,“ ita recte Hieronymus. Sed Chaldaeus et Syrus: בְּאָתַר דִּיְהָכוּן, ܠܐܝܟܐ ܕܐܙܠܘ *quocunque abierint*, quaſi בַּאֲשֶׁר legiſſent, quod ipſum repertum in uno Kennicottiano codice, et alio de-Roſſii, a prima manu. אֶפְרוֹשׂ עֲלֵיהֶם רִשְׁתִּי *Extendam ſuper eos rete meum*, ut irretiantur, omniaque ipſis in malum cedant, nec poenam meam effugere poſſint. Ea ſimilitudo

Eze-

Ezechieli adamata, vid. XII, 13. XVII, 20. XIX, 8. XXXII, 3. Cf. et ſupra V, 1. כְּעוֹף הַשָּׁמַיִם אוֹרִידֵם *Sicut aves coeli dejiciam* tamen *eos* in terram, ut pereant. Cf. Amos IX, 2. Obad. Vs. 4. Factum enim aliquando eſt, ut Iſraelitae viſi ſibi ſint omne malum evaſiſſe, jugumque hoſtium excuſſiſſe; ſed ſubito mutatus eſt rerum ſtatus, et miſere perierunt, ut Hoſeae regi contigit. Hieronymus: „Et ſi exaltati fuerint ut volucres, inde detraham illos.“ אַיְסִירֵם recte Chaldaeus vertit: יִסּוּרִין אַיְתֵי עֲלֵיהוֹן, *caſtigationes adducam ſuper eos.* Cf. V, 2. כְּשֵׁמַע לַעֲדָתָם *Secundum auditionem,* i. e. verbum *auditum* et annunciatum (Habac. III, 1. Jeſ. LIII, 1.) *coetui ipſorum,* i. e. corripiam eos, prout auditum eſt a coetu eorum tam olim in deſerto, juxta admonitiones factas eis in lege (Levit. XXVI, 14. ſeqq. Deut. XXVII, 15. ſeqq. XXVIII, 15. ſeqq.), ſi a me deficerent, quam poſtea, praedicantibus et conteſtantibus prophetis. Cf. Jerem. VI, 18. Ita Grotius: „Prout ſaepe eos conteſtatus ſum per prophetas, 2 Reg. XVII, 13—23.“ Hieronymus: „Detraham illos autem non in perditionem, ſed ut caedam quaſi filios; et caedam non in poenarum magnitudine, ſed in timore, ut audientes ventura ſupplicia ſolis erroribus emendentur. Quodque dicit: *caedam eos ſecundum auditionem coetus eorum,* hoc ſignificare poteſt: ſicut juncto conſilio omnes idola fabricati ſunt, ita me irato omnes pariter vaſtabuntur.“ Similiter Chaldaeus: עַל דִּשְׁמַעוּ לְעֵצַתְהוֹן, *propterea quod ſint ſuis conſiliis obſequuti.* Sunt qui vertant: *caſtigabo eos juxta famam* et rumorem *de coetus ipſorum* clade perlatam, quaſi aliquam cladem Iſraelitis inflictam denotet, de quo eo tempore fama ſpargebatur. שֵׁמַע enim, quod proprie *auditionem* notat, aliquando *rumorem* et *famam* indicat, ut Latinis ſimili ratione *auditio* interdum *rumor* dicitur. Similis loquutio Jeſaj. XXIII, 5. כַּאֲשֶׁר שֵׁמַע לְמִצְרָיִם יָחִילוּ כְּשֵׁמַע צֹר *Quemadmodum auditione Aegypti intremuerunt aeque auditione Tyri,* rumore calamitatis ipſius audito. Non autem deerant illo tempore recentiorum calamitatum exempla ad comparationem. Graviter enim

afflicti

afflicti fuerant ab Assyriis non semel. Magis tamen arridet sententia primo loco enarrata, quem Rittershusius ita expressit:

Cumque ierint vel ab hoc vel illo rege petitum
Auxilium fallax, volucres ut cassibus auceps
Implicat incautas, atque aere deripit alto:
In capita ipsorum mea sic quoque retia pandam,
Et meritis mulctabo modis, uti saepe Prophetae
Ipsis in coetu praenarravere frequenti.

13. אוֹי לָהֶם *Vae* itaque *illis!* propter ea quae dixi eis obventura. כִּי־נָדְדוּ מִמֶּנִּי *Nam divagati sunt a me,* a cultu meo, vel ab obedientia mea. שֹׁד לָהֶם *Vastatio* certo determinata est et veniet *illis.* כִּי־פָשְׁעוּ בִי *Quia a me defecerunt,* vid. not. ad Jesaj. I, 2. Chaldaeus eodem, quo illic, et hic, modo, vertit: *quod rebelles sunt in verbum meum.* Hieronymus: „Pro eo quod nos diximus *vastabuntur,* et in Hebraeo scriptum est *Sod laem,* id est, *vastatio eis,* Symmachus *interitum,* Theodotio *miseriam* interpretati sunt. Porro in editione Vulgata dupliciter legimus, quidam enim codices habent δῆλοι εἰσὶν, hoc est, *manifesti sunt,* alii δειλαῖοι εἰσὶν, hoc est, *meticulosi,* sive *miseri sunt.* Vastabuntur igitur et miseri erunt, et semper timentes ac formidantes, quia praevaricati sunt in Deum, adorantes vitulos aureos, et relinquentes eum, qui redemit eos de Aegyptia servitute." וְאָנֹכִי אֶפְדֵּם *Et ego redemi eos,* id est, ut recte Chaldaeus: וַאֲנָא הֲוֵיתִי פָּרִיק לְהוֹן, *et ego liberator eis extiti,* non tantum olim e servitute Aegyptiaca (de qua liberatione verbum פָּדָה usurpatur Deut. VII, 8. XIII, 6. XXI, 8. Mich. VI, 4.), verum et nuper a Syris, Jeroboamo II., vid. 2 Reg. XIV, 25. seqq. Pro iis tamen beneficiis pessimam mihi gratiam referunt, וְהֵמָּה דִּבְּרוּ עָלַי כְּזָבִים *at ipsi adversus me loquuntur mendacia,* dum meliora polliciti in priora vel deteriora etiam peccata relapsi sunt, et dum se pios mei cultores simularent, idola adorabant, quod Israelitis objicitur 2 Reg. XVII, 9. Cf. infra XII,

XII, 1. 2. Pf. LXXVIII, 36. Amos II, 4. Hieronymus, uti אֶפְרַיִם ad liberationem ex Aegyptiaca fervitute reftringit, ita et haec verba ad eadem illa tempora refert: „Ipfa vero loquuti funt contra Dominum mendacia, dicentes de idolis (Exod. XXXII, 8.): *hi funt dii tui, Ifrael, qui te eduxerunt de terra Aegypti.*" Rittershufius:

Vae populo erranti, qui Servatore receffit
A proprio! Impendet cunctis vaftatio triftis:
Quippe mihi rupere fidem, atque dedere Deaftris.
Ipfos ingenti quanquam virtute redemi,
Me tamen adverfus mendacia vana loquuntur,
Fallaci et nihil ingenui proficifcitur ore.

14. וְלֹא־זָעֲקוּ אֵלַי בְּלִבָּם *Neque clamant ad me ex animo fuo;* malis preffi ad me vociferantur, fed fine pietate in me, non uti finceri mei cultores. Cf. Jefaj. XXIX, 13. Ufurpatur phrafis illa inprimis frequenter in libro Judicum de Ifraelitis oppreffis, et liberationem quaerentibus, vid. Jud. III, 9. 15. VI, 6. 7. X, 10. 1 Sam. XII, 8. 10. כִּי יְיֵלִילוּ עַל־מִשְׁכְּבוֹתָם *Quando* (Syrus ܐܠܐ *fed*) *ejulant fuper cubilibus fuis,* angore et moerore confecti in lectis infomnes per totas noctes ejulant. Sed Hieronymus: „Pulchre cantica idolis fervientium non carmina in Deum, fed ululatum appellat." עַל־דָּגָן וְתִירוֹשׁ יִתְגּוֹרָרוּ *Propter frumentum et muftum congregant fe* (ita Chaldaeus: הֲווֹ מִכַּנְשִׁין), quando meffis et vindemia minime refpondet votis agricolarum, congregant fe idolorum cultores in fanis fuis petituri ab idolis triticum et vinum, vel folennes pompas ducunt, placandi Numinis caufa. J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 286. יִתְגּוֹרָרוּ vel *profternunt fe* vertendum cenfet, quod جور in quinta Arabum conjugatione (تَجَوَّر) fignificat, vel *timent fibi,* qua notione verbum גּוּר infra X, 5. Deuter. I, 17. exftat. Ita Syrus: *de frumento et vino folliciti funt* (ܡܬܚܦܛܝܢ). In paucis quibusdam codicibus legitur יִתְגּוֹדָדוּ (cum gemino Daleth), quod Michaelis in *Biblioth. Orient.*

T. XIX. p. 178. ***turmatim ſe congregant*** vertit, et vulgari ſcripturae anteponit, ſine idonea ratione. יָסוּרוּ בִי *Recedunt contra me*, i. e. non tantum recedunt a cultu meo, verum etiam contra nituntur eos revocanti et contumaciter omnia agunt. Chaldaeus: מָרְדוּ בְמֵימְרִי, *rebellant in verbum meum.* Rittershuſius:

Quin ſi quando etiam fors alligare videntur
Vota precesque ad me, et clamorem ad ſidera tollunt,
Non tamen ex animo id faciunt; ſed hypocriſis illos
In thalamis edens complet ploratibus auras,
Frumentum vinumque dari ſibi ſcilicet optant.
Hac cauſſa coetus faciunt male religioſi,
Et male morigeri adverſum coeleſtia juſſa.

In alia omnia diſcedit Hieronymus, qui verba עַל־דָּגָן וְתִירוֹשׁ יִתְגּוֹרָרוּ ita vertit: *ſuper triticum et vinum ruminabant,* a גָּרַר, *ruminare,* Levit. XI, 7. (ut Syrorum ܓܪ in Ethpaal, et Arabum جرّ in IV. et VIII. Conjug.). In Commentario autem hunc locum ſic exponit: „Propter abundantiam, inquit, rerum omnium corruerunt. Quod etiam Ezechiel in Sodomis et Gomorrhis factum eſſe commemorat, ut nihil aliud niſi cibus et luxuriam ruminarent. Pro quo Septuaginta transtulerunt: *ſuper frumento et vino diſſecabantur* (*ἐπὶ σίτῳ καὶ οἴνῳ κατετέμνοντο*, coll. מְגוֹרָרוֹת *ferrâ diſſecta,* 1 Reg. IX, 7.), in exemplum prophetarum Baal, qui praeſente Elia conciſione membrorum pluvias precabantur. Simulque ut oſtenderet eos jumentorum ſimiles, non dixit *comedebant,* ſed *ruminabant.*"

15. וַאֲנִי יִסַּרְתִּי חִזַּקְתִּי זְרוֹעֹתָם. Hunc Verſum cum proximo nonnulli ita conjungunt: *quia igitur ego caſtigavi eos*, *et* mox *confirmavi brachia eorum*; וְאֵלַי יְחַשְּׁבוּ־רָע, illi *vero* nihilominus *contra me cogitant malum*, ideo cadent gladio principes eorum (Vs. 16.). Alii putant hic in ſpecie redargui ingratae mentis vitium. Chaldaeus: *quantum vero adduco ſuper eos caſtigationes*, *et robur addo*

bra-

brachiis eorum, tantum etiam illi cogitant addere coram me mala. Grotius: „Sive eos punirem, ſive vires ipſis adderem, ſemper me dehoneſtarunt per imagines" Mala, quae Iſraelitis obvenerant, vocat *caſtigationes*, cf. Deut. VIII, 5. Jeſ. XXVIII, 26. Kimchi verbo יִסַּר *ligandi* ſignificatum tribuens, quem obtinet אָסַר, verba ſic interpretatur: *ligavi*, i. e. conſtrinxi, ne laxa et ſoluta eſſent, roboravi. Sed Piel יִסַּר ubique *caſtigare, erudire* denotat. Vertendum igitur: *ego erudivi et roboravi brachia eorum,* i. e. docui eos brachiis recte in dimicando uti, erudivi ea ad bellum, ut Pſ. XVIII, 35. מְלַמֵּד יָדַי לַמִּלְחָמָה *qui docet manus meas ad bellum,* et Pſ. CXLIV, 1. הַמְלַמֵּד יָדַי לַקְרָב אֶצְבְּעוֹתַי לַמִּלְחָמָה *qui docet manus meas dimicare, digitos meos ad bellum* gerendum *inſtruit.* חִזַּקְתִּי זְרוֹעֹתָם *Confirmavi brachia eorum,* vires eis auxi, Ezech. XXX, 24. 25., ut hoſtes repellerent, et terminos regni reducerent, quod ſub Joaſo, 2 Reg. XIII, 15—25., et inprimis Jeroboamo, 2 Reg. XIV, 25. 26. eſt factum. וְאֵלַי יְחַשְּׁבוּ־רָע *Sed illi cogitarunt adverſus me* (pro עָלַי) *malum*, dum meum cultum vel deſeruerunt prorſus, vel idolorum cultui junxerunt. Reges Iſraelis omnes ac ſinguli (etiam illi, qui cetera laudabiles fuerunt, ut Jehu, 2 Reg. X, 31. Joas, XIII, 2., Jeroboamus, II., 2 Reg. XIV, 24., et ultimus, Hoſeas, ibid. XVII, 2.) ſuperſtitioſum vitulorum cultum, contra tot monita et ſeveriſſimas prophetarum correptiones (cf. infra VIII, 5.), nihilominus retinuerunt, iisdem rationibus politicis permoti, quibus illum introduxerat Jeroboamus I., vid. 1 Reg. XII, 26. ſeqq. Aben-Eſra verbis *contra me ſ. de me cogitant malum* hoc innui putat, foviſſe Iſraelitas hanc ſuſpicionem, ac ſi ex divino in ipſos odio profectae fuiſſent iſtae caſtigationes, quum tamen hoc ſpectaſſet Jova, ut paternis eos caſtigationibus inſtituendo emendaret et firmaret. Rittershuſius:

Caſtigavi homines, luxataque brachia eorum
Ruptaque firmavi; ſed me ſprevere medentem,
Conſiliis et me adverſum coiere nefandis.

16. Verba יָשׁוּבוּ לֹא עָל plures vertunt: *convertunt ſe,* ſed *non* ad *Altiſſimum,* coll. ſupra Vs. 10. Jerem. IV, 1. quaſi עָל idem ſit quod עֶלְיוֹן. Ita Kimchi: „Cum eis calamitas ingruit, ad idola ſua ſeſe verſunt, et ad ea clamant, non ad me, Dominum totius orbis terrarum.“ Sed quum על nusquam alias pro adjectivo uſurpetur, praeſtat, adverbialiter capere, hoc modo: *convertuntur,* ſed *non ſurſum,* *πρὸς τὰ ἄνω,* ut infra XI, 7., ad coeleſtia et divina, ſed, ut ſupra Vs. 14. dictum, *τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες, ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία,* Phil. III, 19. Scribitur vero על h. l. per Camez, ob accentum Zakeph, quemadmodum id ipſum adverbium 2 Sam. XXIII, 1. ſcribitur ob accentum Rebiah; legitur enim ibi: נְאֻם הַגֶּבֶר הֻקַם עָל *dicit vir,* qui *conſtitutus eſt ſupra,* vel *ſurſum.* Jarchi: „Convertunt ſe ad Aegyptum, ſed non ut ſibi prodeſſent. עָל cum Camez ſcriptum ſignificat עילוי, *excellentiam, praeſtantiam.*“ LXX: Ἀπεστράφησαν εἰς οὐθὲν, עָל non exprimunt. Chaldaeus: *averſi ſunt, ut deficerent a lege, non quod malum eis intulerim.* Syrus: ܐܬܗܦܟܘ ܠܐ ܥܠ ܡܕܡ *converterunt ſe nulla de cauſa.* Hieronymus: *reverſi ſunt, ut eſſent absque jugo,* quaſi על legiſſet. Et in Commentario: „Quomodo a principio fuerunt, priusquam vocarem eos per Abraam, et poſtea per Moyſen et Aaron, et erant absque jugo legisque notitia, et cunctis nationibus miscebantur; ita etiam nunc reverſi ſunt ad priſtinum ſtatum, ut absque jugo et frenis deferentur per praecipitia.“ הָיוּ כְּקֶשֶׁת רְמִיָּה *Facti ſunt ſicut arcus doloſus,* „qui percutit dirigentem, et vulnerat Dominum ſuum,“ inquit Hieronymus. Idemque: „Mutati ſunt in arcum doloſum, ut quem Deus contra adverſarios intenderat, ipſi contra ſuum Dominum verterent, et mitterent adverſus eum blasphemiarum ſagittas.“ Ita et Hebraei fere. Rectius tamen alii *arcum remiſſum* intelligunt, i. e. qui, nervo rumpente, fatiscit, nec ferit jaculando; cf. not. ad Pſ. LXXVIII, 57. Quae comparatio optime quadrat. Iſraelitae enim, ſi aliquando ad meliorem frugem redire coeperunt, mox remiſerunt,

miserunt, et in priorem relapsi sunt impietatem. יִפְּלוּ בַחֶרֶב שָׂרֵיהֶם Ideo *gladio cadent* impii *principes eorum,* de quibus Vs. 4. 5. IX, 15. מִזַּעַם לְשׁוֹנָם *Ob furorem,* proterviam, *linguae eorum,* ob maledicta quibus me lacessunt, Vs. 14. Kimchi: „Propter verba, quibus Deum ad iram provocarunt. Ea erant, cum dicerent, se, si hostis ingrueret Assyrius, in Aegyptum petendi auxilii causa profecturos.“ LXX: διὰ ἀπαιδευσίαν γλώσσης αὐτῶν. Chaldaeus: מֵעַמְקוּת, לִישָׁנְהוֹן *propter profunditatem,* i. e. balbutiem, haesitationem *linguae eorum.* Ita in Bibliis Basileensibus legitur. Sed melius in Bibliis Regiis s. Antverpensibus pro מֵעַמְקוּת legitur מֵעִקְמוּת, *ob perversitatem,* impietatem *linguae eorum.* Syrus: ܡܢ ܡܪܚܘܬܐ ܕܠܫܢܗܘܢ *ob audaciam,* inverecundiam, *linguae eorum.* זו *Haec,* pro זאת, ut Psalm. CXXXII, 12. לַעְגָּם בְּאֶרֶץ מִצְרָיִם Erit *subsannatio eorum in terra,* vel, *ob terram Aegypti,* i. e. in extrema sua necessitate non tantum vana spe se delusos sentient ab Aegyptiis, in quibus fiduciam suam collocabant (Vs. 11.), sed quo nihil gravius miseris accidere potest, ipsa illa clades his, quos sibi putabant amicos foederatosque, ludibrio erit atque irrisioni. Genuinum est Jesajae oraculum XXX, 3., ubi legationem ad Aegyptios hoc tempore missam ignominiam ejus auctoribus futuram praedicit. Minus commode alii *derisionem* capiunt active, de eo quo Ephraimitae Deum deriserunt quasi et ludibrio habuerunt in Aegypto. Ita Chaldaeus: *ita erant opera eorum, dum essent in terra Aegypti.* Convenit Hieronymus, qui verborum יִפְּלוּ וגו׳ sensum hunc in modum enarrat: „Unde principes eorum, qui infelicem populum deceperunt, cadent gladio propter furorem linguae suae, quod vitulos aureos deos appellare sunt ausi, ut hoc facerent in terra repromissionis, quod in Aegypto didicerant, colentes Apim Aegyptium, et omnia eorum portenta venerantes: ita enim et in solitudine, quando egressi sunt de Aegypto, Dominum subsannaverunt, dicentes (Exod. XVI, 3.): *Isti sunt*

d i

dii tui, Iſrael. Et (XXXII, 4.): *Utinam eſſemus in terra Aegypti, ubi ſedebamus ſuper ollas carnium,* et caetera.“ Ritterhuſius:

Convertunt ſeſe; verum male: ſunt velut arcus,
Qui jaculatorem fallaci decipi ictu,
Aut etiam intenſus nervo rumpente fatiscit.
Ergo cadent caeſi proceres, quos hauriet enſis,
Exacuit quem lingua furens. Ita ſcilicet ipſi
Demerſi exitio Phariis ludibrium in oris
Debebunt, ſannis atque excipientur amaris,
In riſumque minae, ſine viribus irritae, abibunt.

Cap.

Cap. VIII.

ARGUMENTUM.

Comminatur hoſtem invecturum in Iſraelem ac deſtructurum, quod Jova deſpecto et inconſulto et regnum ſibi et rempublicam inſtituerint, atque idolorum gentiumque opem amicitiamque ambierint, et urbes arcesque aedificaverint, quae eos juvare nil poterunt, quin pereant. De tempore editi hujus vaticinii vid. Argument. Cap. VII.

---

1. אֶל־חִכְּךָ שֹׁפָר *Ad palatum*, guttur, i. e. per ſynecdochen, os *tuum tubam*, ſ. buccinam ſcil. *pone, adhibe.* Chaldaeus: *propheta, clama gutture tuo, quaſi ſit tuba.* Syrus: ܦܘܡܟ ܐܝܟ ܩܪܢܐ *os tuum ut buccina* ſit. Quod pauciſſimis verbis dicit Hoſeas, idem pluribus exprimit Jeſajas LVIII, 1. *Clama gutture effuſe, attolle quaſi tubae tuam vocem.* Hieronymus: „Hoc quod interpretati ſumus *in gutture tuo ſit tuba*, pro quo in Hebraeo ſcriptum eſt ***Alechcha Sophar,*** Aquila, et Symmachus et Theodotio ſimiliter transtulerunt. Soli Septuaginta dixerunt: *in ſinu eorum quaſi terra* (*εἰς κόλπον αὐτῶν ὡς γῆ*, pro חִכְּךָ male legerunt חֵיקְךָ), quod quid ſignificet, incertum eſt. Quidam enim aeſtimant, ſinum dupliciter accipi, et inferiorem partem veſtimenti a genitalibus usque ad pedes, et colpum maris, id eſt, ſinum, verbi gratia, Hadriatici, et Jonii, et Propontidis; falſosque magiſtros, qui blasphemiam Aegypti ſunt ſequuti, omnia in ſinu ſuo libidini ſervientia et terrena

ren-

retinere; vel certe in portu et refugio navigationis ſuae nihil pretioſarum mercium, ſed terrena conquirere. Nos autem ſequentes veritatem Hebraicam, coeptae explanationis texamus ordinem. Praecipitur prophetae, et dicitur ad eum: *in gutture tuo ſit tuba*, hoc eſt, ſic exalta vocem tuam, ut tubae ſimilis ſit, ut plurimi audiant, quia plurimi peccaverunt." Sequuntur jam verba, quae proclamare vates jubetur, quare recte illis Chaldaeus praemiſit: *dic:* כַּנֶּשֶׁר עַל־בֵּית יְהוָה *Sicut aquila* velociter adveniet hoſtis *contra domum Jovae.* Chaldaeus: *ecce, ſicut aquila, quae effundit ſe* (דְמִשְׁתַּדֵּי), i. e. volat, *ſic ascendet rex* hoſtilis *cum copiis ſuis, et caſtra metabitur contra domum Domini.* Aquilae, qui alis ſuis rapidiſſime fertur, et ſummo cum impetu, maxime cum in praedam ruit (vid. Bocharti *Hieroz.* P. II. L. II. C. II. T. II. p. 750. edit. Lipſ.), ſaepius comparatur hoſtium inopinato involantium velocitas et impetus, vid. Deut. XXVIII, 49. Jerem. XLVIII, 40. Habac. I, 8. Matth. XXIV, 28., et not. ad Ezech. XVII, 3. בֵּית יְהוָה, *Domus Jovae*, h. l. non templum Hieroſolymitanum indicari videtur, ſed *terra Iſraelitica,* Jovae peculiari quodam modo propria, ut infra IX, 8. 15. Jerem. XII, 8., vel *populus Iſraeliticus*, qui et Num. XII, 7. *familia Dei*, οἶκος Θεοῦ (1 Tim. III, 15. Hebr. III, 6.) dicitur. Cauſſam, cur hoſtis impetum ſuis annunciare vates jubetur, ſubditur: יַעַן עָבְרוּ בְרִיתִי *quia transgreſſi ſunt*, violarunt, *foedus meum,* VI, 7. Jeſ. XXIV. 5. וְעַל־תּוֹרָתִי פָּשָׁעוּ *Et contra* univerſam *legem meam,* per Moſen eis promulgatam (Vs. 12.) *contumaces fuerunt*, ab ea defecerunt, eamque neglexerunt; cf. Jerem. VI, 19. IX, 12. XVI, 11. Ezech. XXII, 26. Hieronymus: „meas caeremonias reliquerunt." Rittershuſius:

Ori adhibeto tubam, atque edicito talia paſſim:
Hoſtis adeſt, reginam avium exaequatque volando,
Eque domo Domini praedas aget, omnia vaſtans,
Omnia diripiens. Nimirum foedus amicum,
Quod cum ipſis quondam pepigi, haud violare verentur

Foe-

Foedifragi, in legemque meam peccare proterve
Deficiuntque a me. — —

2. לִי יִזְעָקוּ Et *ad me* tamen *clamant*, audacter me compellant impudentiſſimi hypocritae, VII, 14. אֱלֹהַי Diſtributive intelligendum: *Deus mi!* unusquisque eorum clamat. יְדַעֲנוּךָ, *Novimus te*, agnoscimus te numen noſtrum venerandum, 1 Sam. II, 12. יִשְׂרָאֵל, *Iſrael*, populus tuus, quem tibi elegiſti. Chaldaeus: *quoties ſupervenit eis calamitas, coram me orant et dicunt: nunc agnoscimus nullum nobis Deum eſſe praeter te; libera nos, quia nos ſumus populus tuus Iſrael.* Hieronymus: „Unde tempore neceſſitatis et anguſtiae, quando captivitas venerit, me invocabunt et dicent: *Deus meus, cognovimus te Iſrael;* nos, qui appellamur Iſrael, ſcimus te atque cognoscimus, et nomen Jacob, qui tibi placuit, ſervamus antiquum, ut dicamur Iſrael.“ Rittershuſius:

— — Interea tamen (o pietatem
Fucatam!) his fictis clamoribus aſtra laceſſunt:
Iſraeligenae te agnoscimus, o Deus, et te
Afficimus ſancti devoto pectore cultu.

3. זָנַח יִשְׂרָאֵל טוֹב *Rejecit Iſrael bonum*, i. e. Chaldaeo explicante, טְעוֹ יִשְׂרָאֵל מִבָּתַר פּוּלְחָנִי *errarunt Iſraelitae a poſt cultum meum*, i. e. per errorem Iſraelitae cultum meum deſeruerunt, ob quem iis conferre bonum ſoleo. Syrus: ܛܥܐ ܐܝܣܪܝܠ ܛܒܬܐ *oblitus eſt Iſrael boni.* LXX: ὅτι Ἰσραὴλ ἀπεστρέψατο ἀγαθά. Hieronymus: *projecit Iſrael bonum;* et in Commentario: „quibus (cf. ad Vs. 2.) reſpondit Dominus: quomodo vocamini Iſrael, quum Iſrael projecerit bonum, id eſt, Dominum Deum ſuum, a quo appellatus eſt Iſrael?“ In alia omnia diſcedit N. G. Schroeder, qui in *Obſervatt. ſelectt. ad Origg. Hebrr.* Cap. V. verbo hebraico זָנַח arabici زَنِخَ et سَنِخَ ſignificationem vindicare ſtudens, *rancidus fuit, ſubſedit*, noſtra verba

(p. 78.)

(p. 78.) ſic vertit: *rancescens ſubſidit Iſrael quoad ubertatem.* „Ornatiori,“ inquit, „Hoſeae ſtylo apprime conveniens eſt figura, in qua זָנַח, *ſilendo rancescere*, atque טוֹב, proprie *ubertas*, et hinc *affluentia bonorum*, ſibi invicem directe opponuntur. Ea *ubertatis* notio quum partim ad ſincerum, et quaſi uber, ſtudium pietatis et virtutis, partim ad opulentiam et felicitatem, transferatur; utroque ſenſu hic, ut alibi paſſim, conjungendo, Iſraeliticus populus ob nefaria crimina ingentes calamitates expertus, dicitur *quoad ubertatem rancescendo ſubſidiſſe.* Significatur, quemadmodum pietatis, ita et felicitatis, quaſi fontes improbis hominibus exarefactos eſſe, priſtinaeque ubertatis non niſi rancidas reliquias, quae illos cunctis deteſtabiles faciat, remanſiſſe.“ Quae interpretatio ex noſtro quidem ſenſu perquam coacta eſt. *Rejiciendi* ſignificatio, quam non ſolum poscit noſter locus, verum et plures alii, ubi de Deo dicitur homines *rejiciente, reprobante*, veluti Pſ. XLIII, 2. XLIV, 10. 24. LXXIV, 1. Zachar. X, 6. al., hebraico זָנַח immerito abjudicatur a Schroedero. Eſt autem iſta *repudiandi* notio cognata *irae, odii* ſignificationi, quae arabico زَنِخَ, ut verbis aliis ſimilis ſignificationis, ineſt. Vid. not. ad Pſ. LX, 3. אוֹיֵב יִרְדְּפוֹ Ideo *hoſtis*, quem Vs. 1. advocaverat, ut velociſſima aquila praedam, *perſequetur eum*, ita ut effugere nequeat. Rittershuſius:

Degener Iſrael ſequitur mala: projicit ab ſe
Omne bonum removetque procul. Quare hoſtis in ipſum
Iſrael infeſtus.

4. הֵם הִמְלִיכוּ וְלֹא מִמֶּנִּי *Ipſi reges conſtituerunt, ſed non ex me*, וְלָא מִמֵּימְרִי *non ex meo juſſu*, ut Chaldaeus explicat. Hieronymus: „Me rege deſerto petierunt ſibi regem, ſicut et gentes reliquae, et fecerunt contra voluntatem meam (vid. 1 Sam. VIII, 7. IX, 16. X, 24.). Denique Samuel ideo eis dura regis exponit imperia, et filios eorum ac filias dicit regibus ſervituras, ut ad Dominum regem clementiſſimum convertantur; ſed illi absque voluntate Dei

prin-

principes exstiterunt. Ergo Saul non ex voluntate Dei, sed ex populi errore rex factus est.“ Alii de regibus per seditionem constitutis, quales Simri, 1 Reg. XVI, 9., Omri, Vs. 16., et Sallum, 2 Reg. XV, 10., hunc locum capiunt. Plerique tamen Jeroboamum I., non exclusis illegitimis successoribus. Seditiose quippe Jerobeamum fuisse a populo electum, ipsumque regnum arripuisse, patet ex 1 Reg. XI, 26. seqq. et XII. Hieronymus: „Potest hoc quod dicit: *ipsi regnaverunt, et non ex me*, etiam de Jeroboam accipi, filio Nabath, et de ceteris principibus, qui ei in imperio successerunt. Nec statim, quia Deus Salomoni iratus regnum ejus dividi voluit, idcirco Israel bene suscepit regem. Debuerat enim juxta legis praecepta interrogare Dominum, an vellet hoc fieri.“ הֵשִׂירוּ Jarchi exponit *removerunt* scil. eos, reges, a se constitutos, וְלֹא יָדָעְתִּי, *me inscio*, non consultus ab illis, quasi השירו esset pro הֵסִירוּ (Dan. XI, 31.), coll. infra IX, 12., notatque Masora parva, verbum illud *removendi* significatu usurpatum nusquam alias comparere cum Sin scriptum. Sensus hic minime incommodus; diceretur enim, non ad Dei nutum, sed ex suo placito fixisse Israelitas atque refixisse imperii leges et reipublicae formam. Chaldaeus autem habet: רַבִּיאוּ וְלָא מֵרְעוּתִי, *ad dignitatem evexerunt, sed non ex voluntate mea*; vocem igitur הֵשִׂירוּ a שׂוּר deductam voluit, quod est *principatum gerere*, cf. XII, 5. Nec aliter reliqui veteres, atque interpretum recentiorum plerique, et recte quidem; ita enim ostendit vates, unde perveniret regum principumve notata ante VII, 3. 5. 7. corruptio, nimirum, quia in regum, sic in principum quoque delectu nulla habebatur divinae voluntatis ratio, ut mirum non esset, quum profana esset eorum in munus immissio, profanum quoque esse eorum regimen, et ad exemplum eorum se componentem universum populum; sed et ostendit sic, cum in summae, tum in inferioris potestatis constitutione procul habitas divinae voluntatis leges, ut ubique probaretur populus Deum suum deseruisse. כַּסְפָּם וּזְהָבָם עָשׂוּ לָהֶם עֲצַבִּים *Argentum suum et aurum suum*

ſuum fecerunt, conflarunt, *ſibi* in *idola,* cf. II, 10. XIII, 2. Innuuntur procul dubio vituli Jeroboami, quorum erectio hic cum regni conſtitutione conjungitur; vid. 1 Reg. XII, 26. ſeqq. Chaldaeus: *argentum et aurum ſuum, quod ſibi ex Aegypto eduxerunt, fecerunt ſibi idola.* Hieronymus: „Et non eis ſuffecit hoc ſcelus, niſi majori impietate facinus duplicarent, ut argentum ſuum et aurum, quod acceperant ad divitias et ornatum, in idola verterent.“ לְמַעַן יִכָּרֵת *Ut exſcindatur* respublica, ſive, quisque eorum. Alii, ut Jarchi et Abarbenel: *argentum,* ut ſit comminatio de perdendis, ob iſtum abuſum, divitiis. Ita Aurivillius *Diſſertatt.* p. 622.: „Vult heic propheta oſtendere, tanto eos ſtudio idola colere, ut, quidquid opum habeant et opulentiae, in nefandum iſtum cultum inſumant; unde fiat neceſſe eſt, ut conſumto in hunc finem auro, quod poſſidebant, et argento, egeſtas eos obruat diriſſima.“ Sed praeſtat, cum veteribus omnibus, de exſcindendis et exſtirpandis ipſis idololatris haec verba accipere. Denotatur particula לְמַעַן non quidem finis ab idololatris intentus, nec ſimplex eventus, ſed reatus et eventus neceſſarii cauſſa, ut Mich. VI, 16. docetur, improba opera ipſis cedere improbis in perniciem; quod ibi ſimili noſtrae loquutioni exprimitur, dum Deus ait: *ſtatuta Omri ſervantur,* לְמַעַן תִּתִּי אֹתְךָ לְשַׁמָּה, *ut dem te in deſolationem.* Nec obſtat, quod hic non eſt לְמַעַן הַכְרִית, *in excisionem,* ut in Michae loco לְמַעַן תִּתִּי; nil enim hujusmodi enallage frequentius, ad quam tamen neceſſarium non eſt confugere, ſi cum Kimchio ſubaudiamus שְׁמָם *nomen eorum.* Cf. Jerem. XLIV, 8. *Me veſtris factis irritatis, alienis adolendo diis,* לְמַעַן הַכְרִית לָכֶם, *ut exſcindamini,* וּלְמַעַן הֱיוֹתְכֶם לִקְלָלָה, *et deteſtabiles ſitis ac infames omnibus terrarum gentibus.* Rittershuſius:

Ipſi conſtituêre coorto ſchismate reges,
Me non conſulto, nova confirmanteve ſceptra;
Praefecere Duces, quos non agnosco; nec auctorem
Imperii proprii poſſunt laudare Jehovam.
Idola ex auri maſſa argentique laborant,

Con-

Conſtituuntque Deos: Aut numina vana, ſaluti
Quae fore crediderant ſibi, ea interitum accelerabunt.

5. In verbis זָנַח עֶגְלֵךְ שֹׁמְרוֹן exponendis admodum variant et veteres et recentiores. Ut ab illis incipiamus, LXX ea ſic reddunt: ἀπότριψαι τὸν μόσχον σου Σαμάρεια. Pro זָנַח enunciarunt זְנַח. Hieronymus: „Quod in Septuaginta legimus: *projice vitulum tuum, Samaria,* cohortatur habitatores ejus, non unius urbis, ſed omnium decem tribuum, quae appellantur Samaria (alioquin in urbe Samaria vituli non erant, ſed in Dan et Bethel), ut projiciat vitulos ſuos, ſuper quos iratus eſt Deus. Sive ἀποτρίψεται, id eſt, *defricet*, ut quos multo tempore colueral, paulatim a ſe defricet et emundet.“ Ipſe Hieronymus vertit: *projectus eſt vitulus tuus, Samaria.* Verbum זָנַח uſum h. l. imperſonalem obtinere arbitratus eſt, de quo vid. N. G. Schroederi *Syntax.* Reg. LX. et Gesenii *Lehrg.* p. 797. 5, *a*). Chaldaeus: טְעוּ בָּתַר עֶגְלָא דְשֹׁמְרוֹן, *errarunt poſt vitulum Samariae.* Interpretem pro זָנַח in ſuo codice זָנָה legiſſe, conjecit Cappellus. Quod tamen ut ſumatur, nequaquam opus eſſe, judicat Buxtorfius *Anti-Crit.* p. 737. „Verbum זָנַח,“ inquit, „non ſumſit ille interpres pro *elongavit, rejecit, abjecit,* ut vulgo, ſed pro *elongavit ſe, receſſit, divertit.* Sic Verſu tertio juxta illius mentem ſenſus eſt: *divertit Iſrael a bono;* pro quo ille dixit: *aberrarunt Iſraelitae a cultu meo.* Verſu quinto: *divertit* Iſrael ad *vitulum tuum, o Samaria!* pro quo ille ſcripſit: *errarunt poſt idolum Samariae.* Sine cauſa itaque hic varia lectio excogitatur. Et quae lectio eſſet זָנָה עֶגְלֵךְ שֹׁמְרוֹן? Dicendum eſſet זָנָה אַחַר עֶגְלֵךְ, et ſic plura mutanda.“ Cum Chaldaeo convenit Syrus: ܛܥܰܘ ܒܥܶܓܠܳܟܝ *errarunt in vitulo tuo colendo.* Intransitive verbum זָנַח accepit quoque Kimchi, ut Thren. III, 17., hoc ſenſu: *ſubduxit ſe,* vel *deſtituit, deſeruit te vitulus tuus,* ſcil. fractus et abductus ab hoſte, Aſſyrio, ita ut nec ipſe amplius ſit, nec juvare te poſſit, nihilque praeter excidium tibi relictum. N. G. Schroeder, loco

loco supra ad Vs. 3. laudato, ex significatione ibi indicata, quam ex Arabica dialecto petitam verbo זָנַח tribuit, nostra verba sic vertit: *Rancidus est vitulus tuus, Samaria,* „i. e. ille vitulus, quem vos, Israelitae, religiose colitis, adeo mihi detestabilis est, ut totus rancere, et intolerabilem foetorem exhalare videatur." Sed verbum זָנַח Hebraeis *foetendi* significatu in usu fuisse, merito dubitatur. Veteribus certe interpretibus plane ille ignotus erat; nec poscit eum locorum, quibus verbum illud occurrit, ullus. Tacemus sensum parum elegantem. Plerique recentiorum retinent transitivam verbi hebraici notionem; sed hi quoque varie. Nonnulli: *rejecit vitulum tuum* scil. Deus. Sed Deus in prima persona hic loquitur, uti docent verba proxima: *exarsit ira mea in eos.* Alii, *hostis* nomen supplentes reddunt: *removit vitulum tuum* hostis, aureum nempe idolum tanquam praedam auferens. Verum non tam poenam idololatriae denuntiari, quam crimen exprobrari hoc Versu apparet. Nobis aptissimum simul et simplicissimum videtur, ita vertere: *rejecit vitulus tuus, o Samaria!* eos scil. Israelitas; *rejecit vitulus* perinde est, ac vitulus, in cultum receptus, in causa est, cur rejiciantur. Cf. infra X, 15. *Sic fecit vobis Bethel.* Accusativus *eos* facile subauditur tam ex iis quae praecesserunt, in quibus de Israelitis sermo erat, quam e proximo בָּם. Hujus Accusativi ellipsis est qualis IV, 12. in הִתְעָה, aliisque in locis haud paucis. Est vero post hoc ipsum verbum זָנַח Accusativi e contextu subaudiendi ellipsis usitata, vid. Ps. XLIV, 10. 24. LXXIV, 1. LXXXIX, 39. Bethelis et Danis vituli (1 Reg. XII, 28. 29.) a prophetis quandoque Samariae tribuuntur, quia haec regni caput erat; cf. X, 5. Amos VIII, 14. חָרָה אַפִּי בָּם *Exarsit ira mea in eos,* Num. XI, 33. 2 Reg. XXIII, 26. Jes. V, 25. עַד מָתַי לֹא יוּכְלוּ נִקָּיוֹן *Quousque non poterunt* ferre, sive admittere *munditiem?* Post יָכֹל subaudiendum aliud verbum, ut et aliis in locis ad odium ac detestationem designandam adhiberi solet, ut Ps. CI, 5. *Superbum* לֹא אוּכָל *non possum* scil. ferre, vid. not. ad eum loc., et Jesaj. I, 13.

Iniqui-

Iniquitatem non poſſum ſcil. ferre. Eſt quidem hoc ad Iſraelitarum improbitatem aggravandam ſignificantiſſimum, quod *innocentiam ne ferre quidem potuiſſe* dicuntur. Similiter Jeremias XIII, 27. לֹא תִטְהֲרִי אַחֲרֵי מָתַי עֹד *Poſt quantum tempus adhuc non mundaberis?* Hieronymus: „Illis non audientibus convertitur ad alios, et quaſi ad tertiam perſonam loquitur: *Usquequo non poterunt emundari?* Quae iſta, inquit, inſania eſt, me dante locum poenitentiae, illos ad ſanitatem nolle converti?“ Rittershuſius:

Spem fallet vitulus, Samaritica quem oppida ſervant,
Auxiliumque ſuis cultoribus haud feret ullum.
Quippe mea ira ipſos ardens ut flamma vorabit.
Ecquando innocuam puramque reſumere mentem
Cura movebit eos, moechumque relinquere morem?

6. כִּי מִיִּשְׂרָאֵל וְהוּא *Nam*, ut demonſtrem juſtitiam querelae meae, et illorum dementiam, *ab Iſraele et ipſe* vitulus ille *eſt*, ortum ſuum habet, prodiit ex eorum officina, ab ipſorum regibus excogitatus et adinventus. Hieronymus: „Quia dixerat: *projice vitulum tuum, Samaria* (Vs. 5.), exponit quis iſte ſit vitulus: *quia ex Iſrael et ipſe eſt*; non ab aliis, ait, vitulum gentibus accepiſtis, ut Baal et Aſtarot a Sidoniis, ut Chamos a Moabitis, ut Moloch ab Ammonitis; ſed vos ipſi, et rex veſter Jeroboam, quod in Aegypto didiceratis, feciſtis in Iſrael.“ חָרָשׁ עָשָׂהוּ *Faber*, artifex, *fecit eum*, cf. XIII, 2. Jeſaj. XL, 19. 20. XLI, 7. XLIV, 9—12. וְלֹא אֱלֹהִים הוּא *Adeoque Deus non eſt*, cf. Jeſ. XXXVII, 19. Chaldaeus: *idolum, cui utilitas non ineſt.* כִּי־שְׁבָבִים יִהְיֶה עֵגֶל שֹׁמְרוֹן *Nam fragmenta fiet vitulus Samariae*, id eſt, in fruſta comminuetur, quomodo Aaronis vitulus, qui in pulverem comminutus eſt, Exod. XXII, 20. Deut. IX, 21. In voce שְׁבָבִים interpretanda, hoc ſolo loco obvia, interpretes in diverſiſſima abeunt. Hieronymus: „In eo loco, ubi nos poſuimus *aranearum telas*, in Hebraico ſcriptum eſt *Sababim*, per *Jod* literam penultimam, non, ut quidam falſo putant, *Sababum*, id eſt, per *Vau*, quod

Septua-

Septuaginta et Theodotion πλανῶν interpretati ſunt, id eſt, *ſeducens*, atque *decipiens*; Aquila *errantibus* ſive *converſis*, Symmachus *inconſtans*, vel *inſtabile*, id eſt, ἀκαταστατὸν, Quinta editio, ῥεμβεύων, *vagus* et *fluctuans*. Nos ab Hebraeo didicimus, *S a b a b i m* proprie nominari *aranearum fila* per aerem volantia, quae dum videntur intereunt, et in atomas atque in nihilum diſſolvuntur. Et recte his Samariae vitulus comparatur, quem eo tempore pro pretii magnitudine, quia aureus erat, populus adorabat. Et ut aranearum fila diſſolvuntur in ventum, ita vitulus Samariae redigetur in nihilum.“ De qua tamen interpretatione Bochartus *Hieroz.* P. II. L. IV. C. XXIII. T. III. p. 504. edit. Lipſ. „Sed Hebraeus ille, quisquis fuerit, vereor, ne viro magno impoſuerit, quum in Hebraeorum ſcriptis nil tale reperiatur. Quin Talmudicis שְׁבַב eſt *frangere*, et שִׁיפָא מְכַשׁוּרָא, *fragmentum de trabe*. Inde igitur שְׁבָבִים a propheta pro *fragmentis* uſurpari valde veriſimile eſt. Itaque Chaldaeus habet, לְנִסְרֵי לְוָחִין יְהֵי, *in fragmenta tabularum erit.*“ Rittershuſius:

Iſraeligenas fabros etiam iſte juvencus
Ut prior ille habuit ſacro fabricatus Aaroni:
Artificique manu conflator praebuit ortum
Formato prior ipſe Deo. Quis numen ineſſe
Sic nato credat ſtolidus, ſic et perituro?
Nam cui divinos jam gens Samaritica cultus
Exhibet, ac vero vitulum pro numine adorat,
Pulvere contritus minimo mox ille jacebit.

7. כִּי רוּחַ יִזְרָעוּ וְסוּפָתָה יִקְצֹרוּ *Quia ventum ſeminant* vaniſſimo cultu ſuo (cf. XII, 2.), ideo *turbinem* ſ. *procellam maximam* (nam ה paragogicum intendit ſignificationem, ut in אֵימָתָה Exod. XV, 16., עֶזְרָתָה Pſalm. LXIII, 8.) *metent*, tanquam fructum, ſeu poenam ſuae impietatis. Verbis *ventum ſeminare* non tam laboris ſtudiique inanitas indicatur, quemadmodum Graecis proverbium huic non diſſimile eſt de vano labore, ἀνέμους γεωργεῖν, *ventos colere*, quam potius,

potius, uti ex addito *turbinem metent* patet, irritum illum laborem damnosum finem allaturum. Hoc igitur vult propheta, amplissimos Israelem, labori tamen convenientes, fructus relaturum. Magno conatu magnas nugas egerat Israel, dum assiduum se sisteret in idolorum cultu; erat hoc quasi ventum seminare, ventum erat messurus. An ventum? imo procellam ac discutientem omnia turbinem. Similiter Prov. XXII, 8. *Qui serit iniquitatem, metet vanum,* infortunium. Contrarium commendatur infra X, 12. Cf. Gal. VI, 7. 8. קָמָה אֵין־לוֹ *Stans seges non* erit, s. relinquetur ei, Israeli, sed omnia prosternentur. קָמָה, inquit Drusius, „proprie *fruges Cereales nondum demessae.* Appellatio a *stando*, nam quia in agro adhuc stant, inde nomen habent. *Segetem* vocant; ea cumulum cum spica comprehendit.“ צֶמַח, *Germenque*, herba segetis, Genes. XIX, 25. Ezech. XVI, 7. Ps. LXV, 11. בְּלִי יַעֲשֶׂה־קֶּמַח *Non proferet farinam,* s. grana, unde farina fiat. Id proprie quidam accipiunt de frumenti penuria, coll. IX, 2. Amos IV, 6. Alii vero, ut prius hemestichium, rectius figurate, ut indicetur, omnia, quae Israelitis adhuc sceperant, aut sperari poterant bona, praesidia, consilia, irrita prorsus ipsis fore. אוּלַי יַעֲשֶׂה Et *si forte* (ut Genes. XVIII, 24. 28.) quid *fecerit* aut protulerit, זָרִים יִבְלָעֻהוּ *barbari* tamen, *peregrini* milites, s. hostes *illud deglutient*, absument, cf. Jesaj. I, 7. XXVIII, 4. Si qua inani vel specie vel spe pascent sese, הַשְּׂמֵחִים לְלֹא דָבָר, *gaudio exsultantes ob rem nihili*, uti est Amos VI, 13., videbunt tamen, suae procellae semente eam dispelli, transferente ad hostes quicquid bonorum ipsis reliquum videbatur. Rittershusius:

Ut severe, metent. Sparsere ut semina ventis,
Turbine sic etiam messis constabit adulta,
Et levitate sua culmus caput eriget expers
Granorum solidorum, et inania grana farinam
Non poterunt spe deluso praebere colono.
Fac quoque suppeditent optatam grana farinam

Hanc tamen externi, qui non severe, vorabunt,
Atque ad se rapient alienae praemia curae.

8. בִּלַּע יִשְׂרָאֵל Totus fere *devoratus* aut *absorptus est* ab hostibus suis *Israel*, vid. supra VII, 8. 9., et cf. Jes. IX, 15., ubi verbum eodem sensu usurpatum. Aliis בִּלַּע est Praeteritum propheticum pro futuro, quasi dicat vates: ut rem breviter dicam, et ultimum ejus eventum indicem, velut ab avida et crudeli bestia tandem absorbebitur Israel, cf. XIII, 8. עַתָּה הָיוּ בַגּוֹיִם *Nunc facti sunt*, f. fient *inter gentes* scil. dispersi, quod quidam subaudiunt, sine necessitate. Praestat, הָיוּ, *erunt*, capere pro *aestimabuntur*, inter gentes non in honore aut pretio, sed כִּכְלִי אֵין־חֵפֶץ בּוֹ *sicut vas* aliquod inutile aut nullius pretii, *in quo nullum est desiderium*, quod nemo curat et diligit, cf. Jerem. XXII, 28. XLVIII, 38. Ps. XXXI, 13. Hieronymus: *Nunc factum est in nationibus quasi vas immundum.* Et in Commentario: „Septuaginta pro *immundo* transtulerunt *inutile* (ἄχρηστον, ita et Chaldaeus, דְּלֵית צְרוֹךְ בֵּיהּ), caetera similiter. Immundum vas, sive inutile, Hebraei matulam vocant, qua ad suscipienda ac projicienda stercora uti solemus. Huic immunditiae idololatras et haereticos comparat, qui miscentur gentibus, dum Dei non custodiunt veritatem, et facti vas in honorem, conversi sunt in vasa contumeliae.“ Rittershusius:

Israeligenas furor hosticus absorbebit,
Captique in variis dispersi gentibus ibunt,
Ceu matulae facti, quas vix oculo usurpare
Sustineas spurcas, caecis damnesque tenebris.

9. Verba כִּי הֵמָּה עָלוּ אַשּׁוּר *nam ipsi ascenderunt Assyriam* Chaldaeus reddidit אֲרֵי אִנּוּן גְּלוֹ לְאַתּוּר *nam ipsi exsules migrarunt in Assyriam.* Male; indicatur causa, cur devorati aut devorandi sint, *quia in* Assyriam sint profecti, opis petendae causa, uti dixit supra V, 13. VII, 11.; cf. 2 Reg. XV, 19. Negotium interpretibus facessit, quod Israelitae Assyriam petentes hic ad eam *adscendere* dicuntur, quum

quum 2 Reg. XVII, 3. rex Aſſyriae Hoſeam, regem Iſraelitarum aggrediens, adverſus eum *adſcendere* dicitur. Kimchius in declaranda hujus loquutionis ratione dubius eſt, num עָלָה h. l. ſimpliciter valeat *abire*, ut Exod. I, 10. Jerem. XXXVII, 5., an vero vates *adſcendendo* verbo hic ideo ſit uſus, quod quum Phul, Aſſyriae rex, veniſſet in terram Iſrael tempore Menachemi, regis, illum adeuntes Iſraelitae etiam editiora loca ſuae regionis adſcendiſſet, ubi rex caſtra haberet, prae ſtudio ineundi cum eo foederis. Quod quam ſit longe petitum, non eſt quod moneamus. Sed quod hic Iſraelitae ad Aſſyriam *ascendiſſe* dicuntur, reſpicit ſitum regni illius Iſraelitis borealem (vid. C. B. Michaelis Diſſertat. *de notionibus Superi et Inferi* rel. §. X. XIII., in *Commentatt. Theologg.* P. V. p. 411. 417.); cum vero 2 Reg. XVII, 3. rex Aſſyrius *ad terram Iſraeliticam ascendiſſe* dicitur, eſt reſpectus militaris, vid. laudat. Diſſertat. §. XXX. p. 442. Quae ſequitur comparatio, פֶּרֶא בּוֹדֵד לוֹ *onager ſolitarius ſibi,* diſſentiunt*, pertineatne ad Aſſyrium regem, an vero ad Iſraelem. Qui ad Aſſyriam referunt, ſpectari exiſtimant indomisam onagri indolem, cui Aſſyrius comparetur ſuis viribus glorians et ſua tantum commoda ſpectans. Ita Rittershuſius:

Fructus hic Aſſyriorum ipſis erit auxiliorum
Quae petiere ſibi. At rex barbarus inſtar onagri
Extitit, atque ſuas res egit, in utilitatem
Intentus propriam, ſocios et vertit in ipſos
Arma, ſibi auxilio quae accerſivere futura.

Sed recte Chaldaeus interpres vidit, illam comparationem ſpectare Iſraelitas; עַל דְהַלִיכוּ בִרְעוּת נַפְשְׁהוֹן כַעֲרָד מְרוֹד בֵית יִשְׂרָאֵל *propterea quod iverunt in voluntate animi ſui, ſicut onager refractarius.* Cum eo libertatis amantiſſimo animali, ut nullo modo cicurari poſſit (vid. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. III. Cap. XVI. T. II. p. 219. edit. Lipſ. et Job. XXXIX, 8. ſeqq.) comparantur Iſraelitae ob eorum indomitam in rejiciendis monitis frugi pervicaciam. Similiter

Arabes جاحش وحده *taliſionem ſolitarium*, et عير وحده *aſinum ſolitarium* dicunt de contumaci, obſtinato, ſuique cerebri homine. R. Tanchum Pocockio laudatus בודד לו recte interpretatur منفرد برايه لنفسه *ſeparatus in ſuo propoſito animae ſuae*, ſuae voluntati obſtinate addictus. LXX: Ἀνέθαλε κατ' ἑαυτόν. Pro פֶּרֶא male legerunt פָּרָה vel פֶּרַח. — אֶפְרַיִם הִתְנוּ אֲהָבִים *Ephraimitae data mercede conduxerunt amores*, cf. II, 11. (al. 14.), ſive uti Hieronymus vertit: *munera dederunt amatoribus*. Cf. Ezech. XVI, 33. Donis ambierunt amicitiam et ſocietatem cum Aſſyriis et Aegyptiis, Jova neglecto, a quo ſolo auxilium eis exſpectandum erat. Chaldaeus: יִשְׂרָאֵל אִתְמְסָרוּ בְּיַד עַמְמַיָּא דְּרָחִימוּ *Iſraelitae traditi ſunt in manus populorum quos amarunt*. Ludov. Cappellus in *Crit. S.* p. 327. interpretem putat legiſſe הָתְנוּ, Hophal verbi נָתַן. Verum recte monet Buxtorfius in *Anticrit.* p. 721. monſtroſum et barbarum in lingua Hebraea eſſe הָתְנוּ. „Paraphraſtes ſenſum transtulit; et libertate ſua uſus eſt, quâ ſaepe. Unde Verſu ſequente idem verbum aliter transtulit. Sed et תָּנָה in lingua Hebraea ſignificat *mercedem, donum dare, porrigere, tradere*: cur non ad illum uſum reſpicere potuit, quaſi propheta dicere voluiſſet: *dono dederunt eos*, vel, *dono dati ſunt amatoribus ſuis*."

10. גַּם כִּי *Etiamſi vero*, IX, 16. Jeſaj. I, 15. Vulgatus: *Sed et quum*. יִתְנוּ בַגּוֹיִם *Pacti fuerint* amores et auxilia (Vs. 9.) *inter gentes*, i. e. utut ſub certis conditionibus paciscantur cum aliarum gentium regibus, in contractuum firmitatem ſua iis dona dependentes. Videntur inprimis indicari gentes Aegypti, ad quas miſerunt contra Aſſyrios excitandas, Vs. 13. „Verbum יִתְנוּ, vel, ut in aliis libris legitur, יִתְּנוּ, dupliciter ſumitur et intelligitur ab interpretibus. Quidam deducunt a נָתַן, ex ſignificatione *dandi*. Sic ſumptum exponunt: *Etiam, quia dederunt* (dona, qualis amatores ſolent dare meretricibus) *gentibus*; vel, *poſteaquam dederunt dona gentibus*, ad quas ſe contulerunt

tulerunt auxilii petendi caufa, *mox congregaturus fum eos*, i. e. aceryatim perditurus. Sic praeftantiffimi interpretes, qui ex fenfu et ferie orationis colligunt, comminationem, non promiffionem hic contineri. Si vero ut promiffionem haec verba fumere placet, hic poteft effe fenfus: *quin quum dederint* fcil. eos *in gentibus*, *tamen colligam eos*, i. e. quum dati fuerint. Sic faepe verba tertiae perfonae fumuntur indefinite et imperfonaliter, nullo Nominativo expreffo, ut ex Grammatica conftat. Alii deducunt a תָּנָה, quod *mercede conducere*, et *pacisci* fignificat; legentes יִתְנוּ, fine Dagefch in Thau, hoc fenfu: *quin et quum mercede conduxerint* fcil. amatores, *colligam eos*, eo animo, ut huc illuc eos difpergam. Vel: *etiam quum pacti fuerint certis conditionibus cum regibus gentium*; *eisque dona dederint*, „*congregabo eas* gentes in terram ipforum, contra ipfos, ut deportent eos.“ Buxtorf. in *Anti-Crit.* p. 558. fequ. עַתָּה אֲקַבְּצֵם *Nunc* tamen brevi (Vs. 13. V, 7. VII, 2.) *colligam illas* ipfas gentes, ad quas Ifraelitae confugiunt, non ad falutem, fed interitum eorum. Ita Kimchi, Abarbenel, aliique, collato Ezech. XVI, 37., ubi Deus minatur fe omnes Judaicae gentis amatores contra eam congregaturum. Sed fimplicius alii ad Ifraelitas Suffixum referunt, diverfo tamen modo ac fenfu. Jarchi: „Etfi vero amores conduxerint inter gentes, tamen eos colligam e gentibus, inter quas difperfi funt, quomodo idem verbum קָבַץ Jefaj. LIV, 7. Jerem. XXXI, 10. ufurpatur, q. d. liberationem eorum non morabor.“ Verum promiffionem in hoc contextu nemo facile exfpectaverit. Aben-Esra vero ita: *colligam eos* in Aegypto; forfan ex collatione Verfus 13. et IX, 6., minus tamen concinne. Rectius alii hoc modo: *colligam eos*, ut vinctos abducendos et inter gentes difpergendos. Alii: *congregabo eos* ad mortem et fame atque gladio perire faciam; cf. III, 3. IX, 6. Vel, ut quidam a Pocockio memorati habent: *cogam, compellam* eos, in Samariam aliasque munitas urbes, ut una tandem capiantur, et in fervitutem abripiantur ab hoftibus. Nec minor interpretum diffenfus

in

in exponendo altero hemistichio, וַיָּחֵלּוּ מְעָט מִמַּשָּׂא מֶלֶךְ שָׂרִים, maxime ob primum illius verbum, quod haud pauci pro Futuro Piel verbi חָלָה, *doluit*, habent vertuntque hoc modo: *et dolebunt parum ob onus regis principumque*, quod Abarbenel sic exponit: „Eveniet, ut quum graviter se angi jam querantur ex onere a rege suo principibusque imposito, quod nunc gerunt, tunc tamen levi se dolore affectos ex hoc onere agnoscant, utpote quos adeo premet captivitatis miseria, ut pro re levi et exigua sint habituri onus, quod terrae suae possessione adhuc fruentes quondam tulere, componentes cum eo praesentes in exilio tam duras aerumnas. Etenim sic comparatas videmus res mundanas, ut homo in tranquilla pace dum fruitur suis bonis, intolerabilem sibi queratur exigui tributi solutionem; at ingruentibus malis si eum premit obsistens undique angustia, nullius aestimabit onus tributi, quod ante aegre tulerat.“ Alii verbum וַיָּחֵלּוּ referunt ad radicem חול, quae, ut יָחַל, et cognata Arabica حل (ex quo Dagesch h. l. derivari poterit) inter alia etiam significat *incidit*, *exspectavit*, *permansit*, *subsistit*, vid. infra XI, 6. Genes. VIII, 10. Jerem. XXIII, 19. Job. XX, 21. Hinc quidam cum Hieronymo vertunt: *requiescent paulisper ab onere*, vel, *propter onera*, quae *reges* Israelis eorumque *praefecti* illis imponunt, ut pecuniam regi Assyriorum adpendant, coll. 2 Reg. XV, 20. XVII, 3. Grotius: „Est χλευασμός. Conquesti vehementer sunt de iis oneribus, quae reges ipsis imponebant, ideoque reges et praefectos occiderunt, VII, 7. 16. Efficiam ego, ne quidquam pendant regibus illis et praefectis, nimirum cum servili conditione in Assyriorum terris vivent. Est autem et illud *paulisper* dictum per irrisum; diu enim duratura erat, quae hic praedicitur conditio.“ Eadem illa *quiescendi* significatione adscita Aurivillius *Dissertatt.* p. 628. Versum integrum ita enarrat: „*Siquidem in gratiam cum gentibus studiose redire quaesiverunt*, ad evitanda, de quibus tantopere conquesti sunt, onera a regibus sibi imposita, *colligam*

eos

eos in patria eorum, et permittam, *ut quiescant paullulum ab onere*, i. e. fiant votorum suorum compotes, liberi sint ab imperatore et gubernatoribus, quibus tanto cum murmure pendunt debita tributa, et sentiant sic, in propriam perniciem et infortunium, omnem anarchiae infelicitatem." Schmidius: „*Et remanebunt pauci ab onere regis* Assyrii et *principum* ipsius, quo illos in captivitate onerabunt et opprimient." Quia tamen Futurum h. l. est in Praeteritum per Vau conversum, et ל in וַיָּחֵלּוּ Dageschatum, adeoque, ut Aben-Esra monet, ex radice חָלַל potius significat *inceperunt*, ut tribus reliquis, quibus eadem forma occurrit, locis, Jud. XX, 31. Ezech. IX, 6. 2 Paral. XXIX, 17., in quibus *incipiendi* notio extra omnem controversiam posita est, rectius alii nostrum locum ita reddunt: *coeperunt* jam *paullulum* scil. *premi*, s. *gravari;* vel sine ellipsi cum R. Tanchum apud Pocockium: *coeperunt* jam *diminui propter onera regis et principum*, ut מְעַט non sit particula, sed Infinitivus (formae שְׁכַב 2 Reg. XIV, 21.) verbi מָעַט, *minui*, Jesaj. XXI, 17. Ps. CVII, 39. Prov. XIII, 11. Capiunt hi interpretes מֶלֶךְ שָׂרִים pro asyndeto, pro מֶלֶךְ וְשָׂרִים, ut infra XIII, 10. habetur; cf. Jerem. XVII, 25. Sunt tamen, qui planae constructionis rationi adhaerentes מֶלֶךְ in statu constructo positum putant, ut vertendum sit: *coeperunt* jam *minui per onus regis principum*, certumque regem designari arbitrantur, eumque describi a potentiae magnitudine et splendore majestatis, quasi subditi ejus principes, atque ut Jesaj. X, 8. diserte de rege Assyrio dicitur, *principes* essent *reges*. Sensus proinde est, ceu veram recipi oportere prophetae de hostium irruptione praedictionem, populumque tandem malorum metu commoveri debere ad poenitentiam, quum per validum jam regem coepisset Deus amputare et oneribus premere Israelem. Ita et Rittershusius, qui germanum hujus versiculi sensum eleganter ita expressit:

Ephraimaea tribus sibi conciliavit amorem
Muneribus, gentesque gravis mercede tributi

Ad-

Adjunxit. *Quare ad poenas mox ipse vocabo,*
Inque unum devota neci illorum agmina cogam,
(Jamque adeo occoepi, ac poenarum exordia sumsi)
Pertaesorum oneris dependendique tributi,
Assyrio quod regi olim pepigere clientes.

Addimus veterum interpretationes. LXX: *Διὰ τοῦτο παραδοθήσονται ἐν τοῖς ἔθνεσι. Νῦν εἰςδέξομαι αὐτοὺς, καὶ κοπάσουσι μικρὸν τοῦ χρίειν βασιλέα καὶ ἄρχοντας.* Patet interpretem finistre intellexisse praelegentem sibi textum hebraeum, et מַשָּׂא cepisse pro מְשֹׁחַ. Graecum Alexandrinum interpretem sequutus Symmachus: Καὶ *μενοῦσιν βράχει ἀπὸ Φόβου βασιλέων, καὶ διαλείψουσι τοῦ χρίειν.* Nec non Theodotion: Καὶ *διαλείψουσι τοῦ χρίειν.* Aquila: Καὶ *λιτανεύσωσιν ὀλίγον ἀπὸ ἅρματος βασιλέως καὶ ἀρχόντων.* Verbum וַיָּחֵלּוּ retulit ad חָלָה, *precatus, deprecatus est.* Hieronymus: *Sed et cum mercede conduxerunt nationes; nunc congregabo eos, et quiescent paulisper ab onere regis et principum.* Quae in Commentario ita exponit: „Quia amant offerre adversariis munera, ideo paulisper beneficium consequentur, ut non solvant stipendia regi et principibus, donec perveniant in Assyrios, ubi nequaquam tributa et stipendia dabunt ut liberi, sed redigentur in ultimam servitutem.“ Chaldaeus: *Si vero Israelitae timorem mei in animos suos reponent, e medio populorum cogam captivitatem eorum, et etiamsi parum sapiant, amovebo ab iis tyrannidem regum et principum.* Syrus: *Quamvis tradantur inter gentes, congregabo tamen eos, ut quiescant paulisper ab onere regum et principum.*

11. כִּי *Nam*, ut caussas illius poenae porro exponam, quarum prima est multiplicatio altarium, altera contemtus legis divinae (Vs. 12.), quae istam multiplicationem severe prohibuit. Schmidius vero hic novam prophetiae partem contra Israelem et Judam incipit, ita ut apodosis ad particulam caussalem *quia* sequatur demum in Versu ultimo, hoc modo: *quia itaque Ephraim multiplicavit altaria* etc., ideo

ideo *immittam* ignem, Vs. 14. Quo modo tamen nexus et conſtructio ſit implicatior. הִרְבָּה אֶפְרַיִם מִזְבְּחֹת *Multiplicavit Ephraim*, et Juda quoque ab eo corruptus (Vs. 14.) *altaria*, IV, 15. Jerem. XI, 13. לַחֲטֹא *Peccando*, ſ. *ut ipſe peccaret*, ut 1 Reg. XII, 30. XIII, 34. Amos IV, 4. Unum namque locum Deus praeſcripſerat, in quo ei ſacrificia offerrentur, vid. Deut. XII, 5. ſeqq. הָיוּ־לוֹ מִזְבְּחוֹת לַחֲטֹא *Factae ſunt ei arae in delictum*, uti Hieronymus vertit, qui in Commentario haec habet: „Ducti, ait, in captivitatem ceſſabunt paulisper ab onere regis et principis (Vs. 10.). Et hoc patientur, quia Ephraim, princeps eorum, multiplicavit altaria, non in quibus immolaret Domino, ſed in quibus peccatis peccata jungeret, quae altaria, id eſt, arae vertentur ei in delictum, ut quanto plura fuerint, tanto illius ſcelera multiplicentur.“ Senſus ſimpliciter eſt hic: in majorem condemnationem ei cedent, ut 1 Reg. XII, 30. *Fecit vitulos aureos*, וַיְהִי הַדָּבָר הַזֶּה לְחַטָּאת *quod ei in peccatum erat*. Ita et 1 Reg. XIII, 33. 34. Abarbenel hunc Verſum accipit ceu reprehenſionem inſatiabilis illius libidinis, qua in augmentum idololatriae ſemper ferebatur populus, quantumvis ſcateret jam undique terra his ſuperſtitionibus. „Dicere voluit,“ inquit, „propheta, indies Ephraimum ſuas operas adduxiſſe, ut nova exſtruerentur et delubra et altaria in idololatriae deterrimos ritus, quamvis perplura a majoribus *exſtarent illis altaria ad peccandum*, ut contenti non fuerint altaribus, quae quaſi per haereditatem a majoribus acceperant, ſed nova quotidie veteribus adjunxerint.“ Chaldaeus ſecundum hemiſtichium ſic vertit: *erant eis altaria idolorum ſuorum in offendiculum.* Interpretem Kimchi obſervat quod prius propheta dixit לַחֲטֹא, *ad peccandum*, de praecedente expoſuiſſe peccato, ſive de cauſſa mox peccati ſecundi, quod ſecundum in offendiculum cedat, ad prolabendum gravius; et pulchre ſic illum expoſuiſſe arbitratur. Non dubium, idololatriae hic pravitatem deſcribi, quae peſtis inſtar ac ſaeviſſimae flammae latius mox ſerpat, et virus malitiae diffundat. Ritterſhuſius:

Ephrai-

Ephraimita ſibi quia multa altaria fecit,
Non contentus eo, quod ſolum ego ſacrificando
Eſſe ſatis volui, peccandi et ita exſtitit auctor,
Multiplicans aras et crimina multiplicavit,
Devotumque caput haud uno crimine vinxit.

12. אֶכְתָּב־לוֹ רֻבֵּי תּוֹרָתִי *Praeſcripſi ei*, Ephraimo, *magnitudines legum mearum*, i. e. dedi eis magnificentiſſimam, pretioſiſſimam legem meam, quam Moſes Deut. IV, 8. omnibus aliis reliquarum gentium legibus antecedere dicit, et Salomon Proverb. III, 15. *pretioſiſſimis unionibus omnibusque hominum deſideriis* praefert. כְּמוֹ־זָר נֶחְשָׁבוּ Sed *tanquam alienum* quid *reputantur*, quibus verbis arguit pretioſiſſimarum illarum legum contemtum et neglectum, quae non pluris ab iis aeſtimantur, quam ſi res extranea aliqua eſſet, quae ad eos minime pertineret. Nam res alienae negliguntur, multoque a nobis minoris, quam noſtrae, fiunt. Verbum אֶכְתָּב Syrus recte in Praeterito vertit, vertuntque recentiorum haud pauci, ſubaudito Vau converſivo, ut in יַךְ ſupra VI, 1., et אֶתֶּן infra XIII, 11. Alii in Praeſenti: adhuc *praeſcribo* ei per prophetas. Ita Jarchi: „Ego aſſidue increpo eum (populum Iſraeliticum) per prophetas meos, et ſcribo ei praecipua legis meae; כְּמוֹ־זָר נֶחְשָׁבוּ, at ea tanquam *aliena habita ſunt.*“ Nec aliter Kimchi: „Ego quidem iſta iis mandata praeſcribo quotidie, dum, quos ego ad eos amando, prophetae ſeriis monitis ſermones legis continuo iis inculcant, ac jugi commoratione in eorum memoriam ſatagunt revocare; illi vero ſusque deque eos habent, quaſi arbitrantes ad ſe non ſpectare.“ Quidam אֶכְתָּב in Futuro vertunt, ſubaudito אִם, *ſi* vel denuo *praeſcribam eis leges.* Ita Hieronymus, qui totum Verſum ſic vertit: *Scribam ei multiplices leges meas, quae velut alienae reputatae ſunt*, „quas prius,“ addit in Commentario, „dederam per Moyſen. Sed quid prodeſt ultra alias ſcribere, quum contemſerit eas, quas ante ſuscepit? An non contemtus Dei eſt, quando, me jubente ut unum in Jeruſalem eſſet altare,

altare, per omnes montes et colles idola fabricati sunt, quibus irritarent Dominum?" Similiter Abarbenel: „Si *praescribantur ei plurima legis meae*, sive mandata, quae continet, tanquam res nova et inandita iis apparebunt, quia *veluti peregrinum quod aestimantur,* ac si nunquam ea auditu percepissent. Itaque huc spectat prophetae nostri querela, quod, licet Israelitae illi essent, pro fabulis tamen haberentur (quia per omne vitae tempus legem audire neglexerant), si quando iis praescriberetur sermonum, quos lex profert, multitudo, atque eximia ejus praecepta, omnino ac si tanquam peregrini nunquam ea audivissent." Rittershusius:

Quanquam ego praescribo documenta amplissima Legis,
Quove coli ritu exopto, quo more sacrorum
Gaudeo, pro nihilo tamen isthaec cuncta putantur,
Aut aliena velut res essent Ephraimitis.

Pro רֻבֵּי, prouti ad marginem legi praecipitur, in aliis codicibus exstitisse singulare רוב, vel רֹב, cum Vau defectivo (in statu constructo positum, ut רֹב שָׁנִים Job. XXXII, 7.), arguit quod in textu habetur, רבו. Vid. Hiller *de Arcano Kethibh et Keri,* p. 121. et 286.

13. זִבְחֵי הַבְהָבַי Quod attinet *ad sacrificia donorum meorum*, i. e. sacrificia, quae illi offerunt mihi, et quasi porrigunt super altari meo. הַבְהָבִים Kimchi recte ait esse nomen a verbo יָהַב *dedit* deductum, duplicatis duabus postremis literis radicalibus, adjecta vero prima radicali, exponitque per מַתְּנוֹתַי *dona mea.* Addit tamen, alios הַבְהָבִים interpretari *ustulata, tosta, assata,* ex usu non modo Talmudicorum, qui dicunt מהבהבין אותו באור *ustulant eum igne,* verum et Arabum, quibus *qui torret* هبهبي dicatur. Ita Jarchi: זבחי עולותי שהם מהבהבים לפני באש שעל מזבחי *sacrificia holocaustorum meorum, quae comburunt coram me igne qui est super altari meo.* Tanchum quoque Pocockio laudatus הַבְהָבִים significare ait القرابين التي يحرقون شحومها لاسمي *sacrificia, quorum adipem*

adipem comburunt nomini meo, i. e. in mei honorem. Idem dicit Arabibus هبهبي denotare الطباخ الشوا *coquum, eum qui torret.* In alia omnia abit Chaldaeus, qui vertit: דִּבְחִין דִּמְנַסְּבִין מִן אוֹנֵס *sacrificant quae colligunt e rapina.* Videtur nominis הַבְהָבַי significatum ab illo אָהֲבוּ הֵבוּ *amant dare* supra IV, 18. deduxisse, quasi הַבְהָבַי essent ea quae parta fuerint exigendo et dicendo הַב הַב *da! da!* Proverb. XXX, 15. Cum Chaldaeo consentit Syrus: ܕܒ̈ܚܐ ܒܓܒܝܬܐ ܡܕܒܚܝܢ *victimas per exactiones* comparatas *sacrificant.* Male latinus in Polyglottis interpres: *victimas selectas sacrificant.* Vix credibile est Syrum interpretem tale quid sensui orationis prorsus contrarium dedisse. Sed ܓܒܐ non tantum *eligere,* verum et *exigere* denotat, unde ܓܒܝܐ est *exactor.* Graecus Alexandrinus, qui *θυσιαστήρια τὰ ἠγαπημένα διότι ἐὰν θύσωσι θυσίαν* vertit, retulit הַבְהָבַי ad אָהַב *amare.* — יִזְבְּחוּ בָשָׂר *Mactant* quidem pro sacrificio *carnem,* cf. IV, 13. 14. 19. Ps. L, 13. וַיֹּאכֵלוּ Eamque *vorant,* IV, 8., cf. not. ad V, 7. VI, 6. יְהוָה לֹא רָצָם *Jova* vero *minime grata,* et accepta habet *ea,* talia sacrificia. Jarchi prioris hujus hemistichii sensum ita declarat: „Ista sacrificia, quae offerenda coram me super altari tradunt, nullatenus decet in conspectum meum produci; sibi proinde ipsa haec sacrificent, ipsimet consumant, mihi enim accepta esse nequaquam poterunt." Quam quidem explicationem praestantissimam fore judicat, si Vau in וַיֹּאכֵלוּ Schwate instructum esset. Quum vero Patach sub se notatum habeat, hoc modo exponendum ait: „Dixerat in praecedentibus, quod multis illi altaribus in idololatriam construendi prodigi fuissent; nunc vero minime sibi grata esse ait, quaecunque sacrificia in aede sacra offerrent, tales quippe, qui desistere criminibus necdum voluissent; ut non alio eorum spectarent sacrificia, quam ut gulae suae inservirent, oblectarentque se comessationibus; pront comedendi occasionem Eucharistica ministrabant, quae in escam sacrificium offerentibus cedebant."

bant." Similiter Hieronymus: „Altaria quoque idcirco fecerunt, non ut mihi placerent; ſed ut multis hoſtiis immolatis carnes earum comederent, juxta illud quod Dominus loquitur in Evangelio (Joan. VI, 26.): *Amen, amen dico vobis, quaeritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia mandicaſtis de panibus et ſaturati eſtis.* Omne enim ſtudium victimarum in eo habent, ut devorent hoſtias, non ut per eas placeant Deo: nec ſuscipiet eas Dominus, quas non illi, ſed ſuo ventri immolaverunt et gutturi." עַתָּה יִזְכֹּר עֲוֹנָם Quin potius *nunc recordabitur iniquitatis eorum,* eam animadvertet, וְיִפְקֹד חַטֹּאתָם, *et viſitabit peccata eorum;* eadem verba infra IX, 9. repetuntur, atque una cum iis, quae hic praecedunt, יְהוָה לֹא רָצָם, leguntur quoque Jerem. XIV, 10. Hieronymus: „Inter *ἀνομίαν*, id eſt, *iniquitatem*, (עָוֹן), et *peccatum* (חַטָּאָה) hoc intereſt, quod iniquitas ante legem, peccatum poſt legem eſt, et qui permanent in delictis iniquitates eorum Dominus recordabitur, quas ante legem commiſerant; peccatorum autem non recordabitur, ſed faciet ultionem." Argute magis quam vere. Verba poſtrema, הֵמָּה מִצְרַיִם יָשׁוּבוּ nonnulli cum ſuperioribus conjungunt hoc ſenſu: puniet Jova eorum peccata, quod non ad ipſum, verum ad *Aegyptios convertuntur*, ut auxilia inde petant; cf. VII, 11. IX, 3. XI, 5. Ita Rittershuſius, qui hunc Verſum hac metaphraſi expreſſit:

Victima multa quidem pretioſas imbuet aras,
Et feſtis dapibus menſas conviva frequentes
Inſtruet, ac ſacras carnes avido ingeret ori:
Nec tamen hisce epulis poterit gaudere Jehova,
Nec Superis impura putes haec ſacra probari.
Quin potius factis ipſorum iratus iniquis
Crimina perpetuo memori omnia mente recondet,
Atque animadvertet poenis atrocibus iſta.
Auxilia Aegypti dum imploravere ſuperbae,
Aeternoque Deo, Regi Aſſyrioque rebelles.

Alii accipiunt haec metaphorice, transferendo huc verba Jeſajae X, 26. בְּדֶרֶךְ מִצְרָיִם *juxta modum Aegypti,* ut ejusmodi

modi illis terra praedicatur exilii locus, ubi procul negotiis divinis, ſicut in Aegypto olim priſca gens Iſraelis, duraque preſſus ſervitute aerumnoſam eſſet Ephraim tracturus vitam. Quod quaeſitum. Non dubium eſt, eſſe comminationem, qualis infra IX, 3. 6., ubi itidem Ephraimitae Aegyptum deportandi dicuntur. Etiam Moſes Deut. XXVIII, 68. Hebraeis divinas leges transgreſſuris minatus eſt, fore, ut in navibus Aegyptum reducantur. Hinc cum prophetae futuram ſuorum liberationem pollicentur eos non ſolum ex Aſſyria, verum et ex Aegypto reductum iri dicunt, vid. infra XI, 11. Jeſaj. XI, 11. Hieronymus: „Ideo autem et veterum iniquitatum recordabitur, et peccata priſtina viſitabit, quia in Aegyptum ſunt reverſi, vel auxilia poſtulantes, vel eosdem colentes deos, in quibus prius erraverunt, Ἄπιν et Μνεῦιν." — „Quod juxta LXX Interpretes (additum ex IX, 3. huic Verſui) legimus: *et in Aſſyriis immunda comederunt* (καὶ ἐν Ἀσσυρίοις ἀκάθαρτα φάγονται), in Hebraico non habetur, et idcirco obelo praenotandum eſt. Poſſumus autem dicere, quod deſiderantes Aegyptum Iſraelitae, capti ab Aſſyriis, ibi immunda comederint juxta Ezechielem, qui (IV, 13.) eos in Chaldaea idolothyta comediſſe deſcribit, et in tantum idolorum polluta ſordibus, ut humano ſtercori compararentur."

14. וַיִּשְׁכַּח יִשְׂרָאֵל *Atque ita obliviſcitur Iſrael,* II, 15. XIII, 6. Jeſ. LI, 13. אֶת־עֹשֵׂהוּ *Factorem ſuum,* Jeſ. XVII, 7. XXII, 11, ad quem ſe convertere, cui confidere debebat. Chaldaeus: וּשְׁבַק יִשְׂרָאֵל יָת פּוּלְחַן עֲבָדֵיהּ *reliquit Iſrael cultum factoris ſui,* i. e. Dei, qui ipſum non modo creavit, ſed etiam auxit, ornavit, amplificavitque. Ita verbum *facio* ſumitur Deut. XXXII, 6. 1 Sam. XII, 6. *Qui fecit Moſen et Aaronem,* i. e. ad dignitatem promovit. וַיִּבֶן הֵיכָלוֹת *Et contra aedificat palatia,* in quibus gloriatur et confidit. Alii: *templa,* ſ. ut Vulgatus habet, *delubra,* idolis, לְטַעֲוָתָא, ut Chaldaeus addit. וִיהוּדָה *Et Juda,* qui, ut in peccatorum, ita eandem etiam in poenae communionem

nem venit, cf. IV, 15. V, 5. 13. 14. הִרְבָּה עָרִים בְּצֻרוֹת *Multiplicavit urbes munitas,* ut sibi tutum in iis refugium haberet, abjecta in Deum suum fiducia. Vid. Jes. XXII, 8. 9. 10. Zephan. I, 16. Cf. de temporibus Usiae 2 Paral. XXVI, 15. 16., et Hiskiae XXXII, 5. וְשִׁלַּחְתִּי אֵשׁ *Ideo* per hostes *immittam ignem,* ut Amos I, 4. 7. 10. II, 2. 5. בְּעָרָיו *In urbes ejus,* Judae. וְאָכְלָה אַרְמְנֹתֶיהָ *Et consumat palatia ejus,* scil. Samariae, s. in regno Ephraim constructa, ad quod plures interpretes suffixum femininum trahunt. Veluti Abarbenel, qui „constat," inquit, „prophetam quandoque Ephraimi regnum in Masculino exprimere, ipsum Ephraimum spectando, aliquando et in Femineo, ut insinuetur imperii dignitas (cf. not. ad V, 9.). Aben-Esra vero verba וְאָכְלָה אַרְמְנֹתֶיהָ sic explicat: *et consumet* ignis *palatia ejus,* i. e. cuncta singularum civitatum palatia." Cf. Amos I, 7. II, 2. 5. Aben-Esrae explicatio mihi potior videtur. Nihil enim rationis se offert, cur verba haec postrema ad Ephraimum speciatim dirigamus. Quodsi Ephraimo soli haec dicerentur, credibile est vatem הֵיכְלוֹתֶיהָ, *templa ejus,* dixisse, quandoquidem modo incusaverat Ephraimum, quod templa construxisset. Liveleus: „Quominus ad Judam utrumque affixum referatur, nihil impedit, ne generis quidem varietas, quam Tremellius hoc evincere dicit, ut alterum relativum ad Israelem referatur. Similis enim relativorum varietas est Thren. II, 5. quae tamen ad idem antecedens referuntur: *Absorpsit* אַרְמְנוֹתֶיהָ *palatia ejus, perdidit* מִבְצָרָיו *munitiones ejus.* Nomina propria populorum indifferenter cum masculino vel feminino genere consentiunt: masculino *populi* respectu; feminino *terrae* vel *congregationis* ratione, ut supra V, 9." Hieronymus: „Oblitus est Israel factoris sui, et aedificavit delubra in excelsis, totos colles et montes, et umbrosas arbores, Baal et Astaroth et aliis idolis consecrans. Judas quoque intelligens Israelem de Dei amore recessisse, et visitata eorum peccata esse, non est conversus ad Dominum, sed in urbium munitione confisus est, quas Do-

Dominus deſtructurum eſſe ſe dicit, et usque ad fundamentum illius voraturum (LXX: καὶ καταφάγεται τὰ θεμέλια αὐτοῦ). *Illius* haud dubium quin Judam ſignificet; licet quidam fundamenta *earum*, id eſt, urbium, pro *illius* legant." Rittershuſius:

Iſraeli opifex animo ſuus excidit; ergo
Templa ſuis ſtruxit delubraque multa Deaſtris:
Judas et progenies varias ſibi muniit urbes;
Aſt ego in ipſius ſubitas mittam oppida flammas,
Ignis edax ubi jam palatia celſa vorarit
Illius, inque atram vertentur cuncta favillam.

Cap.

Cap. IX.

A R G U M E N T U M.

Iſraelitas monet, ne aliis populis ſimiles ludis ac feſtis dent hilares operam, quaſi qui Deum non deſeruiſſent (Vs. 1. 2.), quum e ſua in alienam terram ſint projiciendi, ubi cibis vetitis immundisque vescentur, et ſacra Deo grata minime celebrabunt, atque id quidem apud eos, a quibus in rebus anguſtis omne ſibi ſubſidium prominebant (Vs. 3—6.). Cauſſam vero illius vexationis eam eſſe dicit, quod adeo ſe in omnem intemperantiam et peccandi licentiam projecere, ut multiplici ſcelerum profunditate cum Gabaitis Sodomaeisque comparari poſſint (Vs. 7—9.), et quod quum Deus tam fuerit in ipſos eorumque parentes animo liberali atque amanti, ipſi relicta patria religione ad inania foedaque ſimulacra deflexerint (Vs. 10. 11.). Tandem ſterilitatem et orbitatem a liberis minatur, exilium longum, et nullum in nationibus domicilium ſtabile (Vs. 12—17.).

---

1. אַל־תִּשְׂמַח יִשְׂרָאֵל אֶל־גִּיל *Ne laeteris, Iſrael, ad exultationem* usque, ut Job. III, 22. אַל־גִּיל *Ne exulta,* quod veteres omnes expreſſerunt, de-Roſſi vero in nullo codicum a ſe inſpectorum reperit, praeferendum ei quod in codicibus hebraeis eſt, אֶל־גִּיל, judicavit Cappellus. Sed vere monet Buxtorfius *Anti-Crit.* p. 560., phraſin *laetari ad exultationem,* occurrere et Job. III, 23.; contra אַל־גִּיל eſſe inſolitum et incommode dici, quia Adverbium prohibendi אַל tantum Futuro jungitur, nunquam Imperativo; in

enim גִּיל h. l. ex ſenſu illo eſſe deberet. Pro כָּעַמִּים, quod in libris quamplurimis exſtat, et a veteribus quoque exprimitur, in nonnullis codicibus legitur בָּעַמִּים, cum Beth. Idem ſequutus Abarbenel haec verba ad populum in exilio verſantem dirigi arbitratur, diſcedens ſic non modo a ſuo Chaldaeo, qui לָא תְּבוּעוּן בְּנִימוּסֵי עַמְמַיָּא, *ne exultetis juxta mores populorum,* vertit, verum etiam a Maſora tam typis exſcripta, quam codicis Erfurtenſis, quae notat, כָּעַמִּים ſemel duntaxat occurrere, quum בָּעַמִּים, *in populis*, ſcriptum et alias reperiatur, ut ſupra VII, 8. Pſ. CVIII, 4. Nec dubium, textus id ſeriei magis convenire. Quum notaſſet propheta VIII, 13. 14. Ephraimi in ſuis ſacrificiis voluptates, ac quod intentus modo exſtruendis in idololatriam templis ſecurus ageret veri Numinis, in Juda deinde, quod validis fretus munitionibus tutum ſe haberet adverſus hoſtium vim; pergit nunc oſtendere, vanam ex his et decem tribuum et Judae laetitiam, ac fruſtra eſſe cum populis eos aliis, quorum commerciis fuerant contaminati (VII, 8.), ſeſe componere in feſtivitatum aliisque ſolennibus gaudiis. Id comprobat ex idololatriae primum, cujus maculam ſibi tam avide contrahebant, foeditate, tum ex triſtiſſimis poenis ideo perferendis. Proinde certum arbitramur, quum minae hae ſint, alloquium fieri ad univerſum Iſraelem, ut habitantem adhuc in ſua terra. Quin ſi legendum בָּעַמִּים, *in populis,* haud putemus id urgere nos, quod ceu ad exulantem Iſraelem dici accipiamus. Etenim abſonum non erat, Iſraelem, qui miscuerat ſe gentibus, moneri, ne *in* iis, ſive, quae et ſignificatio τοῦ ב, *cum* iis, pergeret oblectamentum capere ex rebus nihili. כִּי־זָנִיתָ מֵעַל אֱלֹהֶיךָ *Nam tu ſcortaris a Deo tuo,* deſciscendo, omiſſo Deo tuo, foeda in illa idololatria, quam exerces. Cf. eandem phraſin I, 2., et quoad rem II, 7. 10. Ezech. XVI, 15. ſeqq. XXIII, 5. ſeqq. Hemiſtichium poſterius, אָהַבְתָּ אֶתְנָן עַל כָּל־גָּרְנוֹת דָּגָן, plures ſic interpretantur: *amaſti mercedem meretriciam* dare *in omnibus areis frumenti*, i. e. ſimulacris obtuliſti in altaribus juxta areas erectis dona, inſumens huc decimas, quas

ex

ex Lege Deo tuo offerre fuiſti obſtrictus. Ita Chaldaeus: רְחִמְתּוּן לְמִפְלַח לְטַעֲוָתָא עַל כָּל אִדְּרֵי עִיבּוּרָא, *amaſtis cultum idolis offerre ſuper omnibus areis proventus.* Nec non Rittershuſius:

Laetitia Iſraeligenae jam abſiſtite veſtra,
Exultare nefas populorum exemplo aliorum eſt
Vos ultra, quod flagitio gens dedita ſtupri,
Fregeritisque fidem Superis, connubia ſancta
Foedantes, et ſit cordi meretricia merces,
Area uti locuples frumenti copia abundet.

Aliter Jarchi: „quod eſſes ſimilis meretrici ad *accipiendam* meretricis mercedem, ſuper ſ. in omnibus areis frumenti.“ Hoc convenit cum eo, quod ſupra II, 11. legitur, ubi rerum affluentiam accuſatur populus accepiſſe ut *mercedem meretriciam*, qua nimirum obſtrictum quaſi profitebatur ſe ad mutuum erga Deos fictos amorem, ut peravide eam deſideraverit accipere.

2. גֹּרֶן וָיֶקֶב לֹא יִרְעֵם Sed *area et torcular non paſcet eos* frugibus et oleo, ut ipſi ſperant, ſed e contrario fiet, ut omnis ſpes et gaudium eorum evaneſcat; cf. VIII, 7. וְתִירוֹשׁ יְכַחֶשׁ בָּהּ *Et muſtum mentietur ei*, genti Iſraeliticae, fallet exſpectationem ejus, ut X, 13. *fructus mendacii* dicitur qui hominum exſpectationi non reſpondet. Sic Habac. III, 17. *Opus olivae non mentietur.* Simili ratione Horatio *Odar.* III, 1. *fundus mendax* dicitur qui domini ſpem fruſtratur. Chaldaeus: לָא יִסְפַּק לְהוֹן *non ſufficiet eis*, cum per alias calamitates, tum quod hoſtes omnia abſument et diripient. Pro בָּהּ nonnulli codices habent in margine בָּם, alii in textu, contra Maſoram impreſſam et codicis Erfurtenſis ad h. l., itemque impreſſam 2 Reg. III, 24. Liveleus: „Duplex hic lectio fuiſſe videtur. Graeci, Chaldaeus, Hieronymus legerunt בָּם, *illis.* Maſoritae hic annotaverunt, a quibusdam eam lectionem fuiſſe probatam, ut 2 Reg. III, 24. Vulgata nunc exemplaria habent בָּהּ. Quod ad ſenſum attinet, ne pluma quidem intereſt, utramvis ſequamur.

 Sin-

Singularis enim numeri vox *illi* Iſraelitarum congregationem notaverit; ita ſenſus idem fuerit. Graecis vero et numeri enallage hic eſt, *paſcet eos, mentietur illi,* qualis IV, 19. *Ligabit eam, et pudefient.*" Rittershuſius:

Area ſed fallax ventres non paſcet inanes;
Torcular mendax ſpem ludet vina negando.

3. לֹא יֵשְׁבוּ *Non habitabunt,* manebunt, ut ſibi imaginantur, cf. Amos V, 11. Zeph. I, 13. בְּאֶרֶץ יְהוָה *In terra Jovae,* i. e. Canaane, quam Jova ſibi elegit, ut ipſe in ea habitaret, et Iſraelitis, ut populo ſuo, dedit; cf. Deut. XI, 12. Jerem. II, 7. XVI, 18. Ezech. XXXVI, 20. Verba וְשָׁב אֶפְרַיִם מִצְרַיִם quidam ſic capiunt: *et revertitur* quidem *Ephraim* auxilia quaeſitum *in Aegyptum;* ſed fruſtra; nam ab hoſtibus captivi abrepti וּבְאַשּׁוּר טָמֵא יֹאכֵלוּ, *in Aſſyria res immundas comedere cogentur.* Rectius alii: *Sed revertetur Ephraim in Aegyptum,* contra ac promiſſum a Moſe Exod. XIV, 13. *Quos hodie videtis Aegyptios, eos numquam poſthac viſuri eſtis.* Sed inter minas intentas eis, qui leges divinas ſint transgreſſuri Deut. XXVIII, 68. *Reducet eos Dominus in Aegyptum.* Partem igitur in Aegyptum exules diſceſſuros minatur vates, partem in Aſſyriam, ibique cibos immundos comeſturos, quia eis non licebit illic ſecundum praeſcriptum legis divinae vivere, in qua certorum animalium eſus vetitus, ſed more gentium, quibus ſervient, vivere cogentur. Quod ipſum minatur Ezechiel IV, 13. *Comedent Iſraelitae panem ſuum pollutum inter gentes.* טָמֵא *Pollutum,* i. e. cibos immundos, et ideo prohibitos. Rittershuſius:

Hosce habitatores nec habebit terra Jehovae,
Sed Pharias oras gens Ephraimea reviſet,
Atque apud Aſſyrios polluta alimenta vorabunt.

4. לֹא־יִסְּכוּ לַיהוָה יַיִן *Non libabunt,* in peregrinis terris *Jovae vinum,* libamina vini, uti recte Chaldaeus. Cf. Exod. XXX, 6. Levit. XXIII, 13. Sunt, qui Futura Verſu hoc et proximis uſurpata pro Praeſentibus capienda exiſti-

exiſtiment, ut notetur id, quod vatis tempore in cultu vitulorum ſit factum. Sed contextus ſeriei magis convenit, cum Hebraeis et Hieronymo haec de futuro exilio intelligere. Quum igitur Verſu ſuperiore exilium vates impurarum rerum eſu arguiſſet; alium jam illius effectum deſcribit, ſacrificiorum ceſſationem et abolitionem, de qua ſupra III, 4. *Diu manebunt ſine rege, ſine ſacrificio,* et quae ibi ſequuntur. Senſus eſt, eos deinceps cum deportati fuerint, non eſſe ſacrificaturos in terra, ubi nec legitimum altare, nec ſanctuarium eſſet. „Omiſerunt libare Domino, cum poſſent; tempus veniet, ut libare Deo velint, ét non poſſint.“ Grotius. Verba וְלֹא יֶעֶרְבוּ־לוֹ non eſſe jungenda proximo זִבְחֵיהֶם, cum Coccejo, qui vertit: *et non grata erunt ipſi ſacrificia eorum,* ſed diſtingui ſermonem poſt לוֹ, appoſito huic voci accentu diſtinctivo Segolta indicatur. Vertendum igitur: *nec,* ſi vel maxime libarent, *grata erunt ei* libamina. Ludov. de Dieu quidem reddendum cenſet: *et non miscebunt illi* ſcil. vinum, ut exprimatur prima verbi עָרַב ſignificatio, qua idem ſit quod מָסַךְ, unde et libamen מִמְסָךְ, *mixtum,* dicitur Jeſaj. LXV, 11. Sed *miscendi* ſignificatum עָרַב in Hithpael tantummodo obtinet, vid. Prov. XIV, 10. XX, 19. XXIV, 21. Pſ. CVI, 35. Eſr. IX, 2. Retinenda igitur vulgo recepta interpretatio, cui favet locus Mal. III, 4., ubi oppoſita ſententia, וְעָרְבָה לַיהוָה מִנְחַת יְהוּדָה *grata Jovae oblatio Judae.* Jam quod de libaminibus dixit, idem de ſacrificiis pergit dicere, fore ut ab iis abstineant: זִבְחֵיהֶם כְּלֶחֶם אוֹנִים לָהֶם *Sacrificia eorum quaſi panis,* cibus, *luctuum,* ſ. *lugentium* (nam utrovis modo poteſt אוֹנִים capi) erunt *eis,* a quo Deus abhorrebat, ut finis hujus Verſus oſtendit, quo negat *hujusmodi cibos in domum Jovae venire,* i. e. ei gratos et acceptos eſſe. Si victimas offerre velint, non erunt Deo gratae, quia contra Legem in ſolo profano offerenda eſſent. *Lugentium cibus* eſt is, quo lugentes in coenis funebribus veſcebantur. Quo de ritu videre licet Jerem. XVI, 7. 8. *Nec impartientur cibum illis in luctu, nec in domum convivii venies.* Item Ezech.

XXIV,

XXIV, 17. *Mortuorum luctum ne facito, neque cibum lugentium comedito.* Ad quem locum cf. not. Erat autem cibus iſte impurus, quia a lugentibus, qui polluti habebantur, edebatur, Levit. XXI, 1. 3. *Quicquid* enim *pollutus tetigerat, immundum erat*, Num. XIX, 22. Hinc Haggai II, 13. affirmat *quemvis cibum ab eo tantum, qui immundus eſſet a mortuo, pollutum eſſe.* Sed praeter immunditiem alia adhuc cauſſa erat, quare ſacrificia Jovae ingrata cibo lugentium comparantur, nimirum quia ſacrificia offerentes laetari et cum gaudio id munus obire tenebantur, Deut. XII, 7. Hinc illa Iſraelitarum profeſſio ibid. XXVI, 14. *Non comedi ex eo in luctu meo, nec in mortuum ex eo dedi.* Jarchi nomen און notione *roboris, violentiae* et *oppreſſionis* (coll. Jeſaj. XL, 26. Pſ. XXVIII, 17. Job. XVIII, 1.) h. l. capiendum arbitratus verba noſtra ſic interpretatur: *ut panis qui per vim et violentiam eſt acquiſitus;* collata ſimili ſententia Jeſaj. LXI, 8., ubi Deus odio habere dicitur *rapinam* (גָּזֵל) *holocauſto conjunctam.* Quam tamen interpretationem, ut et alias nonnullas minus probandas merito repudiavit receptamque pluribus vindicavit Traug. Garmann in Diſſertat. *de pane lugentium Hoſ.* IX, 4. Viteberg. 1708. 4., repetita in *Theſauro Novo Theolog. Philolog.* ſive *Sylloge Diſſertatt. Exegeticar.* Vol. I. p. 1028. ſeqq. LXX: Ὡς ἄρτος πένθους. Chaldaeus ſenſum in univerſum ſpectans כְּלֶחֶם מְרַחַק, *ſicut panis abominationis,* poſuit. Syrus: ܐܝܟ ܠܚܡܐ ܕܐܘܠܨܢܐ *panis anguſtiae.* Hieronymus: *Quaſi panis lugentium.* Et in Commentario: „Non eſt enim licitum de ſacrificiis comedere lugentium, et ſi comederit, immundum fiet, quod licite oblatum eſt. Lugentium coenas Graeci νεκρόδειπνα vocant, nos *parentalia* poſſumus dicere, ab eo quod parentibus mortuis immolentur. Et non ſolum qui obtulerit, ſed etiam qui comederit de hujusmodi cibis, immundus erit.“ כָּל־אֹכְלָיו יִטַּמָּאוּ *Omnes comedentes illum* cibum *polluentur;* cf. Levit. XI, 7. 8. Ezech. XLIV, 25. Tantum abeſt, ut ſuis ſacrificiis ex-

expientur, ut potius omnia ipſis pro peccatis a Deo reputentur. Verba כִּי־לַחְמָם לְנַפְשָׁם quidam vertunt: *nam panis eorum ipſis erit*, i. e. ipſorum tantum uſibus, vitae ſuae ſustentandae ſolummodo inſerviet; Deo nil offerre poterunt. Alii: *cupiditati ipſorum* exſatiandae inſerviet; quo ſenſu נֶפֶשׁ Deut. XII, 15. 20. XIV, 26. Pſ. LXXVIII, 18. uſurpatur. Ita Hieronymus: „*Sed erit animae eorum*, eſt ſenſus, ſuae gulae, et ſuae provident voluptati." Sunt etiam, qui reddant: *pro mortuo ipſorum*, nam pro *mortuo* נֶפֶשׁ dictum reperitur Levit. XXII, 4. Num. V, 2. IX, 6. 7. 10. Hagg. II, 13. Ita Rittershuſius, qui hanc dedit integri Verſus metaphraſin:

Illic non poterunt vinum libare Jehovae;
Suavia ſed nec erunt Domino libamina eorum.
Quicquid ſacrificant, panis lugubris ad inſtar
Polluet os quisquis partem guſtaverit inde;
Nam pro defunctis cibus eſt oblatus eorum.
Quem prohibent aedi Leges inſerre Jehovae.

Nos mallemus verba כִּי־לַחְמָם לְנַפְשָׁם cum proximis, לֹא יָבוֹא בֵּית יְהוָה, jungere hoc ſenſu: *nam panis ipſorum*, oblatio quam *pro ſe* offerunt, *non veniet*, non deferetur, *in domum Jovae* (cf. Joſ. VI, 19.), quia *non manebunt in terra Jovae* (Vs. 3.), ubi templum erat, in quo ſolo ſacrificia rite peragi poterant (Levit. XVII, 3.), et oblata Deo grata erant.

5. Tertium calamitoſae eorum captivitatis argumentum, quod ne feſta quidem ſolennia celebraturi ſint. Quod ante II, 10. (al. 13.) minabatur: *Abolebo gaudia, feſta, novilunia, ſabbata, ſolennitates.* מַה־תַּעֲשׂוּ לְיוֹם מוֹעֵד וּלְיוֹם חַג־יְהוָה *Quod facietis in die ſolenni, in die feſtivitatis Domini?* vertit Hieronymus, et in Commentario: „Quum venerit, inquit, dies captivitatis, et ſaeviſſimus hoſtis ingruerit, quae mea ſolennitas eſt? quam ego placabilem habeo hoſtiam?" Grotius: „מוֹעֵד, quod hic vertitur *dies ſolennis*, eximie dicitur de Paſchate et illis diebus, quibus ex

ex omni terra in templum conveniri lex praeceperat Exod. XIII, 10. XXIII, 15. XXXIV, 18. Levit. XXIII, 4. חַג vero, quod hic transtulit *diem festivitatis*, latius patet, ut apparet Jud. XXI, 19. Ezech. XLVI, 11., ubi *interlunia* intellexit Latinus interpres, quas *nundinas* appellat. Quid faciatis tunc, ait propheta, cum venient tres illi dies solennes, aut alii dies festi? voletis otiari, sed domini vobis id non permittent; urgebunt vos operibus." Rittershusius:

Quonam agitabuntur vobis solemnia ritu
Festa Dei, aut sacra operari qualibus illic
Tunc dabitur vobis?

6. כִּי־הִנֵּה הָלְכוּ מִשֹּׁד *Nam ecce abierunt*, abibunt (Praeteritum propheticum) in exilium *a vastatione*, ob devastationem terrae ab hostibus illatam, cf. VII, 13. מִצְרַיִם תְּקַבְּצֵם *Aegyptus*, in qua auxilium et refugium quaerunt (Vs. 3.), mortuos *colliget;* verba *colligendi* ad sepulturam significandam adhibentur, vid. Jerem. VIII, 2. Ezech. XXIX, 5., quemadmodum Arabibus قُبِضَ *comprehensus fuit* i. q. mortuus est. Quare statim subjicitur: מֹף תְּקַבְּרֵם *Sepeliet eos Moph*, Memphis, regum Aegypti quondam sedes. Nomen מֹף, sive, ut in nonnullis codicibus plene legitur, מוֹף, contractum ex Aegyptiaco ⲘⲈⲚⲞⲨϤⲒ, *Menuphi*, quod Graeci Μέμφις, et Arabes مَنْف, *Menf*, efferunt, Copti hodienum eam urbis Cahirae partem, quae ab altera parte Nili superest, Arabibusque مِصْر, *Mesr*, dicitur, appellant ⲘⲈⲚϤ *Menf*. Plutarchus in libro *de Iside et Osiride* p. 639. ed. Steph. nomen Menphis alios ὅρμον ἀγαθῶν, alios τάφον Ὀσίριδος interpretari narrat. Prius etymon illustravit e duobus vocibus Aegyptiacis ⲘⲈϨ *Meh*, *plenus*, et ⲚⲞⲨϤⲒ *nouphi*, *bonus*, P. E. Jablonskius in Dissertat. *de terra Gosen* §. IV. in *Opuscull.* T. I. p. 131. seqq. nec non in *Collect. vocum Aegyptiacar.* in *Opuscc.* T. I. p. 137. 150.

179. 180. Adde Champollion *l' Egypte sous les Pharaons* T. I. p. 361. seqq. Alterum J. Kocher in *Miscell. Observatt. Critt. Nov.* T. II. p. 132—135. e vocibus ⲘϨⲀⲨ *mhau, sepulchrum*, et ⲞⲘⲪⲒ sive ⲞⲘⲪⲒ, *omphi*, quandoquidem Osiris ab Aegyptiis, teste Plutarcho, etiam appellabatur Ὄμφις, tamquam Εὐεργέτης. Cf. Te Water ad Jablonskium T. I. p. 137., et Michaelis *Supplemm.* p. 1536. seqq. Hieronymus: „Quid igitur facietis in die festivitatis Domini? (Vs. 5.) Respondete. Illis tacentibus, sibi ipse respondet, imo quae facturi sint, divinis oculis intuetur: Ecce, inquit, miseria et vastitate prementibus, et Assyrio atque Chaldaeo captos ligare cupientibus, ad Aegyptum confugerunt. Ibi Memphis sepeliet eos, quae eo tempore erat metropolis Aegypti, antequam Alexandria, quae prius appellabatur *No*, ab Alexandro Macedone et magnitudinem urbis et nomen acciperet.“ Rittershusius:

— — En ut vastatio cuncta
Funditus exscindet. Nilotica colliget ipsos
Ora, dabitque neci; Memphis dabit inde sepulchris.

מַחְמַד לְכַסְפָּם *Desiderium* hostium tendet *ad argentum eorum*, ut de Edomo Obad. Vs. 6. נִבְעוּ מַצְפֻּנָיו, *expetiti sunt thesauri ejus.* Alii haec verba cum proximis conjungunt hoc modo: quod ad *desiderabilia* s. *pretiosa* (ut Vs. 16, 1 Reg. XX, 6. Jes. LXIV, 10.) *argenti eorum* attinet (ut ל sit Genitivi nota, ut 1 Paral. XXIII, 28. טָהֳרַת לְכָל־קֹדֶשׁ *mundities omnis rei sanctae*; cf. Storrii *Observatt.* p. 291. b.), קִמּוֹשׂ יִירָשֵׁם *carduus*, s. *urtica ea possidebit.* Ita Rittershusius, qui מַחְמַד pro *fanis* sumsit, quemadmodum forsitan Jesaj. LXIV, 10. capiendum, et hinc posteriorem hujus Versus partem sic expressit:

Queis nunc stant idola locis argentea, magno
Cum desiderio quae cultor quisque frequentat,
Tempus erit, quando urticae hic spinaeque rigentes
Undique crescentes tentoria tota tenebunt,
Amplius atque inibi nemo festigia figet.

Sed

Sed interpretationem antea propositam videtur accentus Rebia distinguens, voci לְכַסְפָּם appositus, commendare; tum et numeri mutatio in יִירָשֵׁם, *possidebit eos*, i. e. loca ab iis habitata; quod suffixum plurale non satis commode ad singulare מַחְמַד refertur, nisi id collective, et suffixum distributive accipias (*unumquodque eorum*), cui rationi nec ego admodum refragabor, ut sit: *loca desiderabilia argento eorum* asservando destinata quod attinet, *urtica ea hereditabit*, f. *jure* quasi *hereditario accipiet*. Kimchi מַחְמַד לְכַסְפָּם exponit בתי חמדתם שהיו אוצרות כספם *domos desiderii sui*, i. e. domos suas desiderabiles, quae erant *repositoria argenti sui*. Chaldaeus: בֵּית חֶמְדַת כַּסְפְּהוֹן קִרְסְלִין יֵירְתוּן *domus desiderabilis argenti eorum ferae possidebunt*. Eum sequutus Jarchi מַחְמַד לְכַסְפָּם exposuit אוצרות כספם, *thesauros argenti eorum*, aedes, quibus suum recondunt argentum. Hieronymus vertit: *desiderabile argentum eorum urtica haereditabit*. Et in Commentario: „Desiderabile autem argentum eorum, quod urtica possedit, villas et omnia ornamenta villarum intelligemus, quae pretio emuntur argenti."

קִימּוֹשׁ quod LXX ὄλεθρον, Syrus ܢܘܟܪ̈ܝܐ, *peregrinos*, reddunt, recentiores, Hieronymum sequuti, *urticam* vertere solent, duobus reliquis, quibus haec vox legitur, locis, Jesaj. XXXIV, 17. et Prov. XXIV, 31. (ubi tamen קִמְּשֹׂנִים exstat), satis apte, probante quoque Celsio *Hierobot*. P. II. p. 206. Et R. Tanchum نوع من الشوك *speciem spinae* notare ait. *Herbas vilissimas inutilesque* (*Unkraut*) loco Jesajano et Proverbiorum nomine Hebraeo indicari arbitratur etiam J. D. Michaelis *Supplemm*. p. 2195., collato Arabico قَمَشَ, *collegit, corrasitque undiquaque, peculiariter de solo res minutiores*, indeque in Conjugat. II. قَمَّشَ, *edit quidquid inveniret quamvis vilissimum esset*. Sed nostro loco eandem illam vocem *avidissimum et rapidissimum quemque* notare existimat, quem significatum ex Arabici verbi notione derivat, unde nostrum locum sic vertit: *desidera-*

deratiſſima argenti illorum avidiſſimus et rapaciſſimus quisque haereditabit. Verum ut taceamus, parum eſſe veriſimile, eandem vocem unico loco diverſam ſignificationem obtinere ab ea, quam ceteris locis tenet; ea ſententia quae *urticae* ſignificatu adſcito prodit, eſt elegantior, atque magis poetica, pulchreque praeterea congruens verbis, quae proxime ſubjunguntur: חוֹחַ בְּאָהֳלֵיהֶם *Spinae* ſuccreſcent *in habitaculis eorum,* בְּבִרְנְיָתְהוֹן *in palatiis eorum,* ut Chaldaeus vertit, eadem ſententia Jeſaj. XXXII, 13. XXXIV, 13., et in Virgiliano illo *Eclog.* V, 39.

Carduus et ſpinis ſurget paliurus acutis.

Chaldaeus pro קִימּוֹשׂ et חוֹחַ poſuit animalium nomina, קַרְסְלִין i. q. קַרְצְלִין *aves quasdam longis cruribus* aquatiles, et חֲתוּלִין *feles feras.* Cf. Jeſaj. XXXIV, 11. Hieronymus: „Quodque ſequitur, *lappa in tabernaculis eorum*, longam ſignificat vaſtitatem, ut ubi quondam domus eorum erant, ibi lappae et urticae naſcantur ac ſpinae.“ LXX hunc Verſum ita diſtinxerunt atque verterunt: *Διὰ τοῦτο ἰδοὺ πορεύονται, ἐκ ταλαιπωρίας Αἰγύπτου, καὶ ἐκδέξεται αὐτοὺς* Μέμφις, *καὶ θάψει αὐτοὺς* Μαχμάς· *τὸ ἀργύριον αὐτῶν ὄλεθρος κληρονομήσει, ἄκανθαι ἐν τοῖς σκηνώμασιν αὐτῶν.* Ad quae Hieronymus haec notat: „Quod in Septuaginta dicit, *ſepeliet eos Machmas;* in Hebraeo non habetur; ſed *Mamad,* quod appellatur *deſiderabile.* Ex quo perſpicuum eſt, falſos eos eſſe ſimilitudine literarum *Daleth* et *Chaph,* et pro *Mamad* quod omnes *deſiderabile* transtulerunt, putaſſe *Machmas* Aegypti civitatem eſſe.“

7. בָּאוּ *Venerunt,* jam ante fores ſunt, cf. Ezech. IX, 1. Mich. VII, 4. Thren. IV, 18. *Venit ſumma dies, et ineluctabile tempus.* יְמֵי הַפְּקֻדָּה *Dies animadverſionis,* cf. I, 5. V, 9. VIII, 13. LXX: *αἱ ἡμέραι τῆς ἐκδικήσεως,* ut Luc. XXI, 22. בָּאוּ יְמֵי הַשִּׁלֻּם *Venerunt dies retributionis,* cf. Jeſaj. XXXIV, 8. יֵדְעוּ יִשְׂרָאֵל idque *cognoſcent* et fateri cogentur *Iſraelitae,* cf. Ezech. V, 13. XII, 25. Hieronymus: „Ubi nos interpretati ſumus *ſcitote Iſrael,* hoc eſt,

Iſrae-

Iſraelitae, et in Hebraeo legitur *Jadau,* Septuaginta transtulerunt *et aſſligetur* (*καὶ κακωθήσεται*), *Jod* literam *Vau* putantes, et pro *Daleth* legentes *Res,* quorum alterum *ſcientiam,* alterum *aſſlictionem* vel *malitiam* ſonat." Sed poterat interpres verbum יֵדַע de *poena quam quis experitur* capere, ut Jud. VIII, 16. הוֹדִיעַ *punire.* אֱוִיל הַנָּבִיא *Stultus* enim et temerarius eſt *propheta*, contrarium jam docens, inanibus promiſſionibus populum lactans, et in malo confirmans, cf. Mich. III, 11. Thren. II, 14. הַנָּבִיא interpres Arabicus nondum editus Pocockio laudatus recte vertit المدعي نبوة *qui praetendit prophetiam*, ſ. *ſe prophetam eſſe.* מְשֻׁגָּע *Inſanus* 1 Sam. XXI, 16. Jerem. XXIX, 26. אִישׁ הָרוּחַ judicandus eſt *vir ſpiritus* vel *venti,* qui temere afflatum ſe divinitus jactitat, qualis deſcribitur Ezech. XIII, 3. Mich. II, 11. Poſſunt haec cum hemiſtichio priore cum Kimchio et ſic jungi: tum ſcient Iſraelitae et confitebuntur de falſis prophetis, quibus ſeducti fuerant fauſtis promiſſionibus, prophetam eſſe ſtultum, et virum ſpiritus eſſe inſanum. Alii de veris prophetis male contemtis haec accipienda exiſtimant, coll. Jerem. V, 13. Ita Aben-Esra: „Veniunt dies, quibus rependet vobis Deus, quod dicebatis de propheta Domini eum eſſe ſtultum, et virum, in quo erat ſpiritus Domini, eum eſſe furioſum." Convenit Hieronymus: „Iſrael, nunc tua verba cognoſce, qui prophetam tibi vera dicentem et prophetantem ſpiritu ſancto, ſtultum et inſanum vocabas juxta illud quod in Ramoth Galaad principes loquuti ſunt ad Jehu (2 Reg. IX, 11.): *Quid venit ad te iſte veſanus?*" Verum de mendacibus et fallacibus prophetis agi, omnis orationis ſeries arguit. Mens prophetae in hoc Verſu eſt, certitudinem denuntiari poenarum, ſic ut earum ſecuri hactenus Iſraelitae hujus certitudinis ipſo forent eventu convincendi. Id porro adſtruit *ἀνασκευαστικῶς*, deſtruendo ſpem habitam laetis pſeudoprophetarum vaticiniis, qui, veritatem docente eventu, pro ſtolidis et amentibus erant agnoscendi. Deinde et *κατασκευαστικῶς* probat, prope eſſe iſtam retributionem debere, quum eam iniquitatum

tum multitudo et odium Dei provocaret. Quod haec verba volunt: עַל רֹב עֲוֹנְךָ *propter multitudinem impietatis tuae.* Jerem. XXX, 14. 15. וְרַבָּה *Et* propterea quod *multa* ſ. *magna eſt,* Coh. VI, 1. ſubaudita particula cauſſali, ut Jud. XVII, 2. מַשְׂטֵמָה *Odium* (cf. verbum Geneſ. XXVII, 41. XLIX, 23.) intelligunt quidam Dei in peccatores quo provocato poenis illos adfligit. Alii inteſtina et crudeliſſima odia, quibus fraterna pectora accenſa erant. Ita Rittershuſius, ex cujus metaphraſi hic Verſus ſic ſonat:

Poenarum jam tempus adeſt; retributio tandem
Adveniet, dilata diu, haud ablata, malorum.
Discet id Iſrael rerum argumenta per ipſa,
Agnoscens ſtolidos vanosque fuiſſe prophetas
Dementesque viros ventoſi et cordis et oris,
A quibus in fraudem fuerit pellectus. At ipſi
Pravis ſunt penitus ſtudiis atque obruti iniquis,
Inter ſeſe odiis inteſtinisque laborant.

Contextui tamen magis congruit, מַשְׂטֵמָה de infeſto Iſraelitarum in Deum ejusque prophetas animo intelligere, quomodo idem nomen Verſu proximo ſumendum eſſe, vix poteſt dubitari. Chaldaeus haec ad falſos prophetas referens ſic vertit: עַל דְאַסְגִיאוּ חוֹבָךְ וְתַקִיפוּ חֶטְאָךְ *propterea quod multiplicarunt culpam tuam et confirmarunt peccata tua.*

8. צֹפֶה אֶפְרַיִם *cave* vertas *ſpeculator Ephraimi;* nam צֹפֶה non eſt in caſu regiminis poſitum, in quo ſi eſſet, צֹפֵה cum *Zere* ſcriptum eſſe deberet. Sed quum ſit Participium in ſtatu abſoluto, patet vertendum eſſe: *ſpeculator* eſt *Ephraim,* ſ. *ſpeculatur Ephraim* ſcil. alia oracula et auxilia, modo Aſſyriorum, modo Aegyptiorum. Cf. Thren. IV, 17. עִם־אֱלֹהָי *Cum Deo meo,* ſ. *juxta Deum meum,* a quo ſolo auxilium implorandum et exſpectandum eſt. Pro אֱלֹהָי in codicibus nonnullis legitur אֱלֹהֶיהָ, Arabico conſentiente interprete, nec non, uti videtur, Chaldaico; is enim prius hoc hemiſtichium ſic vertit: וּסְבַן בֵּית יִשְׂרָאֵל דִי יִתְקַיֵּם לְהוֹן פּוּלְחַן טַעֲוָתְהוֹן *proſpicit domus Iſrael, quo permaneat* si-

eis cultus idolorum ſuorum. Alexandrinus ſuffixum nullum exprimit. Sed recte obſervat Aurivillius, fortiorem exſiſtere ſenſum retenta vulgo recepta ſcriptura, quam et Syrus atque Hieronymus confirmant. „Capiamus," inquit, „τὸ צֹפֶה ſenſu eo, quem habet Thren. IV, 17., *circumſpiciendo aliorum auxilia anquirendi*, et erit: *anquirit Ephraim aliorum auxilia cum Deo meo*, i. e. ſimulat ſe colere meum Deum, verum illum et aeternum, attamen ſimul etiam alia oracula, alios deos ſpeculatur; etiam aliunde, quam a Deo vero auxilia circumſpiciens anquirit. Produnt haec verba, hypocriſeos et idololatriae criminum ſimul reos fuiſſe Iſraelitas." נָבִיא *Propheta* falſus, Vs. 7. IV, 5., quem Iſraelitae amant, et veris Jovae prophetis praeferunt. פַּח Eſt ſicut *laqueus*, V, 1. יָקוּשׁ *Aucupis*, alii: *tendiculae*, cf. Pſ. XCI, 3. מַשְׂטֵמָה Vid. Vs. 7. בְּבֵית אֱלֹהָיו *In aedem Dei* ipſius, facit hoc odio Dei ſui, quem venerari et amare Ephraim debet. Alii *odium* pro *exoſo* ſumendum cenſent, ut ſit ſenſus, talem prophetam exoſum eſſe in domo Dei ſui. Ratione plane diverſa noſtrum Verſum exponit Hieronymus: „Idcirco," inquit, „Deus principes dedit, ut populum corriperent delinquentem, et ad rectum iter retraherent. Unde et ad Ezechiel loquitur (III, 17.): *Speculatorem te dedi domui Iſrael.* Ergo Hieroboam quaſi ſpeculator datus in populo eſt, et quaſi *propheta cum Deo meo*, id eſt cum Deo, qui haec Oſeae loquitur. At ille juxta id quod ſupra (V, 1.) ſcriptum eſt, *laqueus facti eſtis ſpeculationi, et rete expanſum ſuper Thabor, et victimas declinaſtis in profundum*, etiam nunc populi Iſrael laqueus appellatur, eo quod omnes in laqueo ejus corruant, maxime quum *inſaniam in domo Dei* poſuerit, ſive confinxerit, id eſt, in Bethel vitulum aureum, hoc enim interpretatur *domus Dei*." Jarchi primum hujus commatis hemiſtichium, צֹפֶה אֶפְרַיִם עִם־אֱלֹהָי, hunc ſenſum habere ait: הם מעמידין להם נביאיהם, *illi*, Ephraimitae, *prophetas ſibi ſuos ipſi conſtituunt.* Quam explicationem vindicare ſtuduit J. G. Lackemacher in *Obſervatt. philologg.* P. V. Obſerv. II. p. 223. ſeqq. Poſtquam obſer-

obſervaſſet, *prophetas* et Jeſaj. LVI, 10. Jerem. VI, 17. Ezech. III, 17. *ſpeculatores* vocari, et per *Ephraimum* h. l. intelligendos eſſe *reges Iſraelitarum*, nomine iſto appellatos, quod Jeroboamus, regni fundator, ex Ephraimitis fuerat oriundus, verba hebraea ita vertit: *Ephraim ſpeculatur*, ſive vaticinatur, *juxta cum Deo meo*, additque: „Quemadmodum ſaepe fieri obſervamus ſacris in litteris, ut pro cauſſa actionis efficiente effectus ponatur, ſive ipſa actio, ita et hic puto factum. Itaque *Ephraim ſpeculans* mihi eſt Ephraim, qui efficit, ut ſpeculentur ſive vaticinentur alii, qui prophetas conſtituit, h. e. rex mercede vates conſtituens, ut ad ipſius mentem atque voluntatem oracula conſingant, eademque pro divinis plebi imprudenti obtrudant. — Quo vero conſilium illud regum perverſum evadat, his verbis indicat: נָבִיא פַּח יָקוֹשׁ, eſt *propheta* mercenarius inſtar *laquei*, quo aviculam irretit *auceps*. Qua comparatione ſcite admodum alluditur ad vocem צוֹפֶה, quae ambigua eſt, nec *vatem* ſolum, ſed hominem quoque *inſidias*, ut auceps avibus, *ſtruentem* ſignificare poteſt. Ex qua ambiguitate ſenſus hic oritur elegantiſſimus cum quadam catanaclaſi: *Zophim* (vaticinatores) capiunt, ſuaque auctoritate deſignant reges Ephraimitici, et habebunt ſane veros *zophim* (inſidiatores), qui vitae et ſaluti ipſorum, atque adeo totius regni, aucupis ad morem, inſidiabuntur, *qui in omnibus viis* laqueos tendent, vaniſſimis ſomniis aſſentationibusque ſuis in extremum eos periculum adducent, efficientque, ut quicquid agant, quicquid moliantur, in exitium tandem ipſis cedat. Quippe illorum culpae jure tribui poterat, quod ſemper eſſet מַשְׂטֵמָה בְּבֵית אֱלֹהָיו *odium*, res odio digniſſima, *in aede Dei ejus*, Ephraimi, quod in fano Betheliticо, ſimulacris ſacro, vitulis, Apidis Aegyptiaci imaginibus, cultus exhiberetur deteſtabilis, adoratio praeſtaretur, ſacrificia offerrentur.“ Haec Lackemacher, felicius, noſtro quidem ſenſu, verſatus in poſteriore commatis parte explicanda, quam in priore. Nam צֹפֶה ubi de *propheta* dicitur, de *vero propheta* ſemper uſurpatur, ut loca indicata oſtendunt,

num-

numquam de falso. Aben-Esra sensum hunc esse ait: Ephraim ipse facit speculatorem apud Deum meum, i. e. tanquam prophetam, qui speculatur quid futurum sit; sed hic falsus propheta est aliis laqueus aucupis. Sunt interpretes, qui מַשְׂטֵמָה, ut Versu superiore, ita et hoc, intelligant de intestinis odiis, quibus falsi prophetae abuterentur, ut Israelitas inter se committerent, eosque illis tanquam laqueis impedirent et perderent improbissime religionis specie. Atque hi quidem hebraea sic vertunt: *Speculatur* falsus propheta *Ephraimum cum Deo meo* conjunctum; sicut *laqueus aucupis in omnibus viis ipsius propheta est; intestinum odium in domo Dei ipsius.* Id sequutus Rittershusius:

Si quis forte colat pietatem et numen honore
Divinum afficiat vero, hunc vates speculatur
Improbus, ut pedibus laqueum disponat cunctis,
Aucupis in morem. Templis etiam excubat ipsis
Intestinum odium, populaturque omnia late.

Liveleus, quem sequitur Drusius, nostrum Versum hoc modo explicat: „*Speculator* et *propheta* mihi nominativi absoluti videntur, hac sententia: quod ad eum attinet, qui *speculator Ephraimi* est *cum Deo meo*, h. e. fideliter ac pie suo munere ex Dei mandato fungitur; quod, inquam, ad prophetam attinet, verum scilicet, et Dei spiritu praeditum, *omnibus viis illius* ad eum irretiendum *laquei* tenduntur ab improbis divini verbi contemtoribus. Talium nominativorum magnus est numerus. Unum hujus generis habes Vs. 11. hujus Capitis: *Ephraim, gloria eorum* etc. Latina loquutio est. Sallustius: *Plebs urbana, ea vero praeceps erat.* Ut igitur quantum falsis prophetis tribuebant, superior Versus ostendit, ita hic quo in pretio veros habebant declarat. Tantum aberat, ut eos quo decuit amore prosequerentur, ut etiam mala illis machinati sint, et more *aucupum laqueos* illis tetenderint. Qua de re queritur Jeremias XVIII, 22. *Foderunt fossam ad capiendum me, et pedibus meis laqueos occultaverunt.* Jesaj. XXIX, 21. *Peccati*

cati reum peragunt propter verbum, et corripientı in porta tendiculam ponunt." Verum צֹפֶה אֶפְרַיִם minus recte verti *ſpeculator Ephraimi*, monuimus ſupra initio interpretationis Verſus. Nonnulli antitheſin propoſitam volunt hoc Verſu inter conſtitutos a vero Deo ſpeculatores, et ſeducentes ad idololatriam ac proinde mancipantes populum irae divinae prophetas. Illos vocare Noſtrum צוֹפִים, *ſpeculatores*, qui מִתְיַצְּבִים עַל־מָצוֹר, *conſtituti in munimento*, uti eſt Habac. II, 1. ſpeculari debebant, ut viderent, quid loquuturus ipſis Deus eſſet. His opponere נָבִיא, *prophetas*, non omnes, non veros, ſed qui laquei inſtar improvidam multitudinem rapiebant in lapſum. De veris prophetis dicere: ſunt *cum Deo meo*, ejus ſolum intenti miniſterio, de ſeductoribus vero, quod vel in domo Dei ſui, id eſt, idololatriae graviter ſatagendo, *odium* eſſent, ſive cauſſa, cur *odium* ſuum (de quo et Verſ. praeced.) Deus et iram in ipſos ſeductumque populum effunderet. Sed per צֹפֶה אֶפְרַיִם indicari *prophetam Ephraimitam*, parum veriſimile. Neque reliqua hujus explicationis ita ſunt comparata, ut ſua ſe facilitate commendent.

9. הֶעְמִיקוּ *Profundarunt*, cf. ſupra V, 2. שִׁחֵתוּ *Perdiderunt* ſcil. vias ſuas, perdite omnia fecerunt, Exod. XXXII, 7. Jeſ. I, 4. Pſ. XIV, 1. Recte Hieronymus: *profunde peccaverunt*. Chaldaeus: אַסְגִּיאוּ לְחַבָּלָא *multiplicarunt perdere*. Drusius: *„Profunde* poſuit pro *valde* ſive *multum*. Sic dicimus *profunda nequitia*. Sic *profunda avaritia*, i. e. immenſa aut magna. Sic *profunda libido*, et apud Apulejum *profunda aerumna cupidinis*. Tralatio a foveis, quae quo profundiores eo majores ſunt." Liveleus: *„Profundarunt corruperunt*, i. e. profunde corrupti ſunt. In tali enim verborum conjunctione ſaepe prius adverbii loco ponitur, ut V, 11. *Voluit ivit*, i. e. voluntarie ivit. Quid autem ſit *profunde corrumpi*, disces ex V, 2. et Jeſaj. XXXI, 6., atque haud diſſimili locutione Salluſtii ad Caeſarem de republica ordinanda: *Ut ex alienis malis*

de..rimi mortales ventri atque profundae libidini ſumptus quaererent, atque eſſent opprobria victoriae, quorum flagitiis commacularetur bonorum laus." כִּימֵי הַגִּבְעָה *Sicut in diebus Gibeae,* reſpicitur ad hiſtoriam Levitae et pellicis ejus, quae Jud. XIX, 25. XX, 13. ſeqq. narratur. Tertium, ut ajunt, comparationis alii in nefaria libidine et immiſericordia, coll. Ezech. XVI, 46. 49., alii rectius in pertinacia adverſationis ponunt, quod, ſicut Gibeonitae et Benjaminitae pertinaciter adverſati ſunt reliquis tribubus ad meliorem mentem eos revocantibus, ſic Iſraelitae vatis noſtri tempore in ſuis peccatis adeo obdurati fuerunt, ut nullis prophetarum monitis revocari potuerint. יִזְכּוֹר עֲוֹנָם Ideo (quod recte praemiſit Syrus) *recordabitur culpae eorum,* animadvertet in eam, VII, 2. VIII, 13., quod ipſum exprimitur poſtremis verbis יִפְקוֹד חַטֹּאתָם, *viſitabit peccata eorum,* Vs. 7. Exod. XX, 5., ad quae hucusque connivere viſus eſt. Hieronymus: „Tam profunde in ſcelere peccavit, ſicque in impietatis barathrum eſt demerſus (Ephraim), ut vincat ſcelus, quod quondam geſtum eſt in Gabaa (Jud. XIX, 29.), quando uxorem Levitae revertentis de Bethlehem illicito necavere concubitu. Poſſumus dies Gabaa et illud tempus accipere, quando pro Deo elegerunt ſibi regem de urbe Gabaa, id eſt, Saul. Et multo nunc eos dicit majora peccaſſe, eligendo Hieroboam, et adorando idola, quam eo tempore, quo elegerunt Saul: hic enim ſchismati etiam idololatria copulata eſt; ibi vero Dei cultus permanſit in populo; ideo *recordabitur iniquitates eorum,* qui nunc per patientiam putatur oblitus, *et viſitabit peccata eorum,* et vulnera, quae longo tempore computruerunt." Rittershuſius:

Imam ſentinam ſcelerum complere laborant,
Exemplo Gabiturum, probris cooperti
Qui fuerant quondam haud ſecus ac Sodomae atque Gomorrhae
Cives impuri, indomitaeque libidinis oeſtro
Abrepti, hoſpitii violarunt omnia jura,
Omnia naturae abruperunt foedera prorſus.

Num-

Numquam oblitus erit Dominus tam probra nefanda,
Vindicibusque animadvertet mala crimina poenis.

10. כַּעֲנָבִים בַּמִּדְבָּר *Velut uvas in deſerto* ſiticuloſo ac ſterili, ubi rariſſimae ſunt. Reſpicitur ad deſertum, per quod ductus eſt populus Hebraeus, Deut. VIII, 2. ſeqq. Cf. Jeſaj. V, 2. Pſ. LXXX, 9. ſeqq. מָצָאתִי יִשְׂרָאֵל Ego Jova *inveni Iſraelem*, reſpicit ad Deut. XXXII, 10. Cf. infra XIII, 5. Chaldaeus: אֲרַע מֵימְרִי לְיִשְׂרָאֵל *occurrit verbum meum Iſraeli*, collato Exod. III, 18. V, 3. כְּבִכּוּרָה *Sicut primitivum*, ſ. *praecocem fructum*, Jeſaj. XXVIII, 4. Mich. VII, 1. בִתְאֵנָה *In ficu* arbore, Jerem. VIII, 13. בְּרֵאשִׁיתָהּ *In primitiis ejus*, quando primi fructus ejus maturi fiunt. Cf. Exod. XXIII, 19. Num. XVIII, 12. Deut. XXVI, 2. 10. רָאִיתִי אֲבוֹתֵיכֶם *Vidi*, et ſummo amore complexus ſum non ſolum Abrahamum, Iſaacum et Jacobum (de quibus id nonnulli accipiunt), ſed etiam *majores veſtros* in Aegyptiaca ſervitute. Vid. Exod. II, 25. IV, 22. Deut. IV, 37., et cf. Ezech. XVI, 6. ſeqq. Amos III, 2. הֵמָּה בָּאוּ Sed ſimul ac *illi venerunt* in itinere ſuo in campos Moabitarum, Num. XXII, 1. XXXIII, 48. 49. בַּעַל־פְּעוֹר Ad *Baal-Peor*, ad locum ab idolo ſic dictum; vid. Num. XXXIII, 28. XXV, 3. 5. Deut. IV, 3. Joſ. XXII, 17. וַיִּנָּזְרוּ Statim *ſepararunt ſe*, alienarunt ſe a Jova, Ezech. XIV, 7. לַבֹּשֶׁת *Ad pudorem*, i. e. pudendam idololatriam; ſic idolum ſaepius *pudor* et *confuſio* appellatur, vid. Jerem. III, 24. XI, 13. Hinc quia Baal erat infame idolum, ideo plura nomina promiscue vel in בַּעַל vel in בשׁת ſive בֹּשֶׁת definunt; v. c. יְרֻבַּעַל Jud. VI, 32. i. q. יְרֻבֶּשֶׁת 2 Sam. XI, 21.; et qui 1 Paral. VIII, 33. IX, 39. אֶשְׁבַּעַל, idem 2 Sam. II, 8. 10. vocatur אִישׁ־בֹּשֶׁת; atque מְרִיב בַּעַל 1 Paral. VIII, 24. idem qui 2 Sam. IV, 4. מְפִיבֹשֶׁת, Jonathanis filius. וַיִּהְיוּ שִׁקּוּצִים Et ſic eis *erant abominanda* idola, eodem nomine et 2 Reg. XXIII, 13. 24. nuncupata. כְּאָהֳבָם *Secundum amare eorum*, i. e. prout illi varios deos perdite amarunt; Infinitivus cum ſuffixo. Cum dicit *abominationes fuiſſe prout amaverunt*, ſententia

 eſt,

est, iis multa alia abominanda idola fuisse, quae pro arbitrio suo coluerunt, prout amore et quodam libidinis fervore erga ea abducti fuerunt. Graecus Alexandrinus verba וַיִּהְיוּ שִׁקּוּצִים כְּאָהֳבָם sic vertit: *καὶ ἐγένοντο οἱ ἐβδελυγμένοι ὡς οἱ ἠγαπημένοι*, *et facti sunt abominabiles sicut dilecti*, ut Hieronymus Graeca reddidit. Sensum expressit Vulgatus: *et facti sunt abominabiles sicut ea quae dilexerunt*, dii scil. alieni, vel idola, quae dilexerunt. Graecum interpretem Lud. Cappellus putat כַּאֲהֻבִים, Participium Pahul Cal, legisse. Quod tamen statuere non est necesse, quum Graeca interpretatio cum eo quod nos legimus optime conciliari possit, si כְּאֳהָבִים reddamus: *sicut amor*, vel, *amores eorum*, qui erant dii alieni, quorum cultui se addixerant Israelitae. Quoad sensum cf. Vs. 1. Jesaj. LVII, 8. Jerem. II, 25. Chaldaeus totum Versum ita exposuit: *Sicut vitis, quae plantata est ad fontem aquae, sic in deserto occurrit verbum meum Israeli; sicut primitias in ficu, quae in principio fructus producit, dilexi patres vestros; illi vero adjunxerunt se Baal-Peori, et erraruut ad rem pudendam, factique sunt abominabiles secundum id quod dilexerunt.* Hieronymus: „Quum omnis orbis esset desertus et Dei notitiam non haberet, *inveni*, ait, populum *Israel quasi uvam in solitudine*, et quomodo eum invenerit, dicit: *sicut prima poma ficulneae in cacumine ejus vidi patres eorum.* Ergo in Abraham, in Isaac et in Jacob inventus est populus. Et nota proprietatem: parentes *videntur*, populus *invenitur*, et in utroque vinea est et ficulnea, sub quibus requiescere dicitur qui confidit in Domino. Ipsi autem reducti de Aegypto fornicati sunt cum Madianitis, et ingressi sunt ad Beelphegor, idolum Moabitarum, quem nos Priapum possumus appellare. Denique interpretatur Beelphegor *idolum tentiginis*, habens in ore, id est in summitate, pellem, ut turpitudinem membri virilis ostenderet. Et quia intraverunt ad Beelphegor, idcirco abalienati sunt a Deo, et confusioni suae, id est, idolo, mancipati, ut propter quod recesserant a Deo, illud colerent, secundum quod scriptum

est

est (2 Petr. II, 19.): *a quo enim quis superatur, hujus et servus est*, ut sicut gulae servientes habent ventrem Deum, ita qui libidini deserviunt, habent Deum Beelphegor. *Et facti sunt*, inquit, *abominabiles sicut ea quae dilexerunt*, juxta illud quod scriptum est in Psalmis (CXXXV, 18.): *similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt eis*, ut non solum idololatrae, sed idola nuncupentur.“ Rittershusius:

Israeligenas olim inveni atque adamavi,
Servitio Phariis quando opprimerentur in oris:
Inveni, quasi qui sitibundis faucibus aret,
Dum sectatur iter loca per deserta, viator
Exultat si quando uvas, solatia siccis
Faucibus, inveniat, recreet queis languida membra,
Aut quasi primitias ficu qui deripit alta:
Sic mihi majores vestros fuit una voluptas
Eligere, carique instar mihi habere peculi.
At meritis male grata meis gens impia, spreto
Me mox idolis se tradidit, atque pudendo
Insanoque Beelphegorem mactavit honore,
Arbitrioque suo sacra detestanda nefandaque
Instituit. — —

11. אֶפְרַיִם Ideo ad *Ephraimum* s. Israelitas *quod attinet*, nominativus absolutus qualis 2 Sam. IV, 10. 2 Reg. XXV, 22. כָּעוֹף יִתְעוֹפֵף *Sicut avis avolabit*, cito evanescet, eadem imago Jesaj. XVI, 2. Prov. XXIII, 5. כְּבוֹדָם *Gloria eorum*, florens gentis et reipublicae status (cf. X, 5.), qui per liberos propagandus atque conservandus erat; addit enim: מִלֵּדָה *a partu*, 2 Reg. XIX, 3. Jes. XXXVII, 3. Jerem. XIII, 21. וּמִבֶּטֶן *Et ab utero*, ut ne lucem quidem adspiciant, Job. III, 11. וּמֵהֵרָיוֹן immo statim *post* ipsam *conceptionem*, Ruth. IV, 13. LivelEus: „*Gloria eorum*, i. e. filii, in quibus parentes gloriari solent, maximamque ex iis voluptatem capere. Lea in suis filiis gloriatur, Genes. XXIX, 32. et Rachel ibid. XXX, 23., et nato Isaaco Sara. Anna etiam

etiam in Samuele, ut canticum ejus arguit. Prov. XVII, 6. *Corona ſenum ſunt filiorum filii, et decus parentum ſuorum liberi.* Recte igitur *parentum gloria* dicuntur per metonymiam. Quomodo Livia Auguſti apud Poetam in Epicedio Druſi filium ſuum appellat:

Gloria confectae nate parentis, ubi es?

Sic Claudianus Proſerpinam *Cereris gloriam* et *ſuperbiam* vocat. Apud Perſas, ſecundum bellicam fortitudinem, maximo in pretio fuiſſe numeroſam prolem, et multorum liberorum patri regem munera mittere ſolitum eſſe, tanquam ſtrenuam quippiam praeſtiterit, Herodotus teſtis eſt. Quatuor autem gradibus filiorum interitus hic explicatur: *a conceptione,* ne in utero gravidato vivificentur; *ab utero,* antequam in utero geſtati juſtum tempus ad partum compleverint; *a partu,* cum recens in lucem editi fuerint; *ab educatione* (Vs. 12.), cum ſcilicet in pueritia ad aliquod tempus enutriti fuerint. Haec omnia feminae ſaepe experiuntur." Chaldaeus: *Domus Iſrael* eſt *inſtar avis, quam e nido abegerunt, quaeque vagatur; ita migravit gloria eorum; liberi non augentur, neque gaudebunt fructu ventris ſui, propterea quod cohibuerunt pedes ſuos, ne in domo ſanctuarii mei comparerent.* Hieronymus: „*Ephraim,* id eſt, decem tribus, *quaſi avis avolavit* in captivitatem, et de ſuo receſſit loco. Avem autem appellavit, ut velocem in Babylonem tranſitum demonſtraret. Sin autem legerimus: *quaſi avis avolavit gloria eorum,* hoc dicimus, quod Dei ab eis receſſerit et volaverit auxilium. Quodque ſequitur: *a partu et ab utero, et a conceptu eorum,* dupliciter intelligi poteſt, ut gloria, quae avolavit ab Ephraim, etiam a partu, et ab utero, et a conceptu eorum recedat, hoc eſt, deſerat filios eorum, et poſteros derelinquat. Aut certe dicimus, omnem gloriam Iſrael habuit in multitudine, et in eo ſe majorem arbitratus eſt Juda fratre ſuo, quia ipſe decem tribubus, ille duabus praefuit. Unde Dominus loquitur (Vs. 12.), quod etiamſi

enutri-

enutriverint filios, et liberorum multitudinem congregaverint; tradentur neci, et tunc eis verum incumbat Vae, cum ab eis receſſerit Deus.“ Rittershuſius:

— Quare volucris properantis ad inſtar
Ephraimitarum migrabit gloria cuncta,
A partu atque utero et conceptu protinus ipſo,
Ne pariant uterumve gerant, neu ſemina vulva
Accipiant ſterili. — —

12. כִּי אִם־יְגַדְּלוּ אֶת־בְּנֵיהֶם *Quin ſi* etiam *educaverint filios ſuos*, ſi quibus contingat liberos ad aliquam aetatem educere; ita גִּדֵּל 2 Reg. X, 6. Jeſaj. I, 2. XXIII, 4. וְשִׁכַּלְתִּים *Orbos tamen faciam eos*, Geneſ. XXVII, 45. XLII, 36. Deut. XXXII, 25. Syrus: ܐܛܦܐ ܐܢܘܢ *extinguam eos.* מֵאָדָם *Ex hominibus*, ut nullam ipſis prolem ſuperſtitem relinquam. Drusius: „Quidam exponunt: *ne perveniant eo, ut dicantur homines.* (Ita Chaldaeus: מִלְמֶהֱוֵי גֻּבְרִין *ne evadant viri.*) Putant nomen אָדָם duntaxat uſurpari de provecta aetate. Falluntur; nam etiam de infantibus dicitur Jon. IV, 11. Malim ergo: *ne deinceps inter homines ſuperſint et vivant*, ut Prov. XXX, 14. *Ad conſumendum pauperes e terra, et egenos ab hominibus.* Quod vetus interpres expreſſit, referens: *absque liberis faciam eos in hominibus.*“ Eaedem minae Levit. XXVI, 23 – 38. Deut. XXVIII, 62. 63. כִּי־גַם־אוֹי לָהֶם *Nam etiam vae illis*, qui ſupererunt, cf. VII, 13. בְּשׂוּרִי מֵהֶם *Quum receſſero ab iis*, uti recte Hieronymus vertit; eſt enim בְּשׂוּרִי pro בְּסוּרִי ſcriptum, Infinitivus verbi סָר, *receſſit*, cum praefixo atque pronomine ſuffixo, permutato ס cum שׂ, quemadmodum promiscue שׂוֹבֵךְ et סוֹבֵךְ, *perplexitas*, 2 Sam. XVIII, 9. Jerem. IV, 7., aut שְׂדֵרִים et סְדֵרִים, *ordines*, 2 Reg. XI, 8. ſcribitur. *Recedere* autem ab hominibus Deus dicitur, quando eos deſtituit praeſidio malis oppreſſos. Eadem quae hic ſententia Deut. XXXI, 17. *Tunc ira mea in eum*, populum Iſraeliticum, *exardescet*, וַעֲזַבְתִּים וְהִסְתַּרְתִּי פָנַי מֵהֶם *et deſeram eos, vultumque meum ab eis abdam, quo fiet*

ut

ut consumantur, et in multa mala et angustias incurrant. Chaldaeus nostrum locum sic expressit: בְּסַלְּקוּתִי שְׁכִנְתִּי מִנְּהוֹן *quod sustulerim majestatem meam ab eis.* Gussetius vocem בְּשׂוּרִי ad שַׂר, *princeps*, unde supra VIII, 4. הֵשִׂירוּ, *principem constituerunt*, referendum arbitratus, verba hebraea ita exponit: *vae etiam illis me dominium ac imperium in eos exercente*, „quod comminando dictum sonat exercitum imperii severum, ἀπότομον, ne sibi blandiantur, quod Deum habeant regem, cum eo accuratius sit in eorum peccata animadversurus.“ Sed concinnior est sententia retenta communi vocis בְּשׂוּרִי interpretatione, quam et Aurivillius, *Dissertatt.* p. 635. defendit: „Sensum,“ inquit, „si consulamus, ille quidem omnem excludit ansam de originaria per ס scriptione dubitandi. Discedente Deo ab homine, i. e. opem et tutelam illi denegante, miseriis necesse est obruatur summis, omnique destituatur felicitate, id quod Israelitico populo eventurum, in hisce propheta indicat. Usurpari סוּר in hac significatione, quando scilicet eo impietatis quispiam processit, ut istum amplius protegere Deus non dignetur, probant Num. XIV, 9. Jud. XVI, 20., inprimis vero 1 Sam. XVI, 14. XVIII, 12. et XXVIII, 16. Favet insuper solita verbi סוּר cum particula מִן constructio, quam nusquam post alterum, שׂוּר, poni, recte, opinor, observat Bahrdtius.“ Rittershusius:

— — Quin proles si qua et ab ipsis
Forte educta fuit, tamen orbos sic quoque reddam,
Ut nullum generis columen, spes nulla supersit.
Vae, quoscunque Deus liquit, mortalibus aegris!
Vae, quibus auxilium vis alta coeli negavit!

Hieronymus: „In eo loco, in quo nos diximus: *vae eis cum recessero ab eis*, Septuaginta et Theodotio transtulerunt: *vae eis, caro mea ex iis.* Quaerensque causam, cur sit tanta varietas, hanc mihi videor reperisse: *caro mea* lingua Ebraea dicitur *Basari.* Rursum si dicamus *recessio mea*, sive declinatio mea, dicitur *Besuri.* Septuaginta igitur et Theodotio pro eo quod est: *recessio mea*, et *declinatio*

natio mea, verterunt *caro mea.*" Varias inutiles de voce בְּשׂוּרִי conjecturas enarravit refutavitque Aurivillius l. c.

13. אֶפְרַיִם כַּאֲשֶׁר־רָאִיתִי לְצוֹר *Ephraimum*, i. e. regionem et regnum Ifraelis (Vs. 8. 11. 16.) *quando* (ut VII, 12.) *video ad Tyrum usque*, ei conterminam, Jef. XIX, 29. Alii לְצוֹר vertunt *Tyro* fcil. parem five fimilem, vel ut ל fit qualitatis index, ut 2 Sam. V, 3. *Unxerunt Davidem* לְמֶלֶךְ *regem*, f. tanquam regem. Job. XXXIX, 16. *Duriter tractat pullos fuos* לְלֹא־לָהּ *tanquam non fuos*. Cf. Storrii *Obfervatt.* p. 287. Gesenii *Lehrgeb.* p. 681. Ita Chaldaeus: כְּנִשְׁתָּא דְיִשְׂרָאֵל בְּמֶעְבְּדָהּ אוֹרַיְתָא דָמְיָא לְצוֹר *coetus Ifraelis dum legem faceret*, i. e. fecundum legis praecepta ageret, *fimilis* erat *Tyro*. שְׁתוּלָה *Plantata*, fita fuit; cf. Ezech. XVII, 8. 22. 23. בְּנָוֶה *In manfione*, pulchra et amoena; f. pafcuo optimo, cf. Ezech. XXXIV, 14. XXXIII, 20., ita ut filiis et opibus effet florentiffima. Chaldaeus: בְּאַצְלָחוּתָא בִּשְׁלַוְתַהּ *in prosperitate et abundantia fua.* Hieronymus: *Ephraim ut vidi Tyrus erat fundata in pulchritudine*, quafi בְּנָוָה legiffet, ut Jerem. VI, 2., quod contracte ex נָאוָה, *decora*. Et in Commentario: „Et confequenter exponit, qualis quondam fuerit Ephraim, qui nunc defertus eft. Tam pulcher, inquit, erat, et fic Dei vallabatur auxilio, ut Tyrus mari cingitur; vel certe ut fcopulus duriffimus, qui fixus in terra omnes contemnit procellas, et de turbinibus ventisque non curat." A. J. Arnoldi, Theologus Marburgenfis, in Anthologia a Car. Guil. Justi edita, quae infcribitur: *Blumen alt-hebräifcher Dichtkunft*, cui et noftri Capitis verfionem inferuit theodiscam, notis illuftratam, p. 536. feqq. locum fic interpretatur: *Ephraim war, als fäh' ich jungen Palmenwuchs gepflanzet auf fchöner Aue.* Noftro צור tribuit fignificationem Arabici صور *palma exigua; confertae palmae;* et صور, *palmae complures*, peculiariter *junctae et parvae;* intelligitque ftolonum ex radice palmae progeniem αὐτόγονον in fundo foecundiori

fatis

satis luxuriose adolescentem, vid. Kaempferi *Amoenitatt. exott.* p. 675. Nos quidem vehementer dubitamus, istam arabicarum vocum notionem Hebraeis cognitam fuisse. Graecus Alexandrinus interpres hemistichium prius sic reddidit: Ἐφραὶμ ὃν τρόπον εἶδον εἰς θήραν παρέστησαν τὰ τέκνα αὐτῶν, *Ephraim, sicut vidi, in captionem praebuit filios suos*, uti Hieronymus vertit, qui praeterea haec notat: „Ubi nos posuimus: *Ephraim, ut vidi, Tyrus erat*, Septuaginta interpretati sunt θήραν, id est, *venationem*, sive *capturam*. Putantes autem ob literarum *Res* et *Daleth* similitudinem, non esse *Res*, sed *Daleth*, legerunt *Sud*, id est *venationem*.“ Reliqui Graeci interpretes, eodem observante Hieronymo, ceperunt צוֹר ut nomen appellativum, *petram* significans, ut sensus sit hic: Ephraimum quamvis conspexerim petrae ad instar in sua mansione fundatum; tamen futurum est, rel. Syrus: ܐܦܪܝܡ ܐܝܟ ܕܚܙܝܬ ܨܘܪ ܢܨܝܒܐ ܒܒܢܝܢܘܗܝ *Ephrem* (erat) *sicut vidi Tyrum consitam aedificiis suis*, quasi pro בְּנָוֶה legisset בְּבִנְיָנָה. וְאֶפְרַיִם לְהוֹצִיא At nunc quoad *Ephraimum*, futurum est, ut *educantur*; ita Infinitivus praemisso ל vertendum et Deut. XXXI, 17. לֶאֱכֹל futurum est *ut devoretur*; 2 Sam. XIV, 25. לְהַלֵּל ita ut *laudaret*; cf. Mich. V, 1. Recte Hieronymus: *et Ephraim educet ad interfectorem filios suos.* אֶל־הוֹרֵג *Ad* hostem *occisorem*, cf. infra XIV, 1. Ezech. XXI, 16. בָּנָיו *Filios suos*, quos Vs. 11. כְּבוֹדָם, *gloriam suam*, vocarat. Quum igitur multum sibi Ephraimitae praesidii adesse gloriarentur, quod juvenilis fortitudinis ac bellantium robore pollerent, eam nunc tam vanam fiduciam Noster destructum it, dicens, plurimas quidem vires fuisse Ephraimo collatas, ac summopere eum divinitus ornatum; non tamen hoc obstaculo fore, quo minus pessum iret rebellis in Deum populus, utpote qui destitutus provido consilio et ope divina, ipse esset ruiturus in exitium, ipse suos filios tam laudatum robur, expositurus hostibus, educturus ad interfectorem. Hieronymus: „Ipse autem, id est, Ephraim,

Ephraim, five Tyrus, quae erat fundata in maris pulchritudine, educet ad captivitatem filios fuos. Multi hoc Capitulum ad Azaelis tempora referunt, qui obfedit Samariam, et longo tempore afflixit fame, ut levius arbitrarentur obfeffi gladio perire, quam inedia." Rittershufius:

Pulchra Tyrus firmis veluti radicibus haeret;
Credere fic nihil huic fe cenfent Ephraimitae
Elati, digitoque volumina tangere coeli.
Interfectori fed enim fua pignora tradent,
Quamlibet inviti, mactarique illa videbunt
Ante fuos crudele oculos. Ea poena fuperbis
Ex merito veniet, cogens demittere criftas.

14. תֵּן־לָהֶם יְהוָה Chaldaeus fic vertit: הַב לְהוֹן יְיָ יַת תּוּשְׁלָמַת עוֹבָדֵיהוֹן *da eis, Domine, retributionem operum fuorum,* forfan e Pf. XXVIII, 4. Verba funt pathetica prophetae, qui redit ad id, quod Vs. 12. dixerat Deus de orbatione liberorum, ut novam cauffam fubjiciat, et deinde in annunciatione poenarum pergat Vs. 15. מַה־תִּתֵּן nonnulli reddunt: *id quod habes iis dare,* five, ut Syrus, ܡܕܡ ܕܝܗܒ ܗܘܝܬ ܠܗܘܢ *id quod daturus eras,* ut מַה h. l. non fit interrogative fumendum, *quid?* fed pure relative, *quod,* ut Jud. IX, 48. Coh. I, 9. III, 15. Et certe leviter diftinguens accentus Tiphcha voci יְהוָה appofitus huic interpretationi favet. At vero quum voculae מַה fit magis trita fignificatio *quid?* interrogative, tum quod de maturo infantium interitu Vs. 11. 12. fuerat ante loquutus, hic folum repetit, ut, quafi optionum duorum malorum inftituens, videatur prius elegiffe, hinc praeferendam ftatuo expofitionem, quae interrogative haec fumit, hoc fenfu: *Dato iis, Domine — et quid horum dabis?* ne des, precor, fi qua pote, ut educant filios ad interfectorem, תֵּן־לָהֶם רֶחֶם מַשְׁכִּיל, *da eis uterum abortientem,* qui concipit quidem et gerit aliquando foetum, fed ad maturitatem non alit, nec in vitam edit. Graecus Alexandrinus: *μήτραν ἀτεκνοῦσαν.* Syrus: ܡܪܒܥܐ ܡܬܟܠܢܐ *uterum fterilem.* Jarchi optari ait, ut illorum foetus

foetus eo ipſo tempore, quo in lucem mundi prodeant, moriantur. Sed Aben-Esra: שימותו בבטן *ut moriantur in utero.* Kimchi Participium Hiphil מַשְׁכִּיל *orbantem* exponit; quaſi uterus orbet eos, quia in utero ſunt orbati, ſive ſublati. Abu-Walid, Pocockio referente, מַשְׁכִּיל ait h. l. non eſſe فاعل *Participium agens* ſ. *activum*, ſed صفة *adjectivum epitheton*, ſignificans ذو ثكل *orbitatem habens.* וְשָׁדַיִם צֹמְקִים *Et ubera arida,* quae partum alere nequeunt. Propheta cum audivit futurum, ut parentes hoſtibus filios ſuos proderent, orat Deum, ut minore poena contentus ſit; ut vel moriantur nondum nati, vel nati moriantur lactis inopia parvuli. Hieronymus: „Si his, quae Deus pro benedictione donavit, male abutamur, et in contrarium, quam ab eo data ſunt, convertantur, expedit, ut auferantur a nobis. Quia igitur Ephraim gloriabatur in utero, et in conceptu, et partu (Vs. 11.), et in populorum multitudine, propheta Dominum deprecatur et dicit: *da eis, Domine!* ſibique ipſe reſpondet: *quid dabis eis?* et ſtatim infert: *da eis vulvam ſterilem et ubera* arentia, ne habeant cauſas ſuperbiae, ut in quo ſibi gloriari ſolent, in eo confundantur.“ Rittershuſius:

> *Da, Domine, his, quaecunque dabis. Neque enim tibi quidquam*
> *Mortali genitum praeſcribere ſemine fas eſt,*
> *Decretumve mutare. At praeſtet, abortum*
> *Quae crebrum faciat, neque juſto tempore in auras*
> *Vulva edens foetus, queis ſit lux ultima prima.*
> *Ubera praeſtiterit dare flaccida matribus, atque*
> *Dulciſluo numquam lactis manantia rore,*
> *Infans materno foetus quem pectore ducat.*
> *Crudelis ſic materiae minus hoſtis haberet*
> *Exercendam ad ſaevitiam, minus inde cruoris*
> *Fundere devicti ſic poſſet barbarus enſis.*

15. כָּל־רָעָתָם *Omnis* namque *malitia eorum,* VII, 2. בַּגִּלְגָּל *In Gilgal* exercetur, et ad ſummum pervenit IV, 15.

XII,

XII, 12. Chaldaeus: כָּל בִּישְׁתְּהוֹן גְּלִיָן קֳדָמַי בְּגִלְגְּלָא *omnis malitia eorum manifesta est coram me in Gilgal.* R. Tanchum ad Versus initium subaudit: זָכַרְתִּי *recordatus sum* omnis eorum malitiae in Gilgal. כִּי explanativum est: *nam* ita ibi peccarunt, ut Deus eos odisse coeperit. שָׁם שְׂנֵאתִים *Illic odi eos,* odium meum sibi conciliant cultu idolorum. Dei verba haec esse, docet res ipsa. Hieronymus: „In Galgal Saul unctus in regem est, Samuele iram Dei populo nunciante. *Ibi,* inquit, *exosos habui eos,* et sibi regem hominem postulantes a meo imperio recesserunt. Sive quia Galgala idololatriae locus est, ibi omnia scelera commiserunt." Posteriorem rationem nos haud dubitamus veram esse. Nam Saulis regnum hic innui, et eam iniquitatem dici כָּל־רָעָתָם, *omne malum eorum,* quae et Davidis Kimchii est sententia, vix simile veri. Nos igitur quum saepius propheta de flagitiis, praesertim idololatria, conqueratur, ad ea quoque hoc dictum referre malumus. R. Tanchum: يقول منذ دخلوا الي البلاد بدوا بالخلاف والعصيان مثل قصة عكن ونحوها *dicit: inde ab eo tempore, quo ingressi sunt terram* (Palaestinam), *coeperunt immorigeros esse et rebellare, uti factum Achanis, et alia ejusmodi.* Aben-Esra haec annotat: „Nominis Gilgal idcirco hic ratio habetur, quod idem ille locus sit, ubi sedem ad tempus habuere, quando Jordanem transiverunt. Obstringebat eos ipsa aequitas meam benevolentiam celebrare, quam iis praestiti, quod majores eorum introducens in terram meam has primo feci occupare sedes. Ast quum tam foede iis nunc res agatur, *expellam eos ex domo mea,*" ut sequitur. Gilgale et restitutum fuit circumcisionis signum et celebratum Pascha, ut quasi in redingratum foedus ibi redierint Deo Israelitae, et juxta foederis gratiam, terram velut in primitiis consecraturus ad suam habitationem Deus sanctum eum locum nuncupavit, Jos. V, 2. 9. X, 15. Hinc quicquid perpetrabat ad foederis violationem (cf. supra VI, 7.)

Israel,

Iſrael, ceu ſtato munimento in teſtimonium ibidem proſta-bat. Rittershuſius:

Ipſe locus crimen reddit conſpectius augetque.
Hic ubi majores ipſorum reddere ſanctos
Commemini, cum ipſis renovato foedere prisco,
Quos circumciſos praeputia ponere juſſi,
In me poſteritas admiſſa neſanda patrare
Non dubitat, neque noſtro odio ſe onerare veretur.

עַל רֹעַ מַעַלְלֵיהֶם Imo *propter* ſummam *malitiam operum eorum*, Deut. XXVIII, 20. Jerem. IV, 4. מִבֵּיתִי אֲגָרְשֵׁם *E domo* ſ. familia et cura *mea ejiciam* ſ. *expellam eos*. „Per *domum Dei*,“ inquit J. G. Lackemacher in *Obſervatt. philologg.* P. V. p. 233. ſeqq., „ex qua expellendi hic dicuntur Iſraelitae, Kimchius aliique eum ſequuti interpretes, cum Judaei tum Chriſtiani, templum intellexere Hieroſolymitanum. A quibus ut diſſentiam, eo adducor, quod tunc cum haec ſcriberet Hoſeas, eidem templo pridem valedixerant Iſraelitae, ac fana frequentare coeperant peculiaria. Qui potuiſſet igitur poenae loco expulſio eſſe illis, qui neque ingrediebantur templum, neque ingredi cupiebant, imo adverſabantur? Malim igitur phraſin *ex aedibus ejicere* ad illum referre veterum morem, quo, matrimonium diſſoluturi, feminam domo extrudebant. Duxit me in hanc ſententiam illa prophetis, Hoſeae praeſertim, uſitatiſſima imago, qua Deus ut maritus, gens vero Iſraelitica ut uxor ejus repraeſentatur. Similitudinem in eo illi, ut opinor, poſuerunt, quod iſtam Deus gentem eadem cura ac benignitate foveret, aleret, atque tueretur, qua maritus ſolet conjugem dilectam, ideoque non minore jure cultum, reverentiam et obſequium ab illa poſtularet, quam maritus ſingula haec a ſua poſtulet conjuge. Quandoquidem vero Iſraelitae adeo parum memores vivebant ſui officii, ut ea idolis potius ſuis, quam vero numini praeſtare conſueſcerent, hinc paſſim repudium illis, Dei nomine, minantur prophetae. Inſignis in Noſtro locus eſt II, 4. Jam tulit ita Hebraeorum conſuetudo, ut femina, quam uxorem amplius

nollent

nollent agnoscere, e domo mariti abigeretur. Ex quo factum, ut *domo expellere* idem ſignificare coeperit, ac *dimittere, repudiare* uxorem. Datum hinc etiam repudiatae nomen fuit גְּרוּשָׁה, *expulſae*, ipſique divortio גֵּירוּשִׁין [id quod Lackemacherus pluribus comprobat locis e Maimonide et Talmude depromptis]. Ritu divortii eodem Graecis quoque et Romanis uti placuit. Quam ob cauſam vir uxorem abdicans dicebatur illam *ἀποπέμπειν* ſcil. *ἐκ τῆς οἰκίας*, *dimittere*, ſeu *ejicere* ex domo ſua, in quam conjugium initurus dixerat. Quando igitur Deus Iſraeli *expulſionem* minatur *e domo ſua*, ſane divortium minitatur, per metonymiam quandam; indicans ſcilicet, et alimenta et tutelam, et omnem gratiam eidem ſe ſubtracturum, *nec eſſe amplius*, quod addit, *amore eum ſuo proſequuturum* (לֹא אוֹסֵף אַהֲבָתָם), ſed hoſtium injuriis expoſiturum. Quodſi tamen ulterius forte quis quaenam illa ſit divina domus, unde expellendi dicantur Iſraelitae, requirat, recte ſane affirmari poterit, quemadmodum Abarbenel monuit, regionem eſſe, quam decem tribubus inhabitandam conceſſerat, et ex qua per Aſſyrios mox erant abigendae. Ea nimirum VIII, 1. *domus* appellatur *Dei*.“ Hieronymus: „Quaeritur, quomodo *de domo ſua ejecerit eos*, id eſt, decem tribus, quum in domo Dei non fuerint? Sed domum Dei vel terram Sanctam appellabimus, in quam introducti ſunt, vel falſum nomen Iſraelis, vel quod ad eos, quaſi ad populum Dei, mittebantur prophetae. Quod autem ait, *non addat ut diligat eos*, perſpicuum eſt, usque hodie enim permanent in captivitate. Alii hoc quod ſcriptum eſt: *de domo mea ejiciam eos*, ad regnum Juda referri arbitrantur, quod et ipſi ducendi ſint in captivitatem. Sed quomodo poterit eis adaptari: *non addam ut diligam eos?* quum poſtea Hieroſolymam ſint reducti, *et omnes principes eorum recedentes?* quum legerimus David, Aſa, Joſaphat, Ezechiam, Joſiam, reges fuiſſe juſtos.“ כָּל־שָׂרֵיהֶם *Omnes namque principes eorum*, qui malitiam populi coercere debebant, סֹרְרִים, *refractarii* et legum divinarum impatentes ſunt, cf. IV, 16. Abarbenel

hoc

hoc in reges dictum exiſtimat, functos in Iſraele regni muniis, ex quo in duo diviſum regnum fuit; omnes enim illi peſſimi nequam fuerunt, ac graviſſimis peccatis in Deum ſeſe oppoſuere. Nos Chaldaeo adſtipulamur, כָּל רַבְרְבֵיהוֹן, *omnes proceres eorum* vertenti. Cf. Jeſaj. I, 23. Quare autem *principum* in his mentio exiſtat, docet Kimchi: „*Principes eorum* praefectura ad hoc donati, ut eos corriperent ac ad frugi retraherent vitam, ipſimet *rebelles* ſunt, qui ergo ſperem unquam eos ſincera ad me poenitentia reverſuros? Eapropter non pergam eos diligere.“ Rittershuſius:

Ob ſtudia iſta domo mihi eos expellere certum eſt,
Tam mala, tam prava, atque ſceleſta ac flagitioſa,
Statque omnem erga ipſos delere ex pectore amorem.
Ipſorum ducibus mens refractaria quippe eſt
Omnibus, in ſuperos geſtant animosque rebelles.

16. הֻכָּה אֶפְרַיִם *Percuſſus eſt Ephraim,* metaphora e ſtirpibus ſumta, quae vermibus, vento, aut vi coeli aſperioris tactae et percuſſae exareſcunt, ut Jon. IV, 7. וַתַּךְ אֶת־הַקִּיקָיוֹן, *percuſſit ricinum et exaruit;* et Pſ. CII, 5. הוּכָּה *percuſſum cor meum quaſi herba exaruit.* Chaldaeus: בֵּית יִשְׂרָאֵל דָּמֵן לְאִילָנָא *domus Iſrael ſimiles ſunt arbori.* שָׁרְשָׁם יָבֵשׁ *Radix eorum exaruit,* q. d. non rami modo, ſed ipſa radix, (cf. eandem imaginem Jeſaj. V, 24. XIV, 30. Amos II, 9.). Chaldaeus: דְּקָלָא שַׁרְשׁוֹהִי מִלְּרַע וְיָבֵשׁ נוֹפֵיהּ מִלְעֵילָא *cujus radices exaruerunt deorſum, et cujus rami exareſcunt ſurſum.* Tunc vero ſpes omnis fructus conſequendi ademta; ideo ſequitur: פְּרִי בַּל־יַעֲשׂוּן, *fructum non edent,* i. e. ſobolem nullam procreabunt. In coepta ab arboribus metaphora perſiſtit, qua liberi etiam *fructus uteri* ſaepe dicuntur, vid. Thren. II, 20. Deut. XXVIII, 11. 18. Luc. I, 42. Senſus: regnum eorum funditus evertetur, ut reſloreſcere nequeat. Contrariam imaginem ad ſtatum reipublicae indies magis eſſloreſcentem deſignandum, cf. Jeſaj. XXXVII, 31. Pro בַּל, quod in margine exſtat, in textu legendum בְּלִי; vid.

vid. Hiller *de Arcano Kethib et Keri* p. 279. גַּם כִּי *Etiamſi vero,* ut ſupra VIII, 10. Jeſaj. I, 15. יְלֵדוּן *Genuerint* mares et feminae, de utroque enim ſexu hoc verbum uſurpari, patet ex Geneſ. XX, 17. וְהֵמַתִּי *Tamen mori faciam,* ut II, 5. Jeſaj. XIV, 30. מַחֲמַדֵּי בִטְנָם *Deſideria,* deſideratiſſimos fructus *ventris eorum,* ut vel in utero, vel in partu moriantur. Cf. Vs. 6. Ezech. XXIV, 16. 25. Thren. II, 4. Liveleus: „*Deſideria,* i. e. deſideratiſſimos eorum liberos; metonymia adjuncti, qualis apud Ciceronem in Epiſtolis uxorem et liberos *deſideria ſua* appellantem: *Valete,* inquit, *mea deſideria, valete.*“ Hieronymus: „Metaphoram ſumit ab arbore, cujus ſi radices aruerint, fructum afferre non poterit, et ſi paululum fecerit, ſtatim in ipſo flore ſiccabitur. Dicit autem de Ephraim, cujus radix aruit, quia Deum, in quo fundatus erat, perdidit; ſive patres ſuos, Abraham, Iſaac et Jacob, in quibus radicem miſerat, habere non meruit, et propterea fructum juſtitiae non faciet, quod etſi fecerit, *interficiam,* inquit, *amantiſſima uteri ejus,* juxta id, quod ſupra (Vs. 12.) dixerat: *ſi enutrierint filios ſuos, absque liberis eos faciam in hominibus.*“ Abarbenel: „Quaſi concluſionem formare ex praecedentibus propheta formare voluiſſet, ſic ait: poſtquam percuſſus eſt Ephraim per hoſtium ſuorum manus, ac ipſa ejus *radix* (illuſtriores populi heroës deſignat) *exaruit,* conſequitur nec fructum ex eo ſperandum eſſe.“ Rittershuſius:

Ephraimaea tribus ſtricto mactabitur enſe,
Atque exareſcet penitus radicibus imis,
Ne poſthac ullos poſſit progignere fructus,
Quod ſi forte etiam praeter ſpem gignere tentet,
Dulcia ego ſubita mulctabo pignora morte,
Ne poſſit ſoboles genitoribus eſſe ſuperſtes,
Communi ex voto, conſueti ex moreque curſus.

17. יִמְאָסֵם אֱלֹהַי *Averſatur illos* impios homines *Deus meus,* „propheta loquitur,“ inquit Drusius, „et non obſcure innuit, appellando *Deum ſuum,* non eſſe amplius

Deum ipforum." Alii: *rejiciet eos Deus* (ut fupra IV, 6.), fcilicet ita, ut non fint amplius populus Dei (I, 9.), i. e. respublica, in qua Deus fuum habeat domicilium. כִּי לֹא שָׁמְעוּ לוֹ *Nam non aufcultarunt ei*, non praeftiterunt ei obedientiam, 2 Reg. XVII, 14. XVIII, 12. וְיִהְיוּ נֹדְדִים *Ideo erunt vagi* et exules, VII, 13., fine rege et principe III, 4. בַּגּוֹיִם *Inter populos* disperfi, uti denunciatum jam Deuter. XXVIII, 64. feqq. Rittershufius:

Impia quando Dei vocem aufcultare recufat
Turba, atque avertit monitis coeleftibus aures,
Ab fe fpernet eos etiam Deus abjicietque.
Errabunda vagi figent veftigia ubique
Sedibus incertis, varias hinc inde fugati
Per gentes, patria et vix reftituentur in arva.

Cap.

Cap. X.

Argumentum.

Totum hoc Caput in enumerandis peccatis Ephraimitarum, illorumque propterea ſupplicio amplificando verſatur. Primum queritur Deus, quod quicquid facultatis et virium in idolorum cultum et honorem effuſe contulerunt, quum tamen ab illis nihil praeter ſtragem et ignominiam conſequuti ſint (1—4.). Quae adeo aliis non potuerunt eſſe praeſidio, ut ipſa non evitarint, quominus inter alia ſpolia praedae quoque fuerint hoſti victori (5—7.). Propterea eo deſperationis dicuntur eſſe venturi, ut opprimi optent a ruentibus ſaxorum molibus, dummodo aerumnoſam vitae conditionem effugiant (8). Quum vero illorum ſtultum et inutilem laborem exprobraſſet, ex quo fructus ſperari poſſet nullus, hortatur ut melius ponant atque prudentius quod reliquum eſt temporis, ne dirum Arbelae fatum experiantur (9—15.).

---

1. גֶּפֶן בּוֹקֵק *Vitis evacuans* ſcil. fructum, dum hic maturescere incipit, ut pereat, nec cultori proſit. Ita Jarchi: „Iſraelitae ſimiles ſunt viti, quae abjicit omnem fructum ſuum bonum.“ Chaldaeus בּוֹקֵק vertit בְּזִיזָא *vaſtata*, et ſane verbum בָּקַק de vaſtatione terrae dicitur Jeſaj. XXIV, 1. 3. Sed hoc loco eſt Participium activum. Alii tamen intranſitive capiunt. Ita Aben-Esra, qui ſic exponit: רק אין בו כח לפרות ואין פרי *vacua, in qua non eſt virtus ad fructum proferendum, nec fructus.* Et R. Tanchum: فاسد باير

لا خير فيه *corrupta vacua, in qua nihil boni.* Sed significationem plane contrariam exprimunt LXX *εὐκληματοῦσα*, Vulgatus *frondosa*, Syrus ܓܦܬܐ ܕܣܘ̈ܟܐ *vitis palmitum*, verterunt, ex significatione, ut nonnulli existimant, Arabici بق, *multam effudit pluviam coelum*, ac figurate, *multam prolem peperit* femina. Hinc et Michaelis in *Supplemm.* p. 212. nostram dictionem exponit: *vitis effundens*, id est, palmitibus foliisque luxurians, nimis frondosa; quod statim, addit, „ad Israelitas ita transfertur: quo ditiores sint, quo foecundiores agros arent, eo plures aras struere, et pulcriores statuere deorum imagines.“ Hieronymus: „Pro *vite frondosa* Aquila interpretatus est *ἔνυδρον*, quam nos *aquosam*, vel *ἔξοινον* possumus dicere, eo quod vini perdat saporem. Symmachus *ὑλομενοῦσαν*, quae tota in frondibus creverit. Vites quae putatae a vinitore non fuerint, in flagella frondesque luxuriant, et humorem, quem debuerint in vina mutare, vana frondium et foliorum ambitione disperdunt, istiusmodi vitis damnosa est agricolis. Talis fuit Israel, crescens in multitudine populorum, et non reddens fructus agricolae Deo. Dicamus et aliter: *vitis frondosa*, sive juxta LXX *εὐκληματοῦσα*, id est, *bonas habens propagines*, et flagella fructifera, multos botros attulit, et uvarum foecunditas ramorum foecunditatem coaequavit; sed haec, quae prius talis erat, antequam offenderet Deum, postea abundantiam fructuum vertit in offensae multitudinem, ut quanto plures haberet populos, tanto plura aedificaret altaria, et abundantiam terrae numero vinceret idolorum.“ Ceterum nomen גֶּפֶן, quod plerumque femininum est, h. l. ut masculinum tractatur, ut 2 Reg. IV, 39. יִשְׂרָאֵל est *Israel*, qui cum prava ejusmodi vite et Jesaj. V, 4. comparatur. פְּרִי יְשַׁוֶּה־לּוֹ *Fructum similem fert* s. *facit sibi*, sic verbum hoc accipitur in Piel 2 Sam. XXII, 34. (Ps. XVIII, 34.), et in Hiphil Jesaj. XLVI, 5. Thren. II, 13. Vulgatus: *fructus adaequatus est ei.* Gussetius: „*Israel evacuat vitem* vindemiando, tum *fructum ejus quadrare facit suo intento,*

intento, quod eſt, honorare idola; totum ergo fructum parat accommodate ad uſus idololatricos." Alii יְשַׁוֶּה derivandum cenſent a שָׁוְא *vanitas*, *mendacium*, ac ה eſſe in compenſationem τοῦ א. Sic R. Salomo ben Melech: כאלו אמר פרי יכחש לו, *quaſi dixiſſet: fructus mentietur ei*, citatque Hoſ. IX, 2. Hab. III, 17. Plures ſimplici *ponendi* ſignificatu verbum illud accipiunt, ut Kimchi, ſed is interrogative: *num fructus ponet*, faciet, *ſibi?* „i. e. quomodo ſeponere ſibi fructus poterit, quum perinde ſe habeat ac vitis vacua? nam rapinis eum exhauſerunt hoſtes, ac reliquerunt eum ut vas inane; unde igitur prosperitas ei in poſterum accedat, qua prolem numeroſe emittat floreatque opibus?" Alii: *fructus ponit*, profert, *ſibi* ipſi, in ſuam utilitatem; ſi quid profert, eo toto in libidinem ſuam abutitur. Ita Rittershuſius:

Iſraeligenas ſimiles ego judico viti
Vaſtatae ac vacuae, ſibi quae fructum ipſa reponit,
Utilis et nulli eſt unquam, niſi forte ſibi ipſi.

Chaldaeus ita vertit: פֵּרֵי עוֹבָדֵיהוֹן גְרַמוּ לְהוֹן דְיִגְלוֹן *fructus operum illorum in cauſa fuit, cur captivi ſint abducti.* Conjecit Cappellus, interpretem pro יְשַׁוֶּה ſuo in codice legiſſe יִשְׁבֶּה, a שָׁבָה, *abducere in captivitatem.* Falſam tamen judicat hanc conjecturam Buxtorfius *Anti-Crit.* p. 733. „Male," inquit, „applicatur paraphraſis verbis prophetae, et verba prophetae non ſecundum mentem Jonathanis vertuntur et exponuntur a Critico. Propheta dicit: *vitis vacua*, vel *evacuans* eſt *Iſrael*, *fructus ponit*, vel *reponit ei.* Haec verba Jonathan accepit tanquam elliptice dicta, in quibus ſubaudiendum, quid fructus ejus reponat Iſraeli, ſcilicet mercedem et poenam condignam, captivitatem. In ejus itaque paraphraſi reſpondet τῷ פְּרִי *fructus operum ipſorum;* τῷ יְשַׁוֶּה־לּוֹ *cauſarunt ipſis.* Quod addit: *ut deportarentur*, vel, *captivi abducerentur*, de ſuo ſupplevit et addidit, neque id reſpondet Hebraeo יְשַׁוֶּה, ut vult Criticus." כְּרֹב לְפִרְיוֹ *Secundum multiplicari*, ſ. *quum multiplicatio*, abundantia, accidit *fructui ejus*,

Chal-

Chaldaeus: כַּד אַסְגֵּית לְהוֹן עֲלַלְלָא *quando multiplicavi eis proventum.* Cf. IV, 7. הִרְבָּה לַמִּזְבְּחוֹת *Multiplicat* Iſraël iſtum fructum, vel, ſecundum Chaldaeum, פּוּלְחַן *cultum, aris* idolorum. Quo ampliorem eis annonam conceſſi, eo plures excitarunt aras, dum omnia bona, quae eis obtigerunt, non Jovae, Deo ſuo, ſed idolis adſcripſerunt; cf. II, 7. 10. VIII, 11. כְּטוֹב לְאַרְצוֹ *Secundum bonitatem terrae ſuae* conceſſam. הֵיטִיבוּ מַצֵּבוֹתָם *Bene fecerunt ſtatuas ſuas,* quo meliorem terram eorum reddidit, eo meliores, i. e. elegantiores ac majori ſtudio compararunt ſtatuas deaſtrorum. 2 Reg. XXIII, 14. Cf. ſupra VIII, 4. Hieronymus: „Pro *ſimulacris* LXX verterunt στήλας, quas nos *ſtatuas* vel *titulos* appellamus, qui proprie daemonum ſunt, aut hominum mortuorum." Rittershuſius:

Pro numero fructus plures etiam excitat aras
Gens idolorum male ſano dedita cultui;
Proque ſoli ubertate ſui ſimulacra locata
Dedicat, et cumulans probroſo ea mactat honore.

2. In dictione חָלַק לִבָּם explicanda diſſident inter ſe interpretes. Hebraei fere: *cor eorum diviſit ſe,* ſcil. a Jova, ſive מִן אוֹרַיְתֵהּ *a lege ejus,* ut Chaldaeus habet. Malim cum R. Tanchum ſic capere: تقسم بالهم وعقلهم ورايهم ان اشركوا بالله غيره *cor, et mens et opinio eorum ſunt diviſa, quia Deo alios* deos *aſſociant,* non Jovam ſolum colunt, verum et alios deos. Sed quum verbum illud ſenſu hoc neutrali alias non legatur, ſunt qui reddant active: *diviſit cor eorum* ſcil. Deus, quod referunt ad interna diſſidia, quibus reſpublica tandem diſſolvi oportebat. Alii: *dividit*, i. e. diſtribuit, impertitur *cor,* animus *eorum* ſcil. ſacrificia idolis, i. e. impertiuntur idolis quicquid habent. Ita Rittershuſius:

Quicquid habet ſummo idolis ſtudio impertitur.

Sed nimium alieni hac interpretatione textui infertur. Quidam, adſcita ſignificatione *laevem, lubricum eſſe,* quam חָלַק obtinet

obtinet Ps. LV, 22., et Hiphil Ps. V, 10, XXXVI, 3., unde חָלָק de *blanditiis* usurpatur Proverb. VII, 21., verba nostra interpretantur: *adblanditur* ipsis *cor eorum*, dum idola volunt. Duriuscule. Vulgo receptam Hebraeis explicationem, primo loco allatam, adoptavit quoque Hieronymus, dum vertit: *divisum est cor eorum*. In Commentario: „Tradunt Hebraei hujuscemodi fabulam, suspicionem suam Scripturarum auctoritate confirmantes: quamdiu et reges et populi pariter vitulos aureos adorabant, et habebant in impietate consensum, non venit captivitas. Extremus rex decem tribuum fuit Osee, de quo scriptum est (2 Reg. XVII, 2.): quod *fecerit quidem malum Osee in conspectu Domini, sed non sicut reges Israel, qui fuerunt ante eum*. Cujus nono anno Salmanasar, rex Assyriorum, cepit populum Israel, et eduxit eos in Assyrios, et habitare fecit juxta flumen Gozan, in civitatibus Medorum. Quaeritur ergo, quare sub pessimis regibus capti non fuerint, sed sub eo, qui coeperat ex parte aliqua ad meliora converti? Ad quod haec inferunt: excusabat se primum populus et dicebat: regum paremus imperiis, nec possumus eorum resistere tyrannidi, colimus vitulos, quos adorari compellimur, in diebus autem Osee ab eodem rege praeceptum est, ne tanto studio vituli colerentur, sed qui vellet iret in Hierusalem, et in templo sacrificaret Deo, huic, ajunt, sententiae, populus contradixit. Et hoc est, quod nunc dicit: *divisum est cor eorum*, hoc est, regis et populi, et nulla excusatione remanente nunc interibunt, et tradentur aeternae captivitati; statim enim ut populus dissensit a rege, venit interitus.“ עַתָּה יֶאְשָׁמוּ *Jam rei sunt*, culpae obnoxii facti sunt, peccati convincentur, XIII, 1. Levit. V, 5. Ita Syrus: ܡܶܢ ܗܳܫܳܐ ܢܶܬܚܰܝܒܽܘܢ *exinde rei peragentur*. Alii: *ob reatum luent*, ut Ps. XXXIV, 22. Jesaj. XXIV, 6. Sed LXX vertunt ἀφανισθήσονται, quos sequuntur Arabs in Polyglottis et Vulgatus, qui يبيدون, *interibunt* reddunt. Eodem modo verbum אָשַׁם et infra XIV, 1. capiunt, consentientibus Aben-

Esra

Esra et Kimchio, qui יֶאְשָׁמוּ *desolabuntur, vastabuntur* explicant, observantes, tenere אָשַׁם nonnumquam significationem verborum cognatorum שָׁמַם et יָשַׁם, veluti infra XIV, 1. Jes. XXIV, 6. Ezech. VI, 6. XXV, 12. Joel I, 18. הוּא *Ipse, Deus meus,* אֱלֹהַי, IX, 17. יַעֲרֹף *Resecabit,* destruet, ut quum bestia decollatur, qua de re hoc verbum Exod. XIII, 13. Deut. XXI, 4. et alias dicitur. R. Tanchum: يهدم ويخرب تشبيها بضرب القفا الذي يهدم الجسم *diruet et vastabit, comparatione desumta a percutienda postica colli parte, quo corpus diruitur.* Conferri potest et Arabicum غرف, quod est idem quod قطع, *secuit, resecuit,* nec non idem quod جز, *amputavit, totondit.* Immerito igitur Michaelis *Supplemm.* p. 1791. hanc significationem usu linguarum sororiarum firmari negat, atque Arabici عرف, *novit,* significatione verbo hebraeo tributa, vertit: *novit altaria eorum.* LXX κατασκάψαι. Vulgatus *depopulabitur.* Syrus ܢܣܚܘܦ *destruet.* Chaldaeus: יְחַגַּר קִדְלְהוֹן דְּאַגוֹרֵיהוֹן *circumaget, s. retro torquebit cervicem altarium ipsorum.* יְשֹׁדֵד *Vastabit,* Futurum Piel, ut Jerem. V, 6. מַצֵּבוֹת *Statuas* deastrorum, Vs. 1. Hieronymus: „Quodque sequitur, *ipse confringet simulacra eorum,* de Deo dicit, *arasque depopulabitur,* non quod Deus ipse propria hoc fecerit manu, sed quod per hostes voluntas ejus expleta sit." Rittershusius:

Ille autem, zelo qui cuncta idola flagrante
Prosequitur, Dominus, rerum cui summa potestas,
Impatiensque est consortis, simulacra nefanda
Confringet, divumque novas populabitur aras;
Asseret ipse suos ita cultus vindice dextra.

3. כִּי עַתָּה יֹאמְרוּ *Nam nunc,* cum illud eis continget, agnoscent suam stoliditatem, et *dicent:* אֵין מֶלֶךְ לָנוּ, quae verba nonnulli interrogativo accipiunt: *nonne regem habemus?* quasi comminationi superiori de aris destruendis et simula-

ſimulacris, opponant Iſraelitae: haec, quae tu minaris, ne contingant nobis, rex noſter videbit. Vel, ut alii volunt: *Nunc,* dum jugum Aſſyriacum, Hoſea regnante, excuſſerunt, et Aegyptiis foedere juncti ſunt (VII, 11. VIII, 13. 2 Reg. XVII, 3. 4.), *dicunt* quaſi gloriabundi: *nonne eſt rex nobis?* ſcilicet potens nunc et ſui juris factus, ſub cujus praeſidio in poſterum tuti ab hoſtibus erimus. Nihil tamen neceſſe, ut אֵין pro הַאֵין vel הֲלֹא poſitum arbitremur, quod nec veterum interpretum ulli in mentem venit. Bene Jarchi: „Cum iſtud in eos irruerit malum (de quo Vs. 2.), dicturi ſunt: *non eſt nobis rex,* id eſt, rex noſter, cujus protectione nos tutos fore gloriabamur, quod ipſe nobis in principiis procedens bella noſtra ſit confecturus, nullo nobis auxilio prodeſt.“ Nec aliter Kimchi: „Nunc, cum migrabunt e terra ſua, agnoſcent et dicent: *non eſt nobis rex.* Senſus eſt: perinde eſt ac ſi nullus nobis eſſet rex; neque enim, quem talem vocamus, hoſtibus nos eripere valet, ut opinati ſumus, quum regem poſtularemus, *qui nos procederet, et bella noſtra gereret* (1 Sam. VIII, 20.). Deus ipſe noſter fuit rex, qui hoſtium manibus nos eripuit, ſi ſecundum voluntatem ſuam ageremus, neque alio rege opus habueramus.“ כִּי לֹא יָרֵאנוּ אֶת־יְהוָה *Quia non timemus Jovam,* a quo ſolo ſalus nobis exſpectanda. Deut. VI, 2. 13. 2 Reg. XVII, 36. 39. וְהַמֶּלֶךְ מַה־יַּעֲשֶׂה־לָּנוּ *Ecquid rex efficiet,* ſ. praeſtabit *nobis?* Cf. XIII, 10. Jeſaj. XXXI, 1. 2. Hieronymus: „Poſtquam confregerit Deus ſimulacra Iſrael, et depopulatus fuerit aras vel ſtatuas eorum, et extrema captivitas venerit, dicent: *non eſt rex nobis.* Et ne in longum tempus putent ſententiam protelari, addidit: nunc dicent: quando vaſtantur, quando ſentient Oſee, regem ultimum a ſe eſſe ſublatum, ideo rex ablatus nobis eſt, quia non timuimus Dominum, verum regem; homo enim rex prodeſſe quid poterat?“ In alia omnia abit Rittershuſius:

Nunc vanas petulanti effundunt pectore voces:
Nullius imperio regis paremus, et, in nos
Quae rex conſtituit, non pendimus unius aſſis.

Ipſum

Ipsum non metuit coeli mens nostra monarcham.
Quid faceret rex, communi qui sorte creatus
Nobiscum, vitali una convescitur aura?

4. Quod antea (Vs. 3.) Israelitis exprobrarat, *eos Jovam non revereri*, nunc magis exaggerat, fraudes potissimum et perfidiam, in ipsis etiam foederibus solemnissime sancitis, redarguens. דִּבְּרוּ דְבָרִים *Loquuntur verba* tantum, i. e. verba vana et mendacia, merae fraudis et deceptionis, ut Latini etiam dicunt: *verba alicui dare.* Cf. Jes. LVIII, 13. אָלוֹת שָׁוְא *Pejerando falso*, Infinitivus constructus (absolutus supra IV, 2.), ut in proximo כָּרֹת בְּרִית *pangendo*, dum pangunt *foedus*. Rittershusius:

Scilicet in tanta hac animi impietate profani
Nil mirum quoque si perjuria nulla verentur:
Pro lubitu si pacta semel mox foedera frangunt,
Ut dictum non sit dictum, quandoque placebit;
Non dictum contra sit dictum, ita quando videtur
Ex usu ipsorum, et pro commoditate futurum.

Alii אָלוֹת habent pro nomine plurali, ut Deut. XXIX, 20., ut Gussetius, cui in *Commentar. Lingu. Hebr.* sub rad. כזב lit. X, 2., אָלוֹת שָׁוְא *juramenta vanitatis* in foedere pangendo, quae h. l. memorantur, sunt *juramenta per vanitatem*, i. e. per idolum, quemadmodum שְׁבֻעַת יְהוָה est *juramentum per Jovam*, Exod. XXII, 10. Sebast. Schmidius dictionem אָלוֹת שָׁוְא cum proxima, כָּרֹת בְּרִית, ceu subjecto propositionis conjungit hoc modo: *pangere foedus* est *exsecrationes vanitatis*, i. e. inanes, fraudulentae ac mendaces; cf. Jon. II, 9. Psalm. XXXI, 7., ut sensus sit: non tantum verba vana ac mendacia quocunque modo loquuntur, ut defraudent alios, verum etiam quando foedus aliquod magnis interpositis exsecrationibus pangunt, exsecrationes istae nihil aliud sunt, quam exsecrationes mendaces, quas non curant, sed temere, et sine pudore transgrediuntur. Non semel enim reges ipsi Israelitarum foedera violarunt. וּפָרַח *Et effloruit*, cf. XIV, 6. 8. Ps. XCII, 8. כָּרֹאשׁ *Sicut planta vene-*

venenata, talem enim nomine hebraeo ſignificari, patet tam ex hoc loco; quam ex Deut. XXIX, 17. 18. Amos VI, 12. locisque pluribus aliis, neque *fel,* aut *amaritudinem,* ut Hieronymus vertit. Qualis vero plantae ſpecies nomine ראשׁ ſive רושׁ, uti alias ſcribitur, deſignetur, incertum. *Cicutam* intelligit Celsius *Hierobot.* II, 46. ſeqq., *lolium temulentum, ſolanum,* J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 2220. ſeqq. מִשְׁפָּט *Jus* et judicium in ſummam injuſtitiam a vobis converſum; eadem ſententia Amos V, 7. 15. VI, 12. Habac. I, 4. Alii *judicio* intelligunt decretum regum Iſraelitarum de colendis idolis, quod noxiae inſtar herbae producturum ſit populi exitium, coll. Ezech. VII, 1., ubi violentia germini comparatur, unde tandem virga et poena excrescat. Chaldaeus מִשְׁפָּט h. l. accepit de דִּין שִׁקְרֵהוֹן *judicium* debito *eorum perfidiae,* quod exſequuturum ſe in eos Deus decreviſſet. עַל תַּלְמֵי שָׂדָי *Super ſulcis agrorum meorum,* in quibus triticum, non lolium, aut aliae venenatae plantae nasci debebat. Haec, inquit vates, florentis veſtrae reipublicae facies eſt, ut quemadmodum fraudes ac perjuria, etiam in foederibus, ita injuſtitia et judicia perverſa, quibus bona cauſa in malam vertitur, per totam terram invaluerint. Eadem queritur Jeſajas LIX, 8. 9. 14. 15. Jerem. V, 1. Rittershuſius:

Judicia ipſa etiam, delubra illa integritatis,
Juſtitiaeque ſacella, et veri portus et aequi,
Ipſius, in quibus elucet Deitatis imago,
Illorum culpa depravatiſſima facta,
Antiquum penitus pridem amiſere vigorem,
Ut jam nil niſi fel, niſi germinet inde cicuta,
Aut ſi quid fel atque cicutam vincit amarore.
Atque id per ſulcos noſtrorum ita creſcit agrorum,
Unde tamen fruges hominum naſcuntur in uſus,
Ingratosque meo mortales munere paſcunt.

Hieronymus hunc Verſum ſic reddidit: *Loquimini verba viſionis inutilis, et ferietis foedus, et germinabit quaſi amaritudo judicium ſuper ſulcos agri.* Ad quae in Commen-

mentario: „Dicite, quid vultis, errores veteres ſuſpicate, pollicemini vobis proſpera, quae vertentur in contraria; foedus ferietis, nequaquam cum Deo, ſed cum mendacio. Et poſt *foedus*, quod LXX interpretati ſunt *teſtamentum* (διαθήκην), germinabit vobis non ſeges foecunda frumenti, non ſaltem jumentorum cibus, hordeum, non legumina varia, non vites, quae fructus ſuos in muſta deſudant, non poma arbores germinabunt, quae humorem terrae in varios vertunt ſapores; ſed *orietur* vobis *amaritudo*, imo *amaritudinis judicium*, ſive ἄγρωστις, quam Latine in *gramen* vertimus. Eſt enim genus herbae calamo ſimile, quae per ſingula genicula fruticem ſurſum, et radicem mittit deorſum, rurſusque ipſi frutices et virgulta alterius herbae ſeminaria ſunt, atque ita in brevi tempore, ſi non imis radicibus effodiatur, totos agros veprium ſimiles facit. Denique etiam ſi ſicca ejus aliqua pars, dummodo geniculum habeat, ſuper cultam terram ceciderit, omnia replet gramine. Haec diximus juxta LXX interpretes. Ceterum in Hebraeo *Ros* ſcriptum habet, quod in *amaritudinem* vertitur, quae, cum dies judicii advenerit, germinabit ſuper ſulcos agri eorum, ut qui ſeminaverint in gaudio, metant in lachrymis, qui riſerunt, fleant, qui habuerunt conſolationem, lugeant."

5. לְעֶגְלוֹת *Vitulis*, femininum, hoc ſolo loco obvium. „Quod a ſequiore ſexu *vitulae* vocantur Jeroboami vituli (1 Reg. XII, 28. 2 Reg. X, 29. 2 Paral. XIII, 8.), putant ad contemptum pertinuiſſe, ut illud Graeci vatis (*Iliad.* II, 235.): Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί. Et Romani (*Aeneid.* IX, 617.): *O vere Phrygiae, nec enim Phryges!* Neque dubium, quin illud ἐξουθενισμοῦ genus multum valuerit apud Hebraeos, qui Deorum ſexus neſciunt. Proinde in Diis cenſentur *Berith* Jud. VIII, 33. et Aſtarte 1 Reg. XI, 5. 33. quamvis re vera apud cultores ſuos pro Deabus habitae fuerint. Foeminino igitur genere *vitulae* vocantur idola Jeroboami, ut eo magis conſtet, illa non poſſe haberi pro vero Deo, cujus decem nomina omnia maſculina ſunt."

BOCHAR-

Bochartus *Hieroz.* T. I. p. 369. edit. Lipf. בֵּית אָוֶן i. e. *Bethelis*, cf. 8. 15. IV, 15. Amos I, 5. Alii et vitulum *Danis* (cf. 1 Reg. XII, 29.) h. l. comprehendi exiftimant, ob pluralem numerum לְעֶגְלוֹת. Alterum tamen vitulum in Dane hoc tempore fuperfuiffe negant alii, et in nomine illo *enallagen*, non modo generis, fed etiam *numeri*, pluralis pro fingulari effe volunt. Dathius in fingulari לְעֶגְלַת legendum cenfet, nixus auctoritate Alexandrini aliusque Graeci interpretis, a Montefalconio citati, qui ambo fingulare *μόσχος* exhibent. Confentit Syrus. Adftipulatur Dathio Bahrdtius, genuinam effe fcripturam לעגלת demonftrare exiftimans fuffixa, quae fequuntur fingularia. Accedit, quod Verfu 6. tantum de uno vitulo vates loquatur. Sed recte Aurivillius *Differtatt.* p. 639. „Exiftimaverim," inquit, „neque opus effe vulgarem lectionem, quam adeo in univerfum omnes Hebraei codices, tum manufcripti tum impreffi exhibent, ut non nifi unicus fit apud Kennicottum Ms. [cui tamen poftea tres accefferunt de-Roffii codices, vid. ejus *Scholia critt.* ad loc.], qui לעגלת habeat [quod vero et defective fcriptum effe, et לְעֶגְלֹת efferri poffit], permutare, nec in τῷ לעגלות vel enallagen fingere, vel aliud quicquam fufpicari minus regulare. Etenim fi referamus fuffixa, quae heic exftant, fingularis numeri, non ad לְעֶגְלוֹת, fed ad בֵּית אָוֶן, uti dudum fecit Hubigantius, ea utique lectione receptae minime obftarent. Neque illam hiftoricae veritati contrariam dixerit, qui obfervet, pluralem numerum ab Hebraeis ufurpari, ubi aliquid defignare volunt, quod majorem in modum vel fui amorem vel odium excitat [v. c. חָכְמוֹת *fapientia* Prov. IX, 7., et cf. Gesenii *Lehrg.* p. 665.]. Eo igitur uti heic propheta poteft, ad indicandum, fummo fe gradu idolum iftud, vituli fortaffis forma gaudens, averfari, horrere, et contemnere." Praeterea pro recepto לְעֶגְלוֹת non modo ftat Chaldaeus, qui vertit: עַל דִּי פְלַחוּ לְעֶגְלַיָּא בְּבֵית־אֵל, *propterea quod fervierunt vitulis in Bethel;* verum et Hieronymus, qui prius Verfus hemiftichium fic reddidit: *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariae,* et

et in Commentario ita enarrat: „In Bethaven, id eſt, Bethel, vaccas aureas coluerunt habitatores Samariae, quae cum irriſione non *vitulos* ſexus masculini, ſed *vaccas*, id eſt, feminas, appellavit, ut videlicet Iſrael non ſolum deos vitulos, ſed deas vaccas coleret. Et ut oſtenderet, vaccas Bethaven unum in Bethel vitulum ſentiendum, non intulit: *luxit ſuper eis populus*, ſed, *ſuper eo*, id eſt, vitulo aureo." יָגוּרוּ *Timebunt* brevi, Deut. I, 17., conſtructum cum ל ejus, *cui timetur*, ut Job. XIX, 29. Alii גור h. l. de *timore religioſo*, ſive cultu vitulo Bethelico exhibito intelligunt, ut Chaldaeus et Hieronymus, quorum interpretationes attulimus. Sed iſto ſenſu ſi גור uſurpatur, ſemper cum מ ſeu מִפְּנֵי פְּלֹנִי conſtruitur; cf. not. ad Pſ. XXII, 24. שְׁכַן שֹׁמְרוֹן quisque *vicinus* (Exod. XII, 4. Proverb. XXVII, 10.), i. e. habitator (eſt enim τῷ יוֹשֵׁב parallelum Jeſaj. XXXIII, 24.) *Samariae;* cf. VIII, 5. Poena hic denunciatur Iſraelitis, everſio totius cultus idololatrici, de qua diſtinctius Vs. 8. loquitur. כִּי־אָבַל *Nam* mox *lugebit,* Amos VIII, 8. Praeteritum propheticum, quo futura tanquam res geſtae ſiſtuntur, ad certitudinem indicandam, ut Jeſaj. V, 13. IX, 2., et ſaepius. עָלָיו *Super eo,* vitulo ſuo. Qua in conſtructione ad rem reſpicitur praecedentem, non ad nominis formam, ut Geneſ. XLIX, 6. כְּבוֹדִי junctum verbo femineo תֵּחַד, quoniam illud pro נַפְשִׁי, nomine feminino, ponitur. עַמּוֹ *Populus ejus,* vituli cultores. Vel: populus Bethelis. וּכְמָרָיו *Et ſacriſiculi ejus.* Nomen praeter hunc locum bis tantum, 2 Reg. XXIII, 5. et Zephan. I, 4. obvium, atque ubique in deteriorem partem poſitum, de ſacerdotibus idolorum, plane ut Syriacum ܟܘܡܪܐ. Vid. J. D. Michaelis ad Caſtelli *Lexic. Syriac.* p. 419. et *Supplemm.* p. 1197. Illos nomen adeptos eſſe ab *atris veſtibus,* quum Hebraeorum *albis* uterentur, conjectura eſt parum probabilis. Veriſimilior Dav. Millii (*Diſſertatt. ſelectt.* p. 422. edit. ſec. 1743. 4.) ſententia, illud nomen derivari a radice כָּמַר *incendit, flagravit, uſſit* (Geneſ. XLIII, 30. Thren. V, 10.). Ab *incendio* autem ſacriſiculos

criſiculos iſtos כְּמָרִים appellatos exiſtimat, quia idolis continuo thus et ſuffitum incandebant. עָלָיו יָגִילוּ Qui adhuc *ſuper illo* exſultant, ellipſis relativi, ut Vs. 1., Jeſaj. XXVIII, 16. atque ſaepe alias. עַל־כְּבוֹדוֹ lugebunt *ſuper gloria ejus.* Suffixum quidam referunt ad *vitulum*, alii ad *Bethaven,* alii, et id quidem rectius, *ad populum,* ut IV, 7. IX, 11. Jeſaj. XVII, 3., ſed ita, ut vitulus intelligatur, quemadmodum Jova *gloria Iſraelis* alibi dicitur, ut Jerem. II, 11. In Graeca Alexandrina verſione verba וּכְמָרָיו עָלָיו יָגִילוּ עַל־כְּבוֹדוֹ ita expreſſa ſunt: *καθὼς παρεπίκραναν αὐτὸν, ἐπιχαροῦνται ἐπὶ τὴν δόξαν αὐτοῦ, et ſicut irritaverunt illum, gaudebunt ſuper gloria ejus,* uti Hieronymus reddidit. Cepit Graecus interpres כְּמָרָיו pro Participio verbi מָרַר aut מָרָה *amarus fuit,* et quidem tranſitiva ſignificatione, *exacerbavit.* כִּי־גָלָה מִמֶּנּוּ *Quia migrabit a nobis,* ab hoſtibus asportatus. Cf. 1 Sam. IV, 21. 22. Jeſaj. XXIV, 11. Jerem. XLVIII, 7. Rittershuſius:

Ob vitulos Bethavenicos cives Samaritae
Conficiunt curis ſeſe, et formidine inani,
Quando ipſum luget populus ſuus, aedituique
Atrati, qui quondam ob eum exultare ſolebant,
Integra adhuc florens ipſis cum gloria ſtaret,
Quae modo vanescens alio migravit in auras.

Hieronymus: „Si autem luxit populus, quare aeditui ejus ſuper eo exultaverunt? Tradunt Hebraei, vitulos aureos a ſacerdotibus furto eſſe ſublatos, et pro his aeneos et deauratos repoſitos. Cum igitur lugeret populus tempore neceſſitatis et anguſtiae, etiam vitulos aureos inter munera cetera Aſſyriis regibus, et maxime regi Sennacherib ab Iſraelis rege eſſe directos, exultabant aeditui, quod fraus eorum nequaquam poſſit argui vel deprehendi. Et hoc eſt, quod ait, *aeditui ejus,* id eſt, vituli, *ſuper eo exultaverunt in gloria populi,* hoc eſt, in vitulo, quem habebant pro gloria, *quia migraſſet ab eo,* id eſt, a populo, et translata eſſet ad Aſſyrios. Et ut ſciamus, inquiunt, hoc eſſe quod dicitur, perſpicue ſequens Verſus oſtendit."

6.

6. גַּם Nam *etiam* cum hominibus et ceteris ſpoliis; vid. 2 Reg. XVIII, 9. ſeqq. אוֹתוֹ *ille ipſe* vitulus; אֶת h. l. non eſt nota Accuſativi, ſed ut Nominativus verbo paſſivo jungitur, ut Num. XXVI, 55. XXXII, 5. Deut. XX, 8. Cujus dicendi formulae rationem expoſuerunt Storr *Obſervatt.* p. 263. ſeqq. not. et Gesenius *Lehrgeb.* p. 684. לְאַשּׁוּר *in Aſſyriam*, vel *Aſſyrio*, i. e. ad regem Aſſyrium, V, 13. cf. Jeſ. VIII, 4. יוּבָל *Deportabitur*, XII, 2. Jeſ. XVIII, 7. Pſ. LXXVI, 12. מִנְחָה Ut *munus*, 1 Sam. X, 27. לְמֶלֶךְ יָרֵב *Regi ultori*, ut Vulgatus vertit. Chaldaeus: לְמַלְכָּא דְיֵיתֵי לְאִתְפְּרָעָא לְהוֹן *regi qui venit punitum eos;* vid. not. ad V, 13. בָּשְׁנָה אֶפְרַיִם יִקָּח Tunc *pudorem Ephraimus capiet*, conſequetur; pudebit eos deaſtri, qui auxiliari eis non potuit, et ipſe in triumpho ductus eſt. Cf. Jer. XLVIII, 13. Sunt qui vertant: *pudor Ephraimum capiet.* Sed verbum masculinum יִקָּח cum ejusdem generis nomine אֶפְרַיִם et Nominativo jungendum eſt. In Graeca Alexandrina verſione pro בָּשְׁנָה אֶפְרַיִם יִקָּח haec leguntur: *ἐν δόματι Ἐφραὶμ δέξεται*, quod Hieronymus *in domo Ephraim ſuscipiet* reddidit. Confudit *δόμα donum* cum *δῶμα domus*. Recte Arabs in Polyglottis vertit: يقبل افرام بالعطية *offeret Ephraim donum.* Sed in nonnullis verſionis Graecae codicibus poſt *δέξεται* legitur *αἰσχύνην*. Videtur *ἐν δόματι* merum gloſſema eſſe, quod in textum irrepſit. וְיֵבוֹשׁ יִשְׂרָאֵל *Et erubescet Iſrael*, IV, 19. Jeſ. I, 29. מֵעֲצָתוֹ *A conſilio ſuo*, ſ. *propter conſilium ſuum*, quod non tantum de vitulorum erectione (1 Reg. XIII, 28.), ſed continuo cultu, contra conſilium divinum, toties illis per prophetas inculcatum, intelligendum. Cf. Deut. XXXII, 28. Jeſaj. XXIX, 15. XXX, 1. Jerem. VII, 24. Mich. VI, 16. Rittershuſius:

Aſſyrias ſed enim veniet perlatus in oras,
Ultori ut grato detur pro munere Regi.
Sic ſiet, tribus ut conſtet ſuffuſa pudore
Ephraimaea; rubor gentem occupet Iſraelis,
Talia cum cernent ſtudiorum praemia reddi,
Pravorum, ut perverſa malus probet exitus acta.

Hiero-

Hieronymus: „Siquidem (cf. not. ad Vs. 5. fub fin.) *ipfe* (vitulus) *in Affur delatus eft munus regi ultori,* ftatimque fequitur: *confufio Ephraim capiet, ut confundetur in voluntate fua,* five, *in confilio fuo.* Deprehenfa enim fraus deauratorum regi Ifrael literis indicatur; unde fe placere aeftimaverant, inde vel maxime confundentur, et offendunt eos, quibus munera miferant, aeftimantes non furto facerdotum, fed fraude regum atque confilio hoc effe perfectum. Legimus in Regum volumine, regem Ifrael Menahem, regi Affyriorum, Phul, mille argenti talenta mififfe, ut effet manus ejus cum eo, id eft, ut ei praeberet auxilium, inter quae nonnulli arbitrantur, etiam vitulos aureos éffe directos. Pro *Jarib* in praefenti loco Symmachus interpretatus eft ὑπερμάχοντι, id eft, praefuli et defenfori."

7. נִדְמֶה *Excifa* erit, vel *exfcindenda eft*, Vs. 15. Jef. VI, 5. שֹׁמְרוֹן *Samaria,* nomen urbis cum terminatione masculina, ut תִּפְסַח, צֹר, דַּמֶּשֶׂק et alia, unde Verbum masculinum eft junctum, quod fimul pertinet ad מַלְכָּהּ et *rex ejus,* in quo fpem et fiduciam fuam ponebant. Afyndeton, quale Habac. III, 11. שֶׁמֶשׁ יָרֵחַ *fol* et *luna.* Alii: *excifus* erit *Samariam* quod attinet *rex ejus,* i. e. Samariae rex exfcindetur; ut שֹׁמְרוֹן fit Nominativus abfolutus, qualis Cohel. II, 14. הֶחָכָם עֵינָיו, *fapiens oculi ejus,* fapientis oculi. Jon. II, 7. הָאָרֶץ בְּרִחֶיהָ *terra vectes ejus,* i. e. terrae vectes. LXX: ἀπέῤῥιψε Σαμάρεια βασιλέα αὐτῆς, *projecit Samaria regem fuum,* confentientibus Arabe in Polyglottis et Syro. Sunt, qui Graecum interpretem נִדְמֶה pro נִדְמֶה legiffe exiftiment a verbo רָמָה *projecit.* Quod tamen minus eft verifimile, quum נִדְמֶה fit Paffivum. Sed videtur interpres fenfum liberius expreffiffe, et indicare voluiffe, Samariam ipfam hanc fibi poenam conciliaffe, ut rex ejus fit exfcindendus, five rejiciendus. Chaldaeus: בַּהֲתַת שֹׁמְרוֹן בְּמַלְכָּהּ *pudefacta eft Samariam rege fuo.* Videtur נִדְמֶה *ad filentium adigi prae pudore* fignificare exiftimaffe. Nam דָּמָה et דָּמַם praeter alia et *filere* notare conftat. כְּקֶצֶף עַל־פְּנֵי־מָיִם *Sicut*

 fpuma,

spuma, vel *bulla* aut *ebullitio* (alias enim de *irae fervore* usurpatur, ut Jes. LIV, 8.) *in superficie aquae.* קֶצֶף Chaldaeus רִיתְחָא *spumam, ebullitionem* reddidit. R. Tanchum quoque per الزبد ونغاخات التي تطلع علي وجه الماء *spumam et bullas quae in aquae superficie ascendunt* exponit, et Abul-Walid per استشاطته وغليانه *exaestuationem et ebullitionem ejus.* Hieronymus: „*Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super facie aquae.* Pro *spuma*, quam LXX et Theodotion Φρύγανον, id est, *cremium* [confer Arabicum قصيف *fractus arboris ramus*, i. q. هشيم *fractus, arida ac fragilis res, festucae, stipulae*] transtulerunt, aridas herbas, siccaque virgulta, quae camino et incendio praeparantur, Symmachus posuit ἐπίζεμα, volens ostendere ferventis ollae superiores aquas, quas Graeci πομφόλυγας vocant. Sicut igitur spuma, quae super aquam est, cito dissolvitur (cf. Hieronymum infra ad Vs. 15.), sic regnum decem tribuum velociter finietur." Ad verbum נִדְמָה notat Abarbenel, postquam observasset, interpretum plurimos illud h. l. sumere *exscindendi*, perdendi significatu, Jarchium illud interpretari *silentium imponetur*, hoc sensu: silentium imponetur Samariae, silentium quoque imponetur regi ejus. „Commodius vero," pergit Abarbenel, „accipi existimo hoc verbum significatione *similitudinis* et *comparationis*, ut vertendum sit: *similis factus est* in urbe *Samariae* (subaudiendo כְּ, ut Exod. XX, 11. et alias) *rex ejus spumae in superficie aquarum*, quod supernatat quidem spuma eminetque, ac superior aliquando permanet, exiguo tamen tempore evanescit, insigni sic comparatione fluxam ejus gloriam depingens." Eodem, quo Abarbenel, sensu נִדְמָה capiens Rittershusius, nostrum Versum sic reddit:

Rex Samaritanus bullae assimilatus (in unda
Quae celeri exurgens velut est prognata tumore,
Sic displosa etiam celeri evanescet abortu)
Exutus regno mox carceris incola fiet.

Nos

Nos tamen non ſolum ob conſtructionem ſententiae, verum et ob anaphoram Verſus ſequentis (in quo non quidem hoc ipſum verbum, ſed ejusdem ſignificationis, etiam in principio ſcriptum) arbitramur *exſcindendi* ſignificationem retinendam. Senſus ceteroquin, quem Abarbenel indicat, probus eſt, eſſe nimirum propoſitum vati, ſubitum regis Iſraelitici exponere exitium.

8. וְנִשְׁמְדוּ *Et ſic delebuntur,* deſtruentur, Geneſ. XXXIV, 30. 1 Reg. XV, 27. בָּמוֹת *Excelſa,* ſeu potius *arae,* in ſublime exſtructae, vid. not. ad Jeſ. XVI, 12. אָוֶן *Inanitatis,* cultus ſuperſtitioſi, vid. Vs. 5. XII, 12. Hieronymus: „Ipſa autem excelſa ſunt *On,* id eſt idoli, quod interpretatur *inutile,* quod idolum et inutile peccatum eſt Iſrael.“ חַטַּאת יִשְׂרָאֵל Appoſitio: *ceu peccatum Iſraelis,* i. e. in quibus exſtruendis et frequentandis praecipue peccarunt. קוֹץ וְדַרְדַּר *Tribulus et ſpina,* Geneſ. III, 18. Vid Celsii *Hierobot.* T. II. p. 128. et 223. Cf. ſupra IX, 6. יַעֲלֶה *Aſcendet,* ſuccreſcet, ut Jeſ. XXXII, 13. עַל־מִזְבְּחוֹתָם *Super aris eorum,* quas vel vitulis, vel Baali, aliisve idolis erexerunt. Cf. Vs. 1. 2. VIII, 11. Amos III, 14. Hieronymus: „Diſſipato idolo et excelſis ejus *lappa et tribulus aſcendet ſuper aras eorum;* ſignum ultimae ſolitudinis, ut ne parietes quidem et extrema aedificiorum veſtigia relinquantur.“ וְאָמְרוּ לֶהָרִים Tantaque eos opprimet miſeria, *ut* deſperabundi *dicant* etiam *montibus:* כַּסּוּנוּ *operite nos.* Mortem, etiam miſerrimam, ſibi praeoptabant prae vita, ut obruti montibus et collibus, miſereque contuſi, mala futura videre non cogantur, vel praeſentia non videant amplius. Similia vid. Jeſaj. II, 19. Jerem. VIII, 3. Apoc. VI, 15. Alii horrorem conſcientiae deſcribi exiſtimant excruciantem impios, ut absconditi eſſe exoptent a facie irati Dei. וְלַגְּבָעוֹת נִפְלוּ עָלֵינוּ *Et collibus* dicent: *cadite ſuper nos,* „mori magis optantes, quam cernere quae afferunt mortem,“ ut ait Hieronymus. Rittershuſius:

Excidium idolo jamjam impendebit Avenis (i. e. Bethelis Vs. 5.):
Excelſis ſua pernicies jam certa parata eſt,
Iſraeligenis peccandi occaſio pridem
Quae fuerant, ipſos vero abducentia Jova.
Spinae aras tribulique tegent, et ſacra abolebunt
Impia. Tunc montes deſperabunda vocabit
Natio in auxilium, idque petent a collibus altis,
Nos tegite, o montes! Nobis incumbite colles!
Aut arcete malum impendens cervicibus, aut nos
Abſorptos latebris ad tartara trudite opaca,
Has vanis voces ululatibus ingeminabunt.

9. Verba מִימֵי הַגִּבְעָה vulgo vertunt *inde a diebus Gibeae* peccaſti tu, ó Iſrael. Sed Gibeae non totus Iſraeliticus populus peccavit, ſed ſoli Benjaminitae, qui Levitae cujusdam concubinam foede ſtuprarunt; atque ipſa quidem ex ſtupro mortua eſt; Levita autem in partes eam discidit, quas miſit ad reliquas tribus. Unde dirum bellum ortum, in quo aliquoties victae tribus a Benjaminitis, qui tamen poſtea magnam acceperunt cladem; vid. Jud. XIX. XX. Sed laudem potius merebant Iſraelitae, quippe qui commiſſum a Benjaminitis ſcelus ulciscerentur. Quare alii haec eo referunt, quod circa illud tempus Iſraelitae adinventam a Michea Teraphorum ſuperſtitionem (Jud. XVII, 5. ſeqq.), et a Danitis in urbe ſua conſtitutam, publice et impune permiſerint, Jud. XVIII, 30. 31. Ita Hieronymus, qui Verſum hunc ita exponit: „Ex eo die, quo uxorem Levitae turpiter atque crudeliter interfecit Benjamin in urbe Gabaa, peccavit mihi omnis Iſrael, non quia ultus eſt injuriam, et ſcelus ſanguine vindicavit, ſed quia dolore maritali proſiluit ad pugnam, et ſacrilegium in Deum ſuum noluit vindicare, eo quod in domo Michae Ephod et Teraphim, quae pro idolis adorabuntur, neglexerint. *Hic* igitur *ſtetit Iſrael* (שָׁם עָמָדוּ), ibi ſuum repreſſit gradum, ne ultra ambularet in viis Domini, idcirco *non eos comprehendet propter Gabaa proelium*

lium (לֹא־תַשִּׂיגֵם בַּגִּבְעָה מִלְחָמָה), five captivitas, ficut ipfi putant, ibi enim benefecerunt, ut perfequerentur *filios iniquitatis* (בְּנֵי עַלְוָה), fed *corripiam,* inquit (Vs. 10.), *eos, atque erudiam tota mei animi voluntate.*" Nec multo aliter Jarchi: „Inde a tempore commiffi a Benjaminitis fcelefti illius facinoris Gibeae, fub Othniele, primo Judicum, circa quod ipfum tempus fuit fculptile Michae, permanferunt (עָמְדוּ) Ifraelitae in ejusmodi fuperftitionibus. Quoniam vero de idolo illo abolendo non fuerunt folliciti, ideo tam parum feliciter bellum contra Benjaminitas gefferunt." Sed vatem de cultu fuperftitiofo a Micha inftituto cogitaffe, in verbis ejus ne veftigium quidem apparet. Ad Saulem regem, Gibeae natum et ibidem habitantem (1 Sam. IX, 4. XXVI, 1. 2 Sam. XXI, 6.), ejus loci mentionem pertinere exiftimavit Chaldaeus, qui hunc Verfum fic expofuit. *A diebus Gibeae peccaftis, o domus Ifrael; illic fteterunt et rebellarunt contra verbum meum, regem fibi praeficiendo, neque tamen digni fuerunt, ut firmum ac ftabile ipfis effet regnum in Gibea; illuc venerunt adverfus eos bellatores, ac dederunt neci eorum patres, quin ipfi quoque filii interierunt.* Hanc vero explicationem cum verbis hebraeis vix poffe conciliari, vere Jarchi monuit. Nos quidem haud dubitamus particulam מ in מִימֵי capiendam effe pro *magis ac,* ut faepe, veluti Pf. CXIX, 98. Coh. VII, 1., unde hunc Verfum fic interpretamur: *Magis quam diebus Gibeae peccafti, o Ifraël,* i. e. majora a vobis fcelera funt commiffa quam olim Gibeae a Benjaminitis; שָׁם עָמָדוּ *ibi fteterunt,* i. e. manferunt fuperftites (quomodo verbum עָמַד ad אָבַד oppofitum ufurpatur Pf. CII, 27.); nam Benjaminitae, ut conftat ex Jud. XX., graviffima quidem clade ob facinus Gibeae perpetratum fuerunt adfecti, non tamen penitus deleti, fed poena fic fuit temperata, ut per fexcentos illos, qui evaferant, haec tribus in integrum reftitueretur. Graviorem vero vindictam incubituram Ifraelitis, nec fic eos abituros, docent reliqua hujus commatis verba, quibus cladis illius exemplum ad hos transfertur, mutata perfona

sona a secunda ad tertiam, ut Judic. XX, 38., et propheta ad auditorem vel lectorem converso: לֹא־תַשִּׂיגֵם בַּגִּבְעָה, מִלְחָמָה עַל־בְּנֵי עַלְוָה *non assequetur eos in Gibea bellum* olim gestum vel, *ob Gibeam,* ob scelera ibi patrata, *contra filios insolentiae,* sed bellum longe gravius et perniciosius, bellum longe deterius experientur. Quum enim illud ad Gibeam gestum, quamvis atrox et funestum, non diu post tamen cessavit, et victi a fratribus mox in gratiam fuerint recepti; Noster significat, bellum, quod hostes barbari Israelitis sint illaturi, non finiendum esse, nisi tota republica eversa deletaque. Mitto alias hujus Versus interpretationes, quarum multae et variae exstant. Quis enim mallet glandibus vesci, ex quo fruges sunt repertae? Ultimam hujus Versus vocem, עַלְוָה, plerique, quibus et nos adstipulamur, haud diversam existimant ab עַוְלָה *iniquitas* (ו et ל transpositis, ut זַעֲוָה et זְוָעָה *commotio,* כֶּשֶׂב et כֶּבֶשׂ, *ovis,* שִׂמְלָה et שַׂלְמָה, *vestimentum*), quod ipsum et quamplurimi sistunt codices, et LXX, Hieronymus et Syrus exprimunt. Dictio בְּנֵי עַוְלָה legitur et 2 Sam. III, 34. Solus Chaldaeus vulgare עַלְוָה procul dubio habuit; traduxit vero ultimam literam ה ad sequentis Versus primam vocem באותי, ita ut עלו הבאותי legeret. Vertit enim: סְלִיקוּ יְבְמֵימְרִי אַיְתֵיתִי *ascenderunt. Per verbum meum adduxi.* A. Schultens ad *Haririi Consess.* I. p. 15. nostrum עַלְוָה ex Arabico غَلَا, *modum excessit, extulit se,* illustrandum arbitratus phrasin בְּנֵי עַלְוָה *filios insolentiae, ferocis indomitaeque erga Deum proterviae* interpretatur; sensui illi, quem dant בְּנֵי עַוְלָה, *filii iniquitatis,* haud dissimili. J. D. Michaeli *Supplemm.* p. 1912. עַלְוָה *fraudem* significat, collato Syriaco ܥܘܠܐ et Aethiopico ዐለወ *fraudulenter egit, fidem fefellit;* unde verba inde a לֹא תַשִּׂיגֵם sic vertit: *bellum eos non adsequebatur Gibeae* (expugnari Gibea, vincique Benjaminitae non poterant) *ob filios fraudulentiae,* i. e. ob aliquos fraudulenter bellum gerentes. Sensus prorsus ἀπροσδιόνυσος. Illud vero haud dubium, *filiis iniquitatis,* sive *proterviae,* significari nefarios

rios illos ſtupratores, Gibeae cives, Benjaminitas, contra quos reliquae Iſraeliticae tribus bellum ſusceperunt, Jud. XIX, 22. XX, 13. Rittershuſius:

Exemplo a Gabaitarum peccata patraſtis
Inde usque Iſraeligenae, et manſiſtis in illo
Conſtantes. At eos longe diverſa prehendent
Proelia ab his foedos quae hauſerunt Benjaminitas.

10. בְּאַוָּתִי Eſt itaque *in deſiderio meo* וְאֶסֳּרֵם *ut caſtigem eos.* Bene Hieronymus: *juxta deſiderium meum corripiam eos.* Vocem illam, alias non obviam, notante Maſora, quidam ad אָסַר, *vinxit*, referunt, dicuntque eſſe formae יֵאֱנֹק *ejulabit,* Jerem. LI, 52., atque וַיֶּאְפֹּד *et accinxit*, Levit. VIII, 7., in quibus non ſervatur forma quiescentium prima Aleph, ſed flexio ſit juxta normam Perfectorum. Ita verbo noſtro et hoc loco Perfectorum formam adaptari, ita tamen, ut ob craſin duorum Aleph literae Samech Dageſch euphonicum inſeratur, et Cholem mutetur in Camez-Chatuph, ſive vocalem brevem, ob pronomen ſuffixum. Verum ſenſus prodibit magis idoneus, ſi וְאֶסֳּרֵם ad verbum יָסַר referamus, cujus ſit Futurum Cal. Ita Kimchi, qui Dageſch τῷ ס inditum obſervat euphonicum eſſe, poſitumque pro deficiente prima radicali Jod, ut אִצֹּק *effundam,* Jeſaj. XLIV, 3., a יָצַק, et יִצְּרֵהוּ, *format illud,* ibid. Vs. 12., a יָצַר. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 390. Qualis futura ſit poena, qua eos ſit afflicturus, declarat, dum ſubjicit: וְאֻסְּפוּ עֲלֵיהֶם עַמִּים, *congregabuntur contra eos populi* barbari et hoſtiles, quod ipſum minatur Micha IV, 11. Zachar. XII, 3. בְּאָסְרָם *Alligando*, ſ. *dum alligabo eos*, veluti boves aratores, de quibus verbum אָסַר dicitur 1 Sam. VI, 7. 10. Jerem. XLVI, 4., et ſequente ל Geneſ. XLIX, 11. In explicanda poſtrema noſtri Verſu dictione, לִשְׁתֵּי עֵינֹתָם, vox poſterior, cum ob varietatem Keri et Chethib, tum ob originis maxime varietatem, ſcrupulos injecit interpretibus. In margine legi jubetur עונתם (Vau poſt Ain), quod plures עֲוֹנֹתָם efferunt, id eſt, *iniquitates eorum*, Levit. XVI, 21.

Psalm. XXXVIII, 5. Proverb. V, 22. Ita LXX: Ἐν τῷ παιδεύεσθαι αὐτοὺς ἐν ταῖς δυσὶν ἀδικίαις αὐτῶν. Nec aliter Hieronymus: *Quum corripientur super duas iniquitates suas.* In Commentario totum Versum ita enarrat: „Sed *corripiam,* inquit, *eos, atque erudiam tota animi mei voluntate, et congregabo adversus illos populorum multitudinem, quia duas fecerunt iniquitates,* vindicando hominem, et Dei sui injuriam negligendo (vid. not. Hieronymi ad Vs. 9.). Sive *duas iniquitates,* quia primum peccaverunt in idolis Michae (Jud. XVII, 3.), secundo in vitulis Jeroboam. Vel certe duos vitulos Samariae in Dan et Bethel possumus duas iniquitates appellare, de quibus et Jeremias loquitur (II, 13.): *Duo pessima fecit populus meus: dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi lacus contritos, qui non possunt aquam continere.*" Verum enimvero obstant puncta vocalia in textu posita, quibus vox in margine scripta est pronuncianda, quo minus hanc expositionem recipiamus. *Peccata* enim sonant עֲוֹנֹת, sed nostra vox efferenda עוֹנֹת, quod nos cum Chaldaeo, Aben-Esra et Kimchio *sulcos* interpretamur. ut igitur ejusdem sit significationis cum מַעֲנוֹת Ps. CXXIX, 3., referendumque ad עָנָה, *subegit,* ut *sulci* illud nominis sint adepti a subigenda terra, quae fit aratione, vel a *respondendi* notione, quia παράλληλοι sibi respondent. Formatur ergo עוֹנָה ab עָנָה, ut a גָּלָה fit גּוֹלָה, *captivitas,* ab עָלָה dicitur עוֹלָה, *ascensus,* a יָנָה est יוֹנָה, *oppressio,* Jerem. XXV, 38., a שָׁאָה fit שׁוֹאָה, *vastatio.* Quod in textu scribitur עינתם, innuit, fuisse codices, in quibus defective עֹנֹתָם exstaret, id quod pluribus exemplis ejusdem inter scripturam textus et marginis diversitatis ostendit Hillerus *de Arcano Chethib et Keri* p. 253., cui tamen in eo non adstipulamur, quod nostram vocem *habitationes* interpretatur, collato haud dubie Exod. XXI, 10., quo loco עֹנָתָהּ nonnulli de *habitatione,* quam uxori maritus praestare debet, intelligunt. Sed ejus loci alia plane est ratio. Nos, uti diximus, sequimur Chaldaeum, qui posterius Versus hujus hemistichium sic vertit: colligam contra

contra eos dominos, qui dominentur eos, בְּמֵיסַר פַּדְנָא עַל, חַרְתֵּין עוֹנָתֵיהּ *ſicut ligatur par boum ad duos ſulcos ſuos. Ligari* autem *duobus ſulcis* de bobus arantibus dicitur, quando communi jugo ita colligantur, ut in duobus ſulcis contiguis una et pari paſſu incedant. Sic qui decreti ſui propoſitum indicaverat Deus, quod eſſet Iſraelem caſtigaturus (hemiſtichio priori), ulterius jam declarat, quod ita illigaturus ſit ſuis poenis refractarium Iſraelem (quem Verſu proximo aperte vitulo comparat), ut anxie laborando verſare quaſi ſupplicia ſua adigeretur, neque excedere ſulcis miſeriarum usquam poſſet, priusquam laborum foret abſoluta meta. Ita de poenarum certa menſura intellexit noſtrum locum Salomon Ben Melech, qui in ſuo Commentario, nomine *Michlal Jophi* noto, עוֹנֹת pluralem eſſe docet nominis עוֹנָה, formae שְׁוָאָה, idemque quod מַעֲנוֹת Pſ. CXXIX, 3. ſignificare; tum ſic pergit: „Eſt haec ipſa meta, quam qui bobus aratrum promovet, arando deſcribit juxta menſuram ſibi in animo deſignatam; eam ut abſolvit, vertit ſe, poſtmodum alteram faciens ſimilem priori. Meat ſic remeatque, usquedum integer ager fuerit aratus.“ Alias hujus loci interpretationes recenſuit expenditque Christ. Ern. *de* Windheim, in *Diſſertat. in locum difficiliorem Hoſ. X. comm.* 10., Erlang. 1755. 4. Ipſe adoptat A. Schultensii (in *Animadverſſ. philologg.* ad h. l.) ſententiam, עֵינֹתָם legentis, i. e. *fontes eorum*, שְׁתֵי vero *potationes* vertentis, quaſi pluralis ſit formae מַחִי, כְּלִי, a שְׁתִי, *potatio*, Cohel. X, 17. Unde haec prodit noſtri loci interpretatio: *congregabuntur populi adverſus eos*, Iſraelitas, *in ligatione eorum*, i. e. quando eos ligavero captivos abducendos, *ad potationes fontium eorum*, ſ. *ad fontes eorum epotandos*, i. e. qui Iſraelitarum bona ad ſe rapiant, ſuosque in uſus convertant. Eam interpretationem, de quo neque Schultenſius, neque Windhemius monent, jam propoſuerat Gussetius in *Commentariis Ling. Hebr.* ſub rad. עוה Lit. S. et ſub שתה A. B. Nobis quidem illa minime facilis et idonea videtur. Nec magis J. D. Michaelis placet explicatio, qui

in

in *Supplemm.* p. 1895. עֵינֹתָם legens, עֵינָה *vomerem* notare arbitratur, collato Arabico عَيْنٌ et عِيَانٌ, *vomer.* „*Vomere,*“ inquit, „pro *aratro* poſito erit: *praeligare illos duobus aratris ſuis*, duo autem memorantur aratra, quod duo illis boves, Iſraelitae et Judaei, junguntur.“ Rittershuſius:

Arbitrio ſed enim ipſe meo ipſis vincula nectam,
Poenarum, meritis caſtigaboque figuris.
Agmina concurrent populorum plurima in ipſos,
Captivamque domum rapient utramque ferentque.
Sic peccata luent in me commiſſa proterve.

11. וְאֶפְרַיִם *Sed* Iſraël, aut decem tribus (IV, 17. Jeſaj. VII, 5.), inprimis *Ephraim*, arrogans ſemper et contentioſus ac pervicax populus; cf. Jud. VIII, 1. XII, 1. Pſ. LXXVIII, 9. עֶגְלָה מְלֻמָּדָה Veluti *vitula* eſt *edocta*, adſueta (Jeſaj. XXIX, 13. Jerem. XXXI, 18.), non ad arandum, ſed לָדוּשׁ, *ad triturandum*, ut ſequitur. „Quod opus, inquit Bochartus (*Hieroz.* P. I. L. II. C. XLI. T. I. p. 447. edit. Lipſ.), „aratione longe facilius erat, atque etiam fructuoſius, quia in trituratione boves non ligabantur ſub jugo, ſed vel ſinguli pedibus triturabant, vel trahas aut ploſtella rotis ferreis agebant, quibus grana è ſiliquis elicerent (cf. not. ad Jeſaj. XXVIII, 27.); et liberum illis erat de frugibus ſubinde aliquid arripere, quia lege cautum erat, ne os eis obligaretur (Deut. XXV, 4.). Huic igitur operi incumbentes mirum in modum pingueſcebant, ut ſuo loco (C. XXXI. p. 306. l. c.) pluribus docuimus.“ Vates noſter igitur, ut Iſraelitas laborem detrectaſſe et genio indulſiſſe doceat, eos confert vitulae, quae ſoli triturae adſuevit. Similis comparatio Amos IV, 1. אֹהַבְתִּי *Amans*, Participium cum Jod paragogico, ut שֹׁכַנְתִּי, *habitans*, Jerem. LI, 13. Chaldaeus, qui ad מְלֻמָּדָה ſubaudit לַחֲרשׁ, haec verba ſic reddit: *Coetus Iſraelis ſimilis eſt vitulae, quam docent arare, ſed non discit, ſed cupit ambulare pro lubitu animae ſuae.* וַאֲנִי

אָבַרְתִּי

עָבַרְתִּי עַל־טוּב צַוָּארָהּ *Ego vero transibo super bonum colli ejus,* i. e. pulchrum et pingue ejus collum subigam, et affligam. Verbum עָבַר sequente עַל malo sensu usurpatur, de malo aut hostili impetu alicui superveniente, vid. Deuter. XXIV, 5. Job. XIII, 13. IX, 11. אַרְכִּיב אֶפְרַיִם *Inequitare faciam Ephraimo,* sessorem et rectorem ei imponam, i. e. subjiciam eum hostium potestati, ceu equum ab equite subactum domitumque. Ante אֶפְרַיִם subaudiendum ל, ut locis innumeris aliis, coll. Psalm. LXVI, 12., ubi eadem imago: הִרְכַּבְתָּ אֱנוֹשׁ לְרֹאשֵׁנוּ *fecisti inequitare capiti nostro homines,* a quibus domiti et libertate privati sumus. Non sufficit autem ad severitatis molestiam significandam hostium gravis insessio, sed sequitur simul a tergo durus labor *arandi* et *occandi,* inter *Judam* et *Jacobum,* i. e. decem tribus, quasi distributus: יַחֲרוֹשׁ יְהוּדָה יְשַׂדֶּד־לוֹ יַעֲקֹב *arabit Juda, occabit ei Jaacobus.* Is nempe est gravis boum ligatorum in sulcis labor, terram scindere et glebas conterere ante et post scissionem, ubi pabula non objiciuntur ori pro lubitu sumenda, uti fit in triturando. Pronomen לוֹ, quod plures cum Hieronymo *sibi* reddunt, malim ad hostem insidentem et impellentem cui serviret, referre. Minus sunt probandi qui haec verba intelligunt de parili legis divinae studio, aut de facili et utili propriae religionis cultu. Hieronymus: „Locus iste, imo omnia, quae hoc Capitulum sequuntur, magnis obscuritatibus involuta sunt. Unde et nos, qui explicare conamur, et prudens simul lector attendat, ut si non veritatem, quod difficillimum est, saltem suspicionem verisimilium investigemus. Hanc habet consuetudinem sermo divinus, ut per tropologiam et metaphoram historiae exprimat veritatem. Igitur *Ephraim* similis est *vaccae* vel *vitulae, quae* a juventute sua *didicit aream terere,* et ferreos orbes super acervos segetum trahere, ut paleae a tritico separentur, et non solum didicit, verum nimia consuetudine cepit amare, quod docta est. *Et ego,* inquit, *transivi super pulchritudinem colli ejus.* Verbum Hebraicum *abarthi,* id est, *transivi,* maxime quando a Deo dicitur,

dicitur, ſemper plagas ad adverſa ſignificat. Denique et exterminator in Aegypto *tranſiiſſe* memoratur (Exod. XII, 12.). Quia erga Ephraim, vacca vel vitula, diligit aream terere, *ego*, inquit, *transivi ſuper pulchritudinem colli ejus*, et tumentes cervicum toros jugo impoſito domui. Quid memorem Legis jugum? ipſe ascendit ſuper eam, et me ita laborante, Judas, hoc eſt, duae tribus ceperunt arva ſcindere vomere, et in ſulcos terram reclinare. Portante autem jugum Ephraim et arante Juda confregit ſibi ſulcos Jacob. Hic Jacob, ad diſtinctionem Iſrael et Judae, duodecim tribus intelligamus, quod ceperint aratris glebas frangere, terramque comminuere, ut emollita recipiat ſementem, et foecunda poſt modicum ſeges pullulet. Pro *tritura* vel *area* Septuaginta *contentionem* (*νεῖκος*) transtulerunt, et eſt ſenſus: quia Ephraim non vult Legis recipere jugum, ego tranſibo et aſcendam ſuper pulchritudinem colli ejus, ut discat contentioſa vacca atque lasciviens laborare, quod non vult, Judas autem arabit ſponte ſua, quia habet templum, et moratur in Lege, ut tota certatim duodecim tribus arva praeparent ad ferendum. Quodque ſequitur juxta eosdem Septuaginta (pro Hebraeis יַעֲקֹב —, אַרְכִּיב): *Superponam Ephraim, et reticebo Judam, roborabitur ſibi Jacob* (*ἐπιβιβῶ* Ἐφραὶμ, *καὶ παρασιωπήσομαι* Ἰούδαν, *ἐνισχύσει αὐτῷ* Ἰακώβ), hic eſſe ſenſus poteſt: Ephraim, qui contentioſus eſt, et non vult Legis onera portare, imponam captivitatem; Judam autem parumper relinquam, et nihil loquar de eo; quicunque autem tam de Ephraim, quam de Juda, mea praecepta ſervaverit, roborabitur ſibi, et vocabitur Jacob.“ Chaldaeus hunc Verſum interpretatur de beneficiis divinitus Iſraeli collatis, quorum recenſioni inſiſtat Verſus ſequentis admonitio. Ita enim Hebraea inde ab וַאֲנִי עֲבַרְתִּי exponit (quae praecedunt ſupra adduximus): *Et ego in libertatem eos vindicavi, ſubtrahens Aegyptiorum dominationi, et violentae tyrannidis jugum ab eorum collis ſuſtuli. Feci, ut in habitaculum ſibi Iſrael aſſeruerit validam terram Amoraeorum, quos in principiis proce-*

procedens Juda prior ſubegit; haereditatem eis tradidi, quam fixam jam pridem Jacobo conſtitueram. Ritterſhuſius:

Ephraimea tribus trituram diligit unam,
Ceu vitula illi asſueta operi. At nitidiſſima colla
Ipſe domabo teramque jugo; et ſuper Ephraimaeos
Ascendam, velut altus eques, domitosque agitabo
In gyrum: ſoboles Judaea trahetque mi aratrum: at
Jacobaea domus glebas confringet in arvis
Occando. — —

12. זִרְעוּ *Seminate* potius, vos Ephraimitae. Perſtat in coepta ſimilitudine ex re agraria deſumta, pergitque in adhortatione ad poenitentiam, et recte faciendum. Chaldaeus: *Domus Iſrael, facite vobis opera bona, ambulate in via veritatis, ſtabilite vobis doctrinam legis.* לָכֶם *Vobis*, i. e. ut vos decet, et utile etiam vobis ipſis erit, ὃ γὰρ ἐὰν σπείρῃ ἄνθρωπος, τοῦτο καὶ θερίσει, Gal. VI, 7. לִצְדָקָה *Secundum juſtitiam*, ſ. *rectitudinem*, Jeſ. XXXII, 1. Joel II, 23. *Lamed* hic eſt *normae*, ſeu regulae, ut *ſeminare ſecundum juſtitiam* ſit: ita agere prout aequitas poſtulaverit et jus legis. קִצְרוּ לְפִי־חֶסֶד *Metite, metetis ſecundum* (cf. Exod. XVI, 21. Num. VI, 21.) *pietatem*, percipietis recte factorum fructus. Cum duo Imperativi conjunguntur, poſterior ſaepe promiſſionem indicat, et Futuro exprimi poteſt, ut Geneſ. XLII, 18. זֹאת עֲשׂוּ וִחְיוּ *Hoc facite et ſalvi eſtote*, i. e. hoc facite, tum ſalvi eritis. Cf. Amos V, 4. Prov. IV, 4. et Storrii *Obſervatt.* p. 169. ſequ. Plautus *Mercat.* Prol. Vs. 71.

Tibi aras, tibi occas, tibi ſeris, tibi eidem metis,
Tibi denique iſte pariet laetitiam labos.

נִירוּ לָכֶם נִיר *Innovate vobis novale*, remotis ſuperſtitionibus et vitiis novatam atque in melius mutatam rempublicam reſtituite, ut ſiat inſtar novi agri, nunc primum ex inculto praeparati et inculti, exſtirpatis ſentibus aliisque fruticibus, et expurgatis lapidibus. Eandem ſimilitudinem

uſurpat

uſurpat Jeremias IV, 3. Syrus, nomine נִיר *lucernae* ſignificatu accepto (1 Reg. XI, 36. XV, 4.), vertit: *accendite vobis lucernam.* Nec aliter LXX: *Φωτίσατε ἑαυτοῖς φῶς γνώσεως.* Sed illud poscit contextus. וְעֵת לִדְרוֹשׁ אֶת־יְהוָה *Nam tempus* eſt *quaerendi Jovam,* pietate erga eum, quo ille recte colatur ſtudio, benevolentiam ejus conciliandi; hunc ſenſum enim habet phraſis *Jovam requirere,* vid. 2 Chron. XXII, 9. Amos V, 6. Pſ. XIV, 2., et Aurivillii *Diſſertatt.* p. 434. ſequ. עַד־יָבוֹא idque *donec* ipſe (cf. not. ad Jeſ. IX, 5. p. 337. ſequ. edit. ſec.) *veniat,* וְיוֹרֶה *et doceat,* alii, *inſtillet,* aut *depluat,* cf. Jeſ. XXVIII, 9. Joel II, 23., צֶדֶק לָכֶם *juſtitiam* (*ſuam,* addit Syrus) *vobis;* cf. Jeſ. XLV, 8. Pſ. LXXXV, 12. Rittershuſius:

— Nunc juſtitiae o committite ſulcis
Semina, ſic Bonitatis erit largiſſima meſſis.
Tempus adeſt jam culta parare novalia vobis,
Tempus adeſt opportunum; jam quaerite Jovam,
Quaerite, dum veniat qui vos aequiſſima jura
Coeleſtis doceat monitor verique magiſter.

13. חֲרַשְׁתֶּם *Araſtis* enim hucusque; vel, ut alii nectunt (veluti Hieronymus, cujus verba mox adducemus): vos vero, quoties ad poenitentiam et pietatem vos hortatus ſum, *araſtis impietatem,* et toties quaſi de novo incepiſtis impii et pejores eſſe, quam prius. Pergit in tropo ſumto ab agricultura. Cf. Job. IV, 8. רֶשַׁע Idololatriam, rapacitatem, interna diſſidia, de quibus maxime Noſter queritur. עַוְלָתָה *Iniquitatem maximam* (He paragogicum intendit ſignificatum, ut סוּפָתָה VIII, 7.), i. e. matura quaſi peccata et ſcelera, eorumque poenas, quas id nomen ſimul comprehendere videtur, ut Ezech. XXVIII, 15., ubi not. vid. קְצַרְתֶּם *Metetis,* Vs. 12. Job. IV, 8. Prov. XXII, 8. אֲכַלְתֶּם פְּרִי־כָחַשׁ *Comedetis fructum mendacii,* i. e. dignum mendacio, vel fallacem, et longe alium, quam ſperaveratis. Cf. IX, 2. Pſ. VII, 15. Prov. I, 31. Alii hoc intelligunt non de poena, verum de *culpa,* ut continuetur narratio peccatorum: ita

fructus

fructus mendacii erit non qui hominibus, ſed qui *Deo mentiatur*, ſcil. non veritatis et ſincerae probitatis, ſed fictae atque fucatae pietatis, dum malitiam et impietatem non ſolum ſéminarunt àc meſſuerunt, ſed etiam fructum mendacii comederunt. Ita Rittershuſius:

Hactenus impietas eſt vobis unica arata,
Quid miri eſt igitur redeat ſi meſſis iniqua,
Atque avidam mendax fructus condatur in alvum?

Hieronymus: „Monui eos, ut ſeminarent in juſtitia, et meterent in miſericordia, et facerent ſibi novalia; tempusque requirendi Dominum illud eſſe cognoſcerent, quo venturus eſt, qui docebit nos juſtitiam. Me haec jubente, et volente de laetis novalibus fructus juſtitiae ac miſericordiae accipere, araverunt impietatem, qua egerunt impie contra Dominum, relinquentes creatorem, et colentes idola, et meſſuerunt iniquitatem, de malo ſemine malas fruges recipientes, de quibus fecerunt non ſolum panem ſubcinericium, ſed fraudulentum atque mendacem, qui vana ſpe deciperet comedentem.“ כִּי־בָטַחְתָּ בְדַרְכְּךָ *Quia confidis viae tuae*, i. e. ſuperſtitioſo vitulorum cultui inter vos inſtituto. Quemadmodum enim verba proxima ad *rempublicam*, ita haec ad *religionem* referenda ſunt, de qua דֶּרֶךְ et Jer. II, 23. 33. 1 Reg. XV, 34. 2 Reg. XVI, 3. בְּרֹב גִּבּוֹרֶיךָ *Multitudini fortium tuorum*, cf. I, 5. 7. Hieronymus: „Confiſus es, o Ephraim, in viis idololatriae tuae, hae ſunt enim viae tuae, et *in multitudine fortium tuorum*, non in Deo habens ſpem, ſed in exercitus robore.“

14. וְקָאם *Ideoque exſurget*, Jeſaj. XXXI, 2., ſive *ſtabit*, exſiſtet, perdurabit, ut Num. XXX, 5. 8. 1 Sam. XXIV, 21. Jer. LI, 29. Pro uſitato קָם hic cum epentheſi literae א ſcribitur קָאם, uti et Arabibus قَأَمَ pro قَوُمَ. Cf. Buxtorfii *Theſaur. Grammat.* L. I. Cap. XXXVI. p. 202. edit. ſext. שָׁאוֹן *Tumultus* bellicus Jer. XXV, 31. Amos II, 2. Hieronymus: „*Itaque conſurget tumultus in populo tuo,* quod

quod Hebraice dicitur *Saon*, id eſt, ſonitus et fremitus ululantis exercitus.“ בְּעַמֶּיךָ *In populis*, ſ. inter tribus tuas, inter populares tuos, ut Levit. XXI, 1, 4. 14. In codicibus haud paucis exſtat בעמך, in ſingulari, qui et ab antiquis omnibus exprimitur. „Eſt vero,“ recte monente Aurivillio *Diſſertatt.* p. 648., „עַם, collectivum, adeoque, utra aſſumatur lectio, ſenſus eodem recidit. Praetulerim tamen, quae vulgatiſſima eſt בעמיך, quippe ex qua fortiorem crediderim enasci ſenſum, horrendum ſcilicet bellum ad totum populum Iſraeliticum, *per omnes tribus*, ſeſe extenſurum.“ וְכָל־מִבְצָרַיִךְ יוּשַּׁד *Et univerſitas* (Jeſaj. IX, 16.) *munitionum tuarum*, Amos V, 9. Mich. V, 10. *vaſtabitur.* כְּשֹׁד *Secundum vaſtare* ſicut vaſtavit, VII, 13. Jeſ. XXII, 4. In verbis שַׁלְמַן בֵּית אַרְבֵאל exponendis in duas potiſſimum partes diſcedunt interpretes, aliis pro nominibus appellativis, aliis vero pro nominibus propriis illa habentibus. Priori modo Chaldaeus: וְכָל כְּרַכָּךְ יִתְבַּזְזוּן כְּבִזַּת שְׁלָמָא בְּכַמְנָא בְּיוֹמָא דִקְרָבָא *et omnes munitiones tuae depraedabuntur depraedatione pacis,* i. e. populi ſedentis tranquille, nec quicquam metuentis, atque ſic inexſpectato *per inſidias tempore belli.* Nomini שַׁלְמַן tribuit ſignificationem τοῦ שָׁלוֹם, et אַרְבֵאל retulit ad אָרַב, *inſidiatus eſt.* Id ſequutus Jarchi: „Sicut vaſtatores,“ inquit, „qui populum tranquille ſedentem adoriuntur repente per inſidias, ut non animadvertantur ab incolis, ne fugiant prae iis, atque ita omnia depraedantur.“ Sed quam infirmo, aut potius nullo, fundamento nitatur haec explicatio, quisque intelliget ipſe. Accedendum illis interpretibus, qui שַׁלְמַן et אַרְבֵאל pro nominibus propriis habent, qui tamen rurſus in duas ſcinduntur partes, quarum una has duas voces nomine virorum fuiſſe arbitratur, altera priorem pro nomine viri, poſteriorem pro nomine urbis habet. Et quod ad priorem, ejus patroni iterum in duplici ſunt differentia; vel enim indigitata volunt nomina virorum tum temporis in celebritate quadam nominis ac famae conſtitutorum, non determinantes, qui illi ſint (ita Kimchi et Salomon Ben Melech in Michlal Jophi); vel

intel-

intelligendum ſtatuunt per שַׁלְמַן Zalmuna (צַלְמֻנָּע), Midianitarum ducem, de quo Judic. VIII, 5. ſeqq., per אַרְבֵּאל vero, cum quadam literarum metamorphoſi, Jerubbaal, ſeu Gideonem, Judic. VII, 1. ſeqq. Ita Hieronymus, qui verba hebraea ſic vertit: *ſicut vaſtatus eſt Salmana a domo ejus, qui vindicavit Baal,* et in Commentario hoc modo illuſtrat: „Omnes munitiones tuae vaſtabuntur, et ea quae munita arbitrabaris et tuta, patebunt hoſtibus, et ſic vaſtabuntur, quomodo vaſtatus eſt atque contritus Salmana, princeps Madianitarum, qui interfectus eſt a domo Jerobaal. Haud dubium, quin Gideonem ſignificet, qui ex eo, quod deſtruxit fanum Baal, lucumque ſuccidit, et ille ſe vindicare non potuit, cognomentum Jerobaal ſortitus eſt, id eſt, *ulciſcatur ſe Baal*; ut quomodo Salmana interfecit filios coram matribus, ipſis matribus quoque deinceps interfectis, ſic et filii tui, o Ephraim, te praeſente interficiantur, qui et ipſe trucidandus es. Quaerimus, ubi ſcriptum ſit, quod Salmana matrem ſuper filiis occiderit. Legimus in Judicum libro, loquente Gideone ad principem Madian: *Quomodo absque liberis fecit gladius tuus multas matres, ita ſine filiis erit inter mulieres mater tua.* Sicut igitur vaſtatus eſt Salmana ab Jerobaal, quem male quidam arbitrantur Jeroboam filium Nabath, qui decem tribubus praefuit, et vaſtatus eſt, ut in Hebraeo continetur, ab *Arbel,* id ipſum ſignificante, quod et Jerobaal, ſed breviori diſertiorique ſermone." Sed quem tanquam in libro Judicum extantem excitat locum Hieronymus, legitur 1 Sam. XV, 33., neque agitur ibi de Salmana, ſed de Agago, quem occidit juſſu divino Samuel. Ceterum nomina Salman et Zalmuna, atque Arbel et Jerobaal, etſi Latinis auribus non adeo diſſimilia ſonent, revera tamen plerique, quibus et nos adſtipulamur, שַׁלְמַן per apocopen pro שַׁלְמַנְאֶסֶר (2 Reg. XVII, 3.), regis Aſſyrii nomine, ſcriptum, בֵּית אַרְבֵּאל vero haud diverſum arbitrantur ab Arbela, urbe Galilaeae ſuperioris in ſorte tribus Naphthali ſita, cujus mentio facta 1 Macc. IX, 2. In eam igitur urbem, finibus Aſſyriae proximam, Salmanaſſarem in prima illa in

regnum Iſraeliticum irruptione facta, de qua 2 Reg. XVII, 3., immaniter ſaeviiſſe, quamquam non diſerte in V. T. libris traditur, tamen magna veri ſpecie ex noſtro loco colligi poteſt; id quod pluribus argumentis confirmavit Abrah. Calovius, Fil., in *Diſſertatt. tribus de crudeliſſima Arbelae deſtructione,* Viteberg. 1682. 4. (repetitae leguntur in *Theſauro Philolog. Theolog. ſive Sylloge Diſſertatt. elegantior. ad ſelecta V. et N. Teſtamenti loca,* Amſtelod. 1701. fol. Vol. 1. p. 947. ſeqq.). Minatur ergo locis munitis terrae Iſraeliticae eadem, quae prius ab hoſtibus paſſa fuerat Arbela, בְּיוֹם מִלְחָמָה *in die,* tempore, *belli* (ut Amos I, 14.), notiſſimi tunc, quo hoſtis Aſſyrius in regnum Iſraeliticum irrupit, regemque ſibi tributarium fecit. אֵם עַל־בָּנִים Ubi *mater ſuper,* i. e. una cum *filiis,* ut Geneſ. XXXII, 12. רֻטָּשָׁה *Proſtrata,* ſ. *alliſa* humi fuit, XIV, 1. Jeſ. XIII, 16. Nah. III, 10. Pſ. CXXXVII, 9. Hillero in *Onomaſtico* p. 922. שַׁלְמַן non eſt nomen proprium, ſed appellativum, *retributionem* notans, a *rependendi* ſignificatu, quem verbum שַׁלֵּם in Piel obtinet, unde שִׁלּוּם *retributio,* ſupra IX, 7. בֵּית אַרְבֵּאל autem ipſi eſt *domus* ſ. familia *Arbelitica,* i. e. familia Baaſae, regis Iſraelis, Iſſaſcharitae, erat enim אַרְבֵּאל oppidum in ſorte tribus Iſſaſchar ſitum, uti colligit ex Joſ. XVIII, 19. et 1 Macc. IX, 2. coll. cum Josephi *Antiqq. Judicc.* L. XII. C. XI. §. 1. et *Vita ſua* §. 37., nec non Lightfooti *Chorographia* Matthaeo praemiſſa Cap. LXXXV. Hinc noſtrum locum Hillerus ita exponit: *Quicquid eſt altiſſimarum munitionum tuarum vaſtabitur, ſecundum vaſtationem talionis domus Arbeliticae,* i. e. vaſtatione non disſimili ei, qua in ſcelerum ultionem vaſtata domus Arbelitica, Baaſae ſcilicet, Iſſaſcharitae, tempore, quo crudeliſſimum bellum gerebatur, in quo mater cum filiis colliſa, 1 Reg. XV, 27. XVI, 11. 12. Verum ratio ab Hillero inita, qua vatem noſtrum ad bellum iſtud reſpexiſſe probare ſtudet, nimis eſt artificioſa atque e longinquo petita. Rittershuſius hunc Verſum una cum praecedentis hemiſtichio poſteriore ita expreſſit:

In propriis quia tanta tibi eſt fiducia rebus,
Viribus agminibusque tuorum innixa potentum;
Inteſtina tuos capiet diſſenſio cives
In partes ſcindens varias, populosque tumultus
Turbabit ſubitus; munitio concidet omnis
Devaſtata ſolo, inque ſuis tumulata ruinis,
Haud ſecus ac vaſtans olim Arbelitida Salman
Omnia diripuit, committens praelia dira,
Cum ſobole et carâ mater colliſa peribit.

15. כָּכָה *Ita*, Num. VIII, 28. Nehem. V, 13. Applicatio praecedentis exempli. עָשָׂה לָכֶם בֵּית - אֵל quidam vertunt: *ſic faciet vobis, o Bethelitae*, ſcil. Salman, ſive Salmanaſſar, Vs. 14. Sed prodibit ſenſus haud minus, vel magis etiam commodus, ſi cum Hieronymo verba ſimpliciter reddimus: *ſic fecit* ſ. *faciet vobis Beth-El*, ut cauſſa tantorum malorum indicetur, videlicet Bethel, ſeu idolorum ſuperſtitioſus et impius cultus, cujus Bethel ſedes erat. Ita Chaldaeus: כֵּן גְרַמוּ לְכוֹן חוֹבֵין דְחַבְתּוּן בְּבֵיתְאֵל *ſic vobis in cauſſa ſunt peccata, quae commiſiſtis in Bethel.* Cf. not. ad IV, 15. מִפְּנֵי רָעַת רָעַתְכֶם *Propter pravitatem pravitatis veſtrae*, i. e. propter extremam malitiam veſtram. Nominis ejusdem repetitio intendit ſignificationem, ut Geneſ. IX, 25. עֶבֶד עֲבָדִים *ſervus ſervorum* eſt ſervus viliſſimus, Ezech. XVI, 7. עֲדִי עֲדָיִים *ornamentum ornamentorum* ornatus ſummus, Cant. I, 1. שִׁיר הַשִּׁירִים *canticum canticorum* canticum praeſtantiſſimum. Cf. Storrii *Obſervatt.* p. 187. not. בַּשַּׁחַר *In aurora*, i. e. ſicut nubes matutina aurorae evaneſcit, ut ejus nihil quidquam amplius appareat. Eadem imago ſupra VI, 4. נִדְמֹה נִדְמָה *Exſcindendo exſcindetur*, Vs. 7. IV, 5. 6. מֶלֶךְ יִשְׂרָאֵל *Rex Iſraelis*, Hoſeas Ela filius, 2 Reg. XVII. Hieronymus: „Diverſis figuris eundem explicat ſenſum. Qui ſupra [Vs. 7.] dixerat: *Transire fecit Samaria regem ſuum quaſi ſpumam ſuper faciem aquae*, eo quod ſpuma et bullae in aquarum ſummitatibus natantes celeriter diſſolvantur; nunc eandem rem ſub alia ponit ſimilitudine.

dine. Sicut enim ortus aurorae, et diluculum, et principium diei, quod appellatur mane, inter noctis solisque viciniam transit celeriter, ita ut finiatur nox, et clarescat dies, sic rex Israel, id est, decem tribuum, velociter transibit." Quia Hieronymus ante בַּשַּׁחַר similitudinis particulam subaudiendam in sua versione expressit, Cappellus illum כַּשַּׁחַר legisse arbitratus est. „Vel deceptus," inquit Buxtorfius *Anticrit.* p. 781., „hic iterum est similitudine literarum ב et כ, vel exemplar habuit, in quo sic legit. In primis editionibus Venetis notatur tanquam varia lectio ad marginem כשחר, per Caph [Idem reperitur etiamnum in pluribus codicibus]. Masora autem notat, בַּשַּׁחַר, quod hic legitur, *non amplius reperiri.* Quod si vero legendum esset כַּשַּׁחַר, per Caph, dicendum fuisset, *bis reperiri,* hic scilicet, et Jesaj. LVIII, 8. Itaque juxta Masoram recta est lectio per ב." Rittershusius:

Talia nempe idolorum fert praemia cultus,
In Bethele quibus fuit usque vacare voluptas.
Fructibus hisce homines tandem beat impia vita.
Solis ut exortu velox Aurora fugatur,
Sic Israelis rex protinus exscindetur.

Cap.

Cap. XI.

Argumentum.

Exaggerat Deus populi Israelitici ingratitudinem, enumeratis beneficiis ei praestitis inde ab exitu de Aegypto (Vs. 1—4.). Quibus quum minime effecerit, ut fidi et sinceri ejus cultores manerent, dura illos passuros esse ab hostibus minatur, a quibus terra vastanda sit (Vs. 5—7.). Dolet deinde, quod populum graviter punire compelletur, sed animus ad misericordiam proclivis, aliquid tandem de supplicii severitate remittit, consolaturque populum spe remigrationis proposita (Vs. 8—11.). De tempore quo hoc editum est vaticinium vid. Argumentum Cap. VII.

---

1. כִּי *Quum*, ut Jes. XLIII, 2. נַעַר יִשְׂרָאֵל *Puer* et in prima quasi ac tenera aetate adhuc esset *Israel*. Siquidem ut homines, ita etiam reipublicae suas aetates habent, inquit Drusius. Cf. II, 5. 17. et not. ad Jerem. II, 2. Ezech. XVI, 4., et supra VII, 9. Populus Israeliticus ratione ortus, progressus et durationis cum homine comparatus, in prima quasi aetate sua in Aegypto ex paucis patribus in populum excrevit, donec in terram Canaan perductus rempublicam ibi constitueret. וָאֹהֲבֵהוּ *Dilexi eum* (ו designans ἀπόδοσιν in versione non exprimitur); ita ut omnibus populis eum praeferrem, atque e servitute educerem, ut statim sequitur, וּמִמִּצְרַיִם קָרָאתִי לִבְנִי, *et ex Aegypto vocavi filium meum*, puerum Israelem, quem filium adoptavi, Exod. IV, 22. 23. Cf. Deuter. IV, 37. VII, 13. Jesaj. XLIII, 4. Hieronymus: „Ex-

„Exponit beneficia, quae in ipsum contulerit Deus. Dum, inquit, esset puer et parvulus, et captus in Aegypto teneretur, in tantum eum dilexi, ut mitterem servum meum Moysen, et ex Aegypto vocarem filium meum, de quo dixi in alio loco [Exod. IV, 22.]: *Filius primogenitus Israel.* Pro eo quod nos diximus: *Ex Aegypto vocavi filium meum,* Septuaginta transtulerunt: *ex Aegypto vocavi filios ejus* [καὶ ἐξ Αἰγύπτου μετεκάλεσα τὰ τέκνα αὐτοῦ], quod in Hebraico non habetur; nullique dubium est, Matthaeum [II, 15.] de hoc loco sumsisse testimonium juxta Hebraicam veritatem. Hunc locum in septimo volumine Julianus Augustus quod adversum nos, id est, Christianos, evomuit, calumniatur, et dicit: quod de Israel scriptum est, Matthaeus Evangelista ad Christum transtulit, ut simplicitati eorum, qui de gentibus crediderant, illuderet. Cui nos breviter respondebimus: Primum Matthaeum Evangelium Hebraeis literis edidisse, quod non poterant legere nisi hi, qui ex Hebraeis erant; ergo non propterea fecit, ut illuderet Ethnicis. Sin autem Hebraeis illudere voluit, aut stultus, aut imperitus fuit. Stultus, si apertum finxit mendacium; imperitus, si non intellexit, de quo haec dicerentur. Stultitiam ipsum volumen excusat, quod prudenter ordinateque compositum est; imperitum non possumus dicere, quem ex aliis testimoniis Scripturarum scientiam Legis habuisse cognoscimus. Superest, ut illud dicamus, ut illa quae τυπικῶς praecedunt in aliis, juxta veritatem et adimpletionem referantur ad Christum; quod Apostolum [Gal. IV.] in duobus montibus Sina et Sion, et in Sara et Agar fecisse cognovimus. Sic igitur hoc quod scriptum est: *Parvulus Israel, et dilexi eum, ex Aegypto vocavi filium meum,* dicitur quidem de populo Israel, qui vocatur ex Aegypto, qui diligitur, qui eo tempore post errorem idololatriae quasi infans et parvulus est vocatus; sed perfecte refertur ad Christum. — Qui ex parte typi fuerunt Domini Salvatoris, non omnia quae fecisse narrantur, in typo ejus fecisse credendi sunt. Typus enim partem indicat; quod si totum praecedat

in

in typo, jam non eſt typus, ſed hiſtoriae veritas appellanda eſt." Cf. quae de hoc Novi Teſtamenti ſcriptorum more loca V. T. ad Chriſtum referendi disputavit Rich. Simon *Lettres choiſies* T. III. L. XXVI. XXVII. p. 166. ſeqq. et T. IV. L. XLVIII. p. 414. ſeqq. et *Bibliotheque critique* T. IV. p. 504. ſeqq.

2. קָרְאוּ לָהֶם *Vocarunt*, vel (ob ſequentem particulam כֵּן): *prout revocarunt eos*, ad cultum et obſequium meum, ſcilicet Moſes et prophetae, nullo non tempore a me miſſi. Cf. Jeſaj. XXX, 21. 2 Reg. XVII, 13. Jerem. XXV, 4. Zachar. I, 4. כֵּן הָלְכוּ מִפְּנֵיהֶם *Sic*, vel *tanto magis* (IV, 7.) *abierunt ab eis*, a me et monitoribus ſuis; tantum abeſt, ut dictis obedientes fuerint. Eadem Judaeis exprobrat Jeremias II, 5. VII, 24. XI, 8. et Ezechiel V, 7. XX, 13. Chaldaeus: שְׁלַחִית נְבִיַּי לְאַלָּפָא לְהוֹן וְאִנּוּן טְעוֹ מִקַּבֵּל אַפֵּיהוֹן *miſi prophetas meos, ut docerent eos, ſed illi erraverunt ab iis*, ſ. refugerunt eos. לַבְּעָלִים Idolis *Baal* dictis, II, 10. 15. Jerem. II, 25. Tempore *Moſis*, Num. XXV, 3. 5. ſupra IX, 10. Deut. IV, 3. Joſ. XXII, 17. Pſ. CVI, 28., *Judicum*, Jud. II, 11. 13. III, 7. VI, 25. ſeqq. VIII, 33., *Samuelis*, 1 Sam. VII, 4., et *Regum*, praeſertim Ahabi, 1 Reg. XVI, 31. 32. cf. 2 Reg. XVII, 7—17. וְלַפְּסִלִים *Et ſculptilibus*, vid. Jud. XVII, 3. 4. XVIII, 14. 30. Jerem. VIII, 19. יְקַטֵּרוּן *Adoleverunt* thura, IV, 13. Hieronymus: „Quia Iſrael ſingulariter quidem dicitur, ſed pluraliter intelligitur, quomodo et populus, et Ephraim et Juda; ſiquidem in numero ſingulari multus eſt numerus, qui hoc numero continetur; veteris recordatur hiſtoriae, quod vocaverit quidem eos per Moyſen et Aaron, qui vocaverunt eos, ut egrederentur de Aegypto: ipſi vero vocati ab eis receſſerunt a facie eorum, vertentes ei terga, et mentis duritiem geſtu corporis indicantes. Nec eis ſuffecit vocantes contemnere, niſi immolarent Baal et ſculptilibus ſuis, ſive ſimulacris adolerent incenſum. Adoraſſe eos Baal primum ſub Achab, rege Iſrael, legimus, qui Sidonii regis filiam Jezabel duxit uxorem,

rem, et Babylonium ac Phoenicis idolum transtulit in Samariam. Ergo distantia peccata temporibus uno ſermone conjungit: quomodo primum vocati ſint de Aegypto, et appellati filii, deinde in ſolitudine receſſerint a Deo, Beelphegor magis colentes quam Deum, et poſtea in terra ſancta Baalim et Aſtaroth, et ceteris idolis ſervierint.“ Rittershuſius:

At ſi jam revocent ipſos oracula vatum,
Obverſis abeunt tergis ſpernuntque proterve,
Fidisque avertunt ſurdas monitoribus aures.
Unica cura viris eſt ſacrificare Bahali,
Suaveolentia ſculptilibusque accendere thura.

3. וְאָנֹכִי *Ego tamen* nihilominus pro clementia et miſericordia mea eos non abjeci, ſed adhuc paterno amore (Vs. 1.) eos proſequutus ſum. Vocem ſingularem תִּרְגַּלְתִּי Hebraeorum quidam pro nomine habent, a תִּרְגֶּלֶת, quod *ductum* ſignificet, formae תִּפְאֶרֶת, ut vertendum ſit: *me* quod attinet ductus meus *Iſraeli* fuit. Cui ſententiae alii obvertunt, quod ſic ſcribi debuiſſet תִּרְגַּלְתִּי, cum accentu in ultima, ut requirit analogia nominum iſtorum cum hoc affixo. Plerisque igitur eſt verbum a nomine רֶגֶל, *pes,* more Arabico (in Conjug. V.) ab initio per ת formatum, quale תִּרְגֵּם, تَرْجَمَ, *interpretem egit.* N. G. Schroederus in *Inſtitutt. ad fundamenta Ling. Hebr.* Reg. LVI, 21. noſtrum verbum ad formam *Tiphel* refert, et cum A. Schultens (*Inſtitutt. L. H.* p. 314.) interpretatur *pedisſequum egi.* Hebraei contextui accommodate *ad gradiendum asſuefeci* fere exponunt. Kimchi: „Quia comparaverat Iſraeliticum populum puero, uſus eſt hoc verbo, ac ſi dicat: prout qui puerulos aſſuefaciendo paulatim ad incedendum inſtruunt, non ſolent moleſto eos labore onerare, ita ex Aegypto illos educens variis continuo itineribus feci, ut expeditionem abſolverent, pedetentim eos nec moleſta feſtinatione deduxi.“ Drusius: „תִּרְגַּלְתִּי dixit pro הִרְגַּלְתִּי. Sententia eſt: aſſuefeci ad eundum ſive ambulandum. Quod

ſumptum

ſumptum ab infantibus, quos nutrices docent pedibus incedere. Quod Latini veteres dicebant *pedare*, unde hodieque adhuc remanet *repedare*, id eſt, pedibus ire. Hoc verbo uſus eſt Caſtalio tranſitive: *cumque ego prehenſum brachiis pedaverim.* Miror. In Graeca editione reperi *συνεπόδισα.* Quid *συμπεδίζω*; Lexica exponunt *impedio, compedibus implico*, item *illaqueo, irretio.* Lexicon Graeco-Latinum vetus: *συμποδίζω, ſupplanto.*" Effugit Druſii diligentiam, quam dedit Hieronymus in expoſitione hujus loci allegorica verbi Graeci interpretatio: „Illis immolantibus Baalim, quae de ſuo corde finxerunt, et me vocante fugientibus a facie mea [Vs. 2.], ita enim in Septuaginta continetur, *ego* clementiſſimus Dominus *ligabam pedes Ephraim*, ne a me longius fugerent; hoc enim ſignificat *συμπόδισα.*" Hieronymus ipſe vertit: *et ego quaſi nutricius Ephraim.* Melius Syrus: ܘܐܢܐ ܕܒܪܬ ܠܐܦܪܝܡ *et ego duxi Ephraimum.* Chaldaeus: *at ego per angelum miſſum a me deduxi* [דַּבָּרִית] *Iſraelem per viam rectam.* Neque tamen ad ſola tempora exitus ex Aegypto, verum ad ſequentia quoque tempora arbitramur hunc Verſum referendum, et ita quidem, ut ſermo vel maxime habeatur hic de ductu per divinam legem; ſic enim ratio connexionis conſtat: Verſu praecedenti populi incuſaverat averſionem reſpuentis ductorum ſuorum ſedulas invitationes, ac Baalum idolorumque ſtolide praeferentis cultum; id quod jam hoc Verſu pergit oſtendere quam turpiter factum. In alia omnia abit Storrius, qui in *Obſervatt. ad Analog. et Syntax. Hebr.* p. 216. תִּרְגַּלְתִּי pro הִתְרַגַּלְתִּי poſitum arbitratus id reddit: *calumnia petitus ſum*, collato activo Pſ. XV, 3. add. 2 Sam. XIX, 28., unde hunc locum ſic exponit: „peregrinos deos colebant (Vs. 2.), ſed ego calumnia proſcindebar ab Ephraimitis, mihi obtrectabant (cf. Pſ. CVI, 13. ſeqq.), cum prehenderem eos brachiis, nec agnoverunt me curare eos." Quae interpretatio nobis quidem haud parum contorta videtur. קָחָם *Accipiens eos*, Participium, ſive, ut vult Storrius l. c. p. 307.,

p. 307., Infinitivus per Gerundium in *do* exprimendus: *prehendendo eos,* quomodo Infinitivi et Jer. VII, 13. XXII, 19. uſurpantur. Aliis eſt Praeteritum, ut Ezech. XVII, 5. Transit enim oratio a perſona prima ad tertiam, uti patet e ſuffixo ad עַל־זְרוֹעֹתָיו, *ſupra brachia ſua.* Comparat ſe Deus cum viro, qui paterne ducat puerum, adeo aegre incedentem, ut etiam ſuper brachia eum ſuscipiat. Deſumta imago ex Deut. I, 31. XXXII, 12. Cf. Jeſaj. LXIII, 8. 9. וְלֹא יָדְעוּ *Sed* illi *noluerunt agnoſcere,* II, 10. Jeſaj. I, 3. Jer. IV, 22. כִּי רְפָאתִים *Quod eos ſanaverim,* in integrum eos reſtituerim; cf. VI, 1. VII, 1. Jeſaj. VI, 10. Chaldaeus: *ſed non agnoſcunt, meam miſericordiam exſtare ſuper eos.* Hieronymus: „Qui ſupra [Vs. 1.] dixerat: *puer Iſrael et dilexi eum,* et: *ex Aegypto vocavi filium meum;* et poſtea intulit, quod perpetraverit nefas [Vs. 2.]: *Baalim immolabant, et ſimulacris ſacrificabant,* nunc narrat, quo Iſrael amore dilexerit, ſecundum illud quod in Deuteronomio [I, 31.] legitur: *Portavit te Dominus Deus tuus, ut ſolet homo geſtare parvulum filium ſuum, in omni via, per quam ambulaſti, doneo venires ad locum iſtum.* Et in alio loco [XXXII, 11.]: *Expandit alas ſuas, et aſſumſit eum, atque portavit in humeris ſuis.* Ego, inquit, qui pater eram, nutricius factus ſum, et parvulum meum in ulnis meis ipſe portabam, ne laederetur in ſolitudine, et ut vel aeſtu, vel tenebris terreretur, in die nubea eram, in nocte ignis columna; ut quos protexeram, meo illuſtrarem et ſanarem lumine: quumque peccaſſent, et feciſſent ſibi vituli caput, dedi locum poenitentiae, et ignoraverunt quod curarem eos, et vulnus idololatriae quadraginta annorum ſpatio obducerem, et priſtinae redderem ſanitati.“ Verba קָחָם עַל־זְרוֹעֹתָיו quidam, ut Abarbenel, ad Ephraimum referunt (quod, ſi de Deo accipiuntur, transitus a perſona prima ad tertiam, et tunc rurſus ad primam, incommodus illis videtur), hoc ſenſu: *ſuscepit* Ephraim *illa,* idola, Vs. 2., ſummo illa amore amplexus eſt. Id ſequutus Ritterſhuſius:

Quic-

Quicquid ego tentem, quicquid faciam Ephraimitis,
Idolis ipsi circumdant brachia vanis:
Haec amplexari est, his oscula figere blanda
Dulce vicis, velut in scortis insanat amator,
Interea medium me haud agnovere fidelem,
Vulnera qui sanem, morbis praestemque medelam.

4. בְּחַבְלֵי אָדָם *Funibus hominis*, i. e. humanis, quibus ingenui homines, non bruta aut bestiae, trahuntur; cf. 2 Sam. VII, 14. Humaniter eos tractavi. Chaldaeus: בְּמִגְרַת בְּנִין רְחִימִין נְגַדְתִּנּוּן *tractu filiorum dilectorum traxi eos.* Jarchi: „Attrahere eos consuevi funibus lenissimis, qualibus in attrahendo suo filio homo utitur; omnino ac si dixisset: tractione benevolentiae." Kimchi: „Quoniam vitulae Israelem comparaverat [X, 11.], vitulam autem funibus trahi fert consuetudo, ait: ego funibus hominis traxi Israelem, et non funibus vitulae. Quippe quum vitulam funibus invitam trahant retrahantque, ego sic Israelem traxi, sicuti socium homo solet, quem utique molli flexu ducit, neque invitum ire adigit: sic eos traxi ad proprium eos lubitum eos molliter ducendo." אֶמְשְׁכֵם *Trahebam eos*, Jerem. XXXI, 3. בַּעֲבֹתוֹת אַהֲבָה Nempe *funibus amoris*, i. e. בְּתֻקוֹף רַחֲמָא *fortitudine amoris*, uti vertit Chaldaeus, summa caritate. Cf. Jesaj. LXIII, 9. Graecus Alexandrinus: *ἐν διαφθορᾷ ἀνθρώπων ἐξέτεινα αὐτούς.* Cepit nomen חֶבֶל, cujus Pluralis hic exstat (בְּחַבְלֵי), *corruptionis* significatu, quem alias, ut Mich. II, 10., et maxime apud Chaldaeos obtinet, et primum hoc Versus membrum conjunxit cum postremo Versus praecedentis, *sanavi eos.* וָאֶהְיֶה לָהֶם כִּמְרִימֵי עֹל עַל לְחֵיהֶם *Fuique eis tanquam tollentes*, levantes, *jugum*, quod erat *super maxillis eorum*, id est, recte exponente Chaldaeo, וַהֲוָה מֵימְרִי לְהוֹן כְּאִכָּרָא טָבָא דְמָקִיל בְּכַתַף תּוֹרַיָּא וּמוֹרִיךְ בְּלִחְיָאתְהוֹן, *eram eis sicut bonus agricola, qui allevat humerum boum, et producit*, relaxat frenum *in maxillis eorum*. Syrus: ܘܗܘܝܬ ܠܗܘܢ ܐܝܟ ܗܘ ܕܡܪܝܡ ܢܝܪܐ ܡܢ ܦܟܝ̈ܗܘܢ *et eram eis, tanquam is qui aufert jugum a cer-*

a cervice eorum. Bene Grotius: „רום [in Hiphil] non raro vertitur per *αἴρειν, ἐξαιρεῖν, ἀφαιρεῖν* [ut Ezech. XXI, 26. al. 31. et Syris ܐܪܝܡ]. Haec nova comparatio ab agricola fumpta, qua liberationem ab Aegypto defignat." Per עֹל non folum defignari *jugum* ipfum, quod cervici imponitur, verum et *fubjugia lora* (Catoni dicta c. 63.), quibus jugum collis boum ita aptabatur, ut ora fimul feu maxillae capiftrarentur, docet additum עַל לְחֵיהֶם. Hieronymus: „Quodque fequitur: *ero eis quafi exaltans jugum,* pro quo interpretatus eft Symmachus: *et putaverunt quod imponerem jugum fuper maxillam eorum,* dupliciter accipitur. Aut: abstuli ab eis jugum cunctarum per circuitum nationum, aut legem meam quafi graviffimum jugi pondus arbitrati funt." Utrumque male. Pejus adhuc LXX: *Καὶ ἐγὼ ἔσομαι αὐτοῖς ὡς ῥαπίζων ἄνθρωπος ἐπὶ τὰς σιαγόνας αὐτοῦ, et ero illis, quafi dans alapas homo fuper maxillas ejus,* ut Hieronymus vertit. וְאַט אֵלָיו *Et leniter* (1 Reg. XXI, 27. Genef. XXXIII, 14. 2 Sam. XVIII, 5. Jefaj. VIII, 6.) *erga eum,* me gerens, אוכיל *cibum porrexi,* alui, eft enim Hiphil verbi אָכַל pro אַאֲכִיל et hoc pro אַאֲכִיל, ut אֹבִיד pro אַאֲבִיד ex אַאֲבִיד, obfervante Schroedero *Inftitt. Ling. Hebr.* Reg. LXXVI. d. Suffixum repetendum eft ex אֵלָיו, quod proxime praeceffit. Chaldaeus: *cum effent in deferto, multiplicavi eis comedendum bonum.* Hieronymus: „Et dedi eis efcam manna in deferto, quo vefcerentur, hoc eft enim quod ait: *declinavi ad eum ut vefceretur,* pro quo interpretatus eft Symmachus: *et declinavi ad eos cibos.*" Ceperunt hi interpretes vocem אַט pro forma apocopata futuri Hiphil verbi נָטָה, ex אַטֶּה, ut fupra VI, 1. יַךְ, *percutiet,* ex יַכֶּה. Cf. Buxtorfii *Thefaur. Grammat.* L. I. C. III. fub fin. et Alstingii *Fundamenta* Reg. 149. Ita et Syrus: ܘܐܬܟܢܫܬ ܠܘܬܗܘܢ ܘܐܘܟܠܬ *et inclinavi ad eos ut comederent.* Nec aliter אַט acceperunt LXX quamvis fenfu malo: *καὶ ἐπιβλέψομαι πρὸς αὐτὸν, δυνήσομαι αὐτῷ.* אוכיל retulerunt ad יָכֹל, ut אוחיל Jerem. IV, 19. a יָחַל deducitur. Comminationem hisce verbis

bis contineri, opinatus est et Ludovicus de Dieu, cui אוֹכִיל est Participium Cal, formae יוֹסִף, Jesaj. XXIX, 14., et תּוֹמִיךְ, Ps. XVI, 5., unde vertit: *ideo ad eos inclinabo ad eos comestorem*, i. e. hostem Assyrium (qui Versu proximo diserte memoratur). Ita conferri potest Jerem. L, 17. הָרִאשׁוֹן אֲכָלוֹ מֶלֶךְ אַשּׁוּר, *primus comedit eum rex Assyriae.* Sed quum totus reliquus Versus aperte in beneficiorum divinorum commemoratione versetur, minus commode postremis ejus verbis comminatio addatur, quae proximo demum Versu incipit. Rittershusius:

Funiculis ipsos humanis duco ligatos,
Fortibus et vinclis constringo dulcis amoris:
Haud aliter quam qui curat jumenta benigne,
Impositumque jugum leve reddere nititur ipsis,
In partem veniens communis et ipse laboris
Maxillisque cibum fessis dextra admovet ipse,
Ut comedant quantum satis est, viresque reconstent.

5. לֹא יָשׁוּב אֶל־אֶרֶץ מִצְרַיִם *Non revertetur* ultra, ut nuper fecit, *Ephraim*, s. populus Israel (Vs. 3.) *in terram Aegypti* ad auxilia petenda, VII, 11. VIII, 13. IX, 3. 6. XII, 2. Lackemacher in *Observatt. Philologg.* P. VI. Observ. III. *de Israelitis in Aegyptum revertentibus* etc. verba nostra interrogative vertenda existimat: *nonne in Aegyptum revertitur?* quod idem sit, ac si dixisset: *utique revertitur*, scilicet ne locus noster pugnet cum IX, 3., ubi Israelitae in Aegyptum reverti dicuntur. Firmare potuisset Lackemacher suam interpretationem Graeci Alexandrini interpretis auctoritate, qui et ipse לֹא pro הֲלֹא accepisse videtur. Vertit enim: κατῴκησεν Ἐφραὶμ ἐν Αἰγύπτῳ. Verum minime opus est particulae interrogativae ellipsin statuere, si יָשׁוּב, uti nos cum Grotio fecimus, simpliciter in futuro tempore sumimus. Addit vates caussam, cur ultra non sint ad Aegyptios legatos missuri, auxilii impetrandi et foederis ineundi ergo, וְאַשּׁוּר, *nam Assur*, s. *Assyrius*, cui inde a temporibus Menahemi tributarii fuerant, 2 Reg. XV, 19., sed nuper, Ae-

gyptio-

gyptiorum auxiliis freti, ab eo defecerant, 2 Reg. XVII, 4., הוּא מַלְכּוֹ, *hic* erit *rex ipsius*, scil. solus, ut proprium regem non habeant, nec auxiliarem Aegyptium. „*Rex*," inquit Lackemacher l. c. p. 346. „hic dicitur, qui subjugat, et in servitutem redigit, belli jure. Eo sensu Assyrius rex futurus erat Israelitarum, quippe republica simul cum libertate orbaturus, iisdemque על כרחם, *invitis*, ut Raschi ait, imperaturus." כִּי מֵאֲנוּ לָשׁוּב *Quia renuebant reverti* (ut Jerem. V, 3. VIII, 5.) ad Deum suum (supra V, 4.), a quo auxilium exspectare poterant certissimum; resipiscere nolebant. Hieronymus: „Quando dicit, *non revertetur in terram Aegypti*, ostendit, quod reverti cupiat, sed ire non possit. Reverti autem cupiebat Israel, ab Aegyptiis auxilium efflagitans; sed possessus est ab Assyrio, qui cepit eum, et dominatus est illis jure victoris; et hoc passus est, quia converti noluit, nec agere poenitentiam. Vel certe dicamus, quod reversus sit in terram Aegypti, quando Aegyptios in terra sancta adoravit deos; vel illo sensu accipiendum, quo supra [VII, 11.] dictum est: *Aegyptum invocabant; ad Aegyptios abierunt.*" Rittershusius:

Omnia sic igitur quum indulgentissimus ipsis
Suppeditem, ut rerum nullarum copia desit,
Causae habuere nihil, varias cur denuo ad oras
Respicerent male fidi, inde auxiliumque rogarent.
Ad me converti renuere; proinde jugum ipsis
Assyrii incubuit Regis, numerare tributum
Qui victos primo, patria inde migrare coëgit.

6. וְחָלָה *Irruens enim* erit; חול et Chaldaeis est *cadere* in aliquem locum residendi causa. Eadem qua h. l. notione verbum usurpatur 2 Sam. III, 29. Jerem. XXIII, 19. Lackemacher confert Arabicum حال, quod praeter alia etiam *assilivit*, *insilivit* denotat. J. D. Michaelis a significatu *circumeundi*, quem itidem apud Arabes id verbum obtinet, in *Supplemm.* p. 685. vertit *obambulabit* gladius per urbes; minus commode. חֶרֶב *Gladius* hostium; cf.

Levit.

Levit. XXVI, 25. 33. בְּעָרָיו *In urbes ejus,* regni Iſraelitici, VIII, 14., quando obſidione cingentur. וְכִלְּתָה בַדָּיו וְאָכָלָה *Conficiet vectes ejus et abſumet.* „*Vectes,*" inquit Lackemacher l. c., „repagula hic ſunt, quae portis ab interiore parte obducuntur, ut, niſi ſumma vis adhibeatur, aperiri nequeant. Portae olim prae ceteris urbium partibus munitione inſtrui ſolebant valida, quod per eas facillimus alioquin hoſti ad urbem eſſet aditus. Hinc factum, ut *portae* in ſacris literis pro tota ponantur *urbe,* et *portam* is *poſſidere* dicatur, qui ipſam tenet urbem, quia portis occupatis nihil erat, quod ipſius urbis occupationi impedimento eſſet. Itaque portae tum aliis rebus, tum peſſulis praeſertim et repagulis firmis diligentiſſime muniebantur. Haec propheta *confectum* iri *abſumtumque* nunciat, id eſt, hoſtem illa convulſurum, excuſſurum, ferro reſciſſurum, vel et igne deſtructurum: paucis, urbes non modo obſeſſurum eſſe, ſed et: munimentis praecipuis dirutis, capturum. Alii, in quibus Raſchi etiam et Abarbenel [Chaldaeum interpretem ſequuti], *vectes* tropico ſenſu de גבורין, ſeu *viris* interpretantur *fortibus.* Quos equidem minime reprehendo, cum viri animo forti ac imperterrito appoſite *vectes* dici poſſint ac *repagula* populi, quod corpora ſua, veluti peſſulum quendam, hoſti urgenti objicientes, progreſſum ejus impediunt, Horatii inſtar Coclitis, qui ſolus in ponte Tuscorum ſustinuit impetum, hoc ea propter Livius (*Hiſtor.* II, 10.): *id munimentum illo die fortuna urbis Romanae habuit.* Sed quia tropo tali uſos Hebraeos eſſe nusquam alias reperio, ac praeterea commate praecedenti de obſidione agitur urbium, quibus munimentum quoddam praecipuum portae praeſtabant, repagulis probe obſtructae, eum, quem indicavi, ſenſum praeferendum duco." Similis ſententia Thren. II, 9. *Exciſa lugent propugnacula ſimul et moenia; peſſumdatae ſunt ejus portae; perdidit perfregitque vectes ejus* [בְּרִיחֶיהָ]. Alteram tamen interpretationem, qua, Chaldaeo auctore (וְתִקְטֵל גִּבָּרוֹהִי *occidetque fortes ejus*), *vectibus* fortes viri intelliguntur, qui urbem defen-

defendunt, illud commendat, quod *gladio* aptius homines confici et absumi, quam munimenta dicuntur. Livelleus בַּדִּים interpretatur *divinos*, proprie *mendaces*, *vanos*, ut Jesaj. XLIV, 25., ubi cf. not., et Jerem. L, 36., cui favet, quod sequitur, מִמֹּעֲצוֹתֵיהֶם *propter consilia eorum*, malo sana, quae de idolis colendis et de auxilio Aegyptiorum contra Assyrios comparando inierant. Cf. Jerem. VII, 24. Hieronymus hunc Versum sic vertit: *Coepit gladius in civitatibus ejus, et consumet electos ejus, et comedet capita eorum.* Quae in Commentario hoc modo illustrat: „coepit itaque gladius in civitatibus ejus [confudit חָלָה cum הַחֵלָּה *incepit*, a חָלַל], sive *irruet*, ut interpretatus est Aquila, aut *vulnerabit*, ut Symmachus transtulit. Et vide, quantum pondus sit miseriarum, ut non agri, vel possessiones ac rura vastentur; sed medias civitates hostis introeat, et consumat electos ejus, sive *brachia illius*, ut interpretatus est Symmachus, quod Hebraice dicitur *Baddau*. Quumque consumserit gladius electos et principes, sive robur exercitus, et devoraverit vel capita, vel consilia eorum, ut non possint aliquod invenire praesidium; tunc plebs miserabilis, quae ad me reverti noluit, meum ad se reditum praestolabitur, et sero aget poenitentiam, hostibus cuncta vastantibus." LXX hunc Versum intellexerunt de viribus Israelitarum urbes suas defendentium debilitandis: Καὶ ἠσθένησεν ῥομφαία ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτοῦ, καὶ κατέπαυσεν ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ· καὶ φάγονται ἐκ τῶν διαβουλίων αὐτῶν. Ita et Syrus: *Infirmabitur gladius in urbibus eorum, et evanescet e manibus eorum* [בַּדָּיו], *comedentque de consiliis suis.* Utrumque interpretem patet חָלָה pro eo verbo, quod *infirmum esse* denotat, cepisse. Rittershusius, qui בַּדָּיו *membrorum* significatione accepit, ut Job. XVIII, 13., nostrum Versum ita expressit:

Denique ubi gladius sese insinuarit in urbes,
Ipsorumque vorans membra atque absumere certans,
Consiliis ipsis quem accersivere profanis.

7. וְעַמִּי

7. וְעַמִּי תְלוּאִים לִמְשׁוּבָתִי *Nam populum meum* quod attinet *ſuspenſi* et defixi *inhaerent averſioni a me;* in malam ſemper partem poſtremum nomen uſurpatur, vid. XIV, 7. Jerem. II, 19. III, 22. V, 6. VIII, 5. XIV, 7. Prov. I, 32. Suffixum vero eſt paſſivum, ut in תְּפִלָּתִי, *preces quae ad me diriguntur,* Jeſ. LVI, 7. cf. Pſ. V, 8. תְּלוּאִים, obſervat Lackemacher, „*ſuspenſi,* dicuntur, qui toti ex re aliqua pendent, ſive unice ei ſunt dediti, et quaſi affixi inhaerent. תָּלָה enim interdum *affigere* eſt, *addicere,* Jeſajas de Eljakamo XXII, 24. וְתָלוּ עָלָיו כֹּל כְּבוֹד בֵּית־אָבִיו, *ex eo omnem familiae paternae gloriam ſuspendent,* i. e. affigent quaſi, et uni illi addicent. Sic Kimchio ad Hoſ. IV, 6. העם הנתלים בכהנים, *populus ex ſacerdotibus ſuspenſus,* is eſt, qui ſacerdotibus ſtudioſiſſime adhaeret, iisdemque totum ſeſe tradidit. Quo eodem ſenſu Graecum quoque verbum ἐξαρτάομαι, *ſuspenſus ſum,* Hebraico תָּלָה, נִתְלָה, ſignificatu reſpondens, apud Athenaeum (*Deipnoſoph.* L. XII. p. 554.) occurrit: *Οὕτω δὲ ἐξηρτήντο τῶν ἡδυπαθειῶν οἱ τότε, ὡς καὶ Καλλιπύγου Ἀφροδίτης ἱερὸν ἱδρύσασθαι ἀπὸ ταύτης αἰτίας. Voluptati ſic dediti fuere ejus aetatis homines, ut Callipygo Veneri templum aedificarint.* Itaque *ſuspenſi ex averſione a Deo* homines ſunt penitus ab eo averſi, qui officia ei praeſtanda omnino deſeruerunt, cultum exhibendum prorſus negligunt." R. Tanchum: انهم ثابتين علي العناد *conſtantes ſunt in declinando a via recta.* Alii תְּלוּאִים, *ſuspenſos,* eos dici exiſtimant, qui perpetuis dubitationum fluctibus jactentur, et לְ nomini מְשׁוּבָתִי praepoſitum vertunt *propter,* ut Num. XVI, 34. Jud. VI, 11. IX, 24., ut haec prodeat ſententia: populus Iſraeliticus animo prorſus dubio atque anxio haeret, eo quod a Deo ſe averterit. Ita Chaldaeus: וְעַמִּי פְּלִיגִין לְמֵתַב לְאוֹרַיְתִי *populus autem meus haeſitat ſe convertere ad legem meam;* nec aliter Syrus: ܥܡܡܝ ܬܠܝܢ ܠܡܬܦܢܝܘ ܠܘܬܝ *populum meum* quod attinet *ſuspenſi* haeſitant; *redire ad me.* Hieronymus vertit: *et populus meus pendebit ad re-*

ditum meum, quod ſic exponit: „tunc plebs miſerabilis, quae ad me reverti noluit, meum ad ſe reditum praeſtolabitur, et ſero aget poenitentiam, hoſtibus cuncta vaſtantibus.“ Alii, qui מְשׁוּבָתִי pariter *ad reditum meum* vertunt, interpretantur *ad redeundum ad me*, hoc ſenſu: non decernit, non ſtatuit ad me redire. Sed מְשׁוּבָה, uti ſupra monuimus, ſemper de *averſione* dicitur. LXX: Καὶ ὁ λαὸς αὐτοῦ ἐπικρεμάμενος ἐκ τοῦ κατοικίας αὐτοῦ, *et populus meus ſuſpenſus eſt ex incolatu ſuo*, ut Hieronymus reddidit. Videtur ἐκ τῆς παροικίας legiſſe, uti etiamnum eſt in codicibus nonnullis. „Differunt autem,“ inquit Drusius, κατοικεῖν et παροικεῖν, ut apud Latinos *habitare* et *commorari*. Cicero: *Natura nobis commorandi, non habitandi locum dedit.* Ceterum peccarunt hoc loco in Vau et Jod; nam in fonte מְשׁוּבָתִי, pro quo מְשׁוּבָתוֹ expreſſerunt. Deinde a יָשַׁב deducunt, quod a שׁוּב.“ Pergit vates: וְאֶל־עַל יִקְרָאֻהוּ *Et* ad id quod *ſupra*, ad ſuperna, divina et coeleſtia (alii: *ad Altiſſimum*, ſed cf. not. ad VII, 16.) *revocant* quidem *eum* (populum) ſcil. prophetae, quae ellipſis et ſupra Vs. 2. Recte Jarchi: ואל הדבר אשר עליו קראוהו הנביאים *et ad id quod ſupra eum eſt, vocant eum prophetae.* Conſentit R. Tanchum, qui עַל h. l. idem quod Arabicum علو *altum, elatum* eſſe ait, et ſenſum ita exponit: ان الانبيا يدعونهم الى المنزلة الرفيعة وهي عبادة الله تعالي *utique prophetae vocarunt eos ad gradum altum, i. e. ad cultum Dei qui exaltetur.* Ludov. de Dieu עַל non ut nomen ſed ut Particulam capiens, verba cum iis quae ſequuntur, יַחַד לֹא יְרוֹמֵם, ſic vertit: *et ſurſum vocant eum, ſed pariter non elevat ſe*, i. e. manent cordibus infixi terrae neque volunt ſe ſurſum elevare, quamvis eo vocentur. Cepit יְרוֹמֵם ſignificatu reciproco, quo tamen Piel verbi רוּם alias non uſurpatum reperitur. Attamen eodem, quo Lud. de Dieu modo cepit יְרוֹמֵם et R. Tanchum, verba hebraea ſic interpretatus: هم اجمعوا جميعا ان لا يرتفعوا اليها

ſed illi conſentiunt omnes ut ſeſe non ſuſtollant ad illum (gradum altum, ſ. cultum Dei). Additque יְרוֹמֵם quamvis formâ ſit transitiva, h. l. tamen eſſe تأتي *intransitivum*, nec ſignificatu differre a יָרוּם ſ. יָרוּם. Josephus Kimchi, referente filio, Davide, יְרוֹמֵם ſcriptum eſſe conjicit pro יְרוֹמַם, Paſſivum ſ. Poel, *exaltabitur*, ſeſe elevabit. Quibus interpretibus conſone Syrus vertit: ܠܐܠܗܐ ܢܩܪܘܢ ܘܢܬܪܢܐ ܐܟܚܕܐ ܘܠܐ ܢܬܬܪܝܡ *ad Deum vocant* ſcil. eum, Iſraelem, *ſed cogitat unâ nec ſeſe elevat*, i. e. conſulto conſpirant in eo, ut ſeſe non elevent. (Male Latinus in Polyglottis interpres Syriaca ita vertit: *Deum vero vocent, ſtatimque curam habebit, nec extolletur.*) Nos tamen iis interpretibus accedimus, qui יְרוֹמֵם active capiunt, ita ut ſubaudiendum ſit: *Deum*, uti eſt in verſione Arabica nondum edita, Pocockio laudata, لم يكن احد منهم يشرف اسم الله *non erat ex iis unus, qui extolleret nomen Dei*, vel, quod malim, *me*, Deum ſuum (repetito primae perſonae ſuffixo ex לִמְשׁוּבָתִי), ut me praeferat humanis auxiliis, debitisque laudibus extollat (de quibus hoc verbum et Exod. XV, 2. Pſ. LXVI, 17. CXLV, 1. Dan. IV, 34. al. 37. dicitur), et ita me cultu proſequatur decenti. יַחַד *Una* in univerſum, totus populus, Jeſ. XXII, 3. Pſ. XIV, 3. Rittershuſius:

Nutat adhuc ſtolidus populus, dubitatque reverti,
Quicquid et inclament vates meliora monentes,
Plebem ut ad excelſum revocent; tamen illa Jehovae
Non tribuit ſolidam, velut ipſi eſt debita, laudem.

Minus placet, quod Grotius ad לֹא יְרוֹמֵם ſubaudit רֹאשׁ, ut ſit: non extulit quisquam caput ſuum, ut arrectis auribus auſcultaret. Eum ſenſum forſan ſpectavit Chaldaeus, qui ſic vertit: לָא יְהָכוּן בְּקוֹמָא זְקוּפָה *non ambulant erecta ſtatura*, et Lutherus, qui integrum Verſum ſic reddidit: *Mein Volk hat keine Luſt ſich zu mir zu kehren, und wie man ihnen predigt, ſo richtet ſich keiner auf, zu hören.* Quam interpretationem peculiari Diſſertatione vindicare

 ſtuduit

ſtuduit J. F. Nicolai in *Philologemate Sacra ad Hoſ. XI, 7. quo verſio B. Lutheri defenditur*, Jen. 1664. Lud. Cappellus ſubaudit אוֹתָם, vertitque: *quapropter eos Deus non exaltabit.* Longius discedunt LXX, qui poſterius Verſus hemiſtichium ſic reddunt: *ὁ δὲ Θεὸς ἐπὶ τὰ τίμια αὐτοῦ θυμωθήσεται, καὶ οὐ μὴ ὑψώσῃ αὐτόν, et Deus ſuper pretioſa ejus irascetur, et non exaltabit eum*, uti Hieronymus vertit, qui in Commentario eorum verborum ſenſum ita exponit: „Deus vero ſuper pretioſa eorum, aurum videlicet et argentum, quae acceperant ab eo, de quibus ſaepe diximus, iraſcetur, et nequaquam liberabit eum, qui ſuo vitio corruit." Lud. Cappellus in *Crit. S.* L. IV. Cap. 11. §. 26. p. 539. edit. Vogel. ſenſum Graecae verſionis minime incommodum judicans, eum hunc eſſe dicit, populum Hebraeum de terra habitationis ſuae migraturum eſſe, Deumque iratum fore adverſus pretioſiſſima quaeque illius, adeoque in ipſum Templum, quod pretioſiſſimum erat. Ceterum Graecum interpretem in ſuo Hebraico codice pro וְאֶל־עַל יִקְרָאֻהוּ יַחַד haec legiſſe cenſet: וְאֵל עַל יְקָרָהוּ יִחַר, nam אֵל eſt *Deus*, יָקָר eſt *τίμιον*, יִחַר autem eſt pro יֶחֱרֶה a radice חָרָה *excandescere.* Niſi forſan יחר, uti nos, legerit, ſed ad verbum חָדַר *acutus fuit*, retulerit, quod Arabibus et *vehemens durusque fuit in ira, acri praecipitique animo efferbuit contra* (علي) *aliquem.* Minus bene poſterius hemiſtichium vertit Hieronymus: *jugum autem imponetur eis ſimul, quod non auferetur.* Pro עַל videtur עֹל legiſſe. In Commentario ſenſum ſic exponit (cf. not. ad Vs. 6.): „Itaque quia peccata grandia grandibus ſunt punienda ſuppliciis, imponent eis, qui derelicti fuerint de populo (rege eorum ac principibus Aſſyrio mucrone truncatis) jugum graviſſimum ſervitutis." Plura in hunc Verſum disputavit Jo. Helv. Willemer in Diſſertat. *Hoſeas δυσνόητος* ad Hoſ. XI, 7. Viteberg. 1680., repetita in *Theſauro Theolog. Philolog. ſ. Sylloge Diſſertationum elegantior. in V. et N. T.* P. I. p. 957. ſeqq.

8. אֵיךְ אֶתֶּנְךָ אֶפְרַיִם *Quomodo* igitur *dabo,* reddam, tractabo *te, Ephraim? Dare* Hebraeis faepe denotat aliquem in ftatu bono aut malo conftituere; vid. Ezech. V, 14. XXVI, 21. XXXV, 9. Inducit Deum loquentem more eorum, qui inviti puniunt, ac fi dicat: non fine animi dolore, minimeque lubens fum facturus. אֲמַגֶּנְךָ *Tradamne te?* dedamne te hoftibus? five, perniciei? Chaldaeus: אֲשֵׁיצִנָךְ *exterminabo te?* LXX: ὑπερασπιῶ σου; quafi a מָגֵן *clypeus* formatum effet, quod nomen ipfum tamen a גָּנַן deducitur. Graecam interpretationem fequitur et Hieronymus, in Commentario haec fcribens: „In eo loco, ubi nos et LXX interpretati fumus: *protegam te, Ifrael?* in Hebraico fcriptum eft *Amaggenach* quod Aquila transtulit ὅπλῳ κυκλώσω σε, id eft, *fcuto circumdabo te.* Quod quum in bonam partem putaremus intelligi, et fignificare protectionem, ex editione Symmachi contrarius nobis fenfus fubjicitur, dicentis ἐκδώσω σε, id eft, *tradam te.* Ex translatione quoque Theodotionis non profpera, fed adverfa demonftrantur: ἐφοπλίσω σε, quod fignificat *nudabo te,* et auferam a te ὅπλον, hoc eft, fcutum, quo te ante protexeram, et hic fenfus magis convenit Domino comminanti.“ Sed non dubium, verbum מִגֵּן *dandi, tradendi* fignificatum obtinere, ut Genef. XIV, 20. Prov. IV, 9., et convenire cum נָתַן bis h. l. ufurpato. Tradamne te, inquit, extremo fupplicio? אֵיךְ אֶתֶּנְךָ כְּאַדְמָה *Quomodo dabo,* reddam, *te ficut Adama,* quae una cum Sodoma et Gomorrha igne coelitus demiffo deleta, Genef. XIV, 9. XIX, 24. אֲשִׂימְךָ *Ponamne,* reddamne, *te?* II, 5. Jerem. VI, 8. Ezech. XXI, 32. כִּצְבֹאִים *Sicut Zeboim,* itidem una quinque illarum urbium, igne coelefti deletarum, Deut. XXIX, 22. Hieronymus: „Quia videbatur dura fententia [in fuperioribus prolata], nequaquam eis locum poenitentiae derelinquens, nunc Deus parentis ad Ifrael loquitur affectu: *Quid tibi faciam Ephraim?* quomodo te meo auxilio denudabo? quid tibi faciam? qua te arte corripiam? quo potero fanare medicamine? Sicut Adama et Seboim ponam te, quae duae funt quinque urbium,

bium, ficut in Geneſi [XIV, 2.] legimus: *Sodoma et Gomorrha, Adama, et Seboim et Bale, quae eſt Segor*, et Syro ſermone *Zoara* dicitur. Ponam itaque et vertam te in ſolitudinem, et delebo usque ad cineres et favillas, ficut delevi Adama et Seboim.“ נֶהְפַּךְ עָלַי לִבִּי *Sed*, quando de te prorſus exſcindendo cogito, *converſum*, mutatum eſt, *cor meum intra me* (ut Pſ. XLII, 5. 6. 7.), ab ira ad miſericordiam. Vid. Thren. I, 20. et cf. Jerem. XXXI, 20. יַחַד נִכְמְרוּ נִחוּמָי *Una*, pariter, *aeſtuarunt*, incaluerunt, *poenitudines meae*, i. e. intimo poenitudinis ſenſu afficior, quod te tantis afflixi poenis. R. Tanchum ſenſum ita exponit: هاجت ندامتي وبدأتي اي انصرفت عن مذهبي في عقابه *concitata eſt mea poenitentia et nova cogitatio, id eſt, converti me a meo inſtituto in puniendo eos*, additque eſſe استعارة *metaphoram*, ſecundam hanc regulam, דברה תורה בלשון בני אדם *loquitur lex linguâ hominum*, illiusque mentem eſſe hanc: انهم مرحومين من في وقت العقاب ولا تدوم شدتهم *illi miſericordiam experientur tempore poenae, nec perſeverabit eorum miſeria.* Verbum נִכְמְרוּ *aeſtuarunt, incaluerunt*, ut Geneſ. XLIII, 30. נִכְמְרוּ רַחֲמָיו אֶל־אָחִיו *incaluerunt viscera ejus erga fratrem ſuum*, i. e. amore erga eum commotus eſt, alii, *revolutae ſunt*, ſ. *convolutae ſunt* reddunt. Ita Syrus: ܐܬܗܦܟܘ ܡܥܝ̈ *convoluta ſunt viscera mea.* Et Chaldaeus: אִתְגּוֹלָלוּ רַחֲמַת אֲבָהָתְהוֹן *revolutae ſunt commiſerationes patrum veſtrorum.* Arabica verſio in Polyglottis habet: انقلبت ندامتي *inverſa eſt poenitentia mea.* Sed LXX, quos hic interpres alias ſequitur, reddunt: *συνεταράχθη* (ſ. ut alii codices habent, *διεταράχθη*) *ἡ μεταμέλεια μου*, quibuscum convenit Hieronymus: „quumque duram, imo crudelem ſententiam protuliſſet, rurſus parentis affectu miſericordia vincitur et auſteritatem judicii pietate mitigat patris. Dicit enim: *converſum eſt in me cor meum; pariter*

riter conturbata est poenitudo mea (verbum נִחַם haud raro *poenitere* constat significare). Statim ut loquutus sum, me Ephraim et Israel sicut Adama Seboimque positurum, mea commota sunt viscera." Rittershusius:

Quid faciam, Ephraimaea tribus, tibi? dederene hosti
Debeo te, Israel? Sane indignissima facta
Si tua respicerem, si praemia reddere digna
Deberem his meritis, urbes quae poena voravit,
Vicinas Sodomae impurae, Seboimque Adamamque
Quas fundo excussit delapsus coelitus imber
Sulphureus, non extinguendo cum igne remixtus,
Haec eadem, et forsan major, te poena maneret.
Sed mea se versant alio praecordia motu,
Visceraque intra me miseratio plurima, et aestus
Emollit, poenaeque modum facere imperat. —

9. לֹא אֶעֱשֶׂה *Non* igitur *faciam,* exsequar. Subjicitur effectus illius motus divinae misericordiae, de quo Vs. 8. Cf. Amos VII, 36. חֲרוֹן אַפִּי *Furorem irae meae,* poenam intelligit, quae infligitur non jam ad emendationem, sed ad internecionem, Jerem. XXX, 24. XLIX, 37. לֹא אָשׁוּב *Non convertam me* scil. a miserendo, et promissionibus meis. Cf. supra II, 8. 18. (al. 11. 21.). Vel: *non avertam me* ab Israelitis, coll. Jerem. XXXII, 40. Chaldaeus: לָא יְתוּב מֵימְרִי *non revertetur verbum meum.* Alii cum verbo sequenti לְשַׁחֵת ita jungunt: *non revertar ad perdendum,* i. e. non rursus perdam (coll. Genes. XXVI, 18. 1 Reg. XIII, 33. 2 Reg. IV, 35.), ut olim in diluvio, coll. Jesaj. LIV, 9. כִּי אֵל אָנֹכִי וְלֹא אִישׁ *Nam Deus ego sum,* fallere nesciens in promissis datis, *nec vir,* homo, cujus dubia in promissis fides. Cf. Num. XXIII, 19. Mal. III, 6. Chaldaeus: *Quia Deus ego sum. Verbum meum in aeternum permanet, nec sunt opera mea, sicut opera carnis,* hominum, *qui habitant in terra.* Hieronymus: „Non faciam secundum furorem iracundiae meae, nec de mea clementia commutabor, ut disperdam Ephraim; non enim percutio ut perdam in

in perpetuum, ſed ut emendem. Crudelitas mea poenitentiae et pietatis occaſio eſt: *Deus* enim *ego ſum, et non homo.* Homo ad hoc punit, ut perdat, Deus ad hoc corripit, ut emendet.“ בְּקִרְבְּךָ קָדוֹשׁ *In medio tui Sanctus*, ut Jeſ. XII, 6., affectionibus vitiisque humanis plane exemtus. וְלֹא אָבוֹא בְּעִיר *Nec ingrediar urbem*, ita LXX, Vulgatus, Syrus; et cf. quoad conſtructionem Deut. XXIII, 9. ſeqq. 1 Sam XXIII, 7. Jerem. IX, 20. Sed quomodo intelligendum hoc ſit, de eo admodum ambigunt interpretes. Hebraei vulgo ſenſum hunc eſſe volunt: at *in* aliam *urbem*, praeter Hieroſolymam, *non veniam.* Quae Chaldaei quoque mens videtur fuiſſe, qui vertit: וְלָא אֲחַלֵּף בְּקַרְתָּא אוֹחֲרִי עוֹד יְרוּשְׁלֵם *nec permutabo amplius Hieroſolymam cum alia urbe.* Sed Hieroſolymitanae urbis mentio ab hac in Ephraimitas directa oratione prorſus aliena. Melius Hieronymus: „*Et non ingrediar civitatem*, hoc eſt, non ſum unus de his, qui in urbibus habitant, qui humanis legibus vivunt, qui crudelitatem arbitrantur juſtitiam; quibus jus ſummum ſumma malitia eſt; mea autem lex, meaque juſtitia eſt ſalvare correctos.“ Quae explicatio ſcitum defenſorem nacta eſt Lowthum *de Sacra Poeſi Hebraeor.* Prael. XIX. p. 242. edit. Oxon. ſec. ſ. p. 212. edit. Lipſ. not. „Eſt nimirum,“ inquit, „in poſteriore membro τὸ לֹא אָבוֹא בְּעִיר parallelum et ſynonymum τῷ לֹא אִישׁ in priore. Futurum אָבוֹא habet vim frequentativam (vid. Pſ. XXII, 3. et 8.), *non ſoleo urbem intrare*, non ſum urbicola. Eſt etiam in ſingulis membris pulchra inter ſe oppoſitio partium: *ſum Deus et non homo*; eſt auxeſis in ſequenti, et paulum variatur ratio oppoſitionis; ſum Deus tuus tecum habitans, ſed peculiari modo, extra ordinem, nec more hominum. Nihil, opinor, clarius, nihil elegantius.“ N. G. Schroederus vero in *Obſervatt. Selectt. ad Origg. Hebr.* Cap. II. §. XIII. p. 25. nomini עִיר h. l. ut Pſ. LXXIII, 20. (ubi vid. not.) *fervoris, excandeſcentiae, irae* ſignificatum tribuens (coll. Arab. غار pro غور, *fervere*), verba noſtra ſic reddenda arbitratur:

tratur: *non veniam cum fervore*, f. ira in gentis perniciem *effervescente*, ut respondeant primis ejusdem Versus verbis: *non exsequar* חֲרוֹן אַפִּי *excandescentiam irae meae.* Addere potuisset Schroederus, ejusdem interpretationis jam a Jarchio mentionem factam esse. Refert is enim, existere, qui עִיר significatione *odii* (שִׂנְאָה) h. l. capiant, coll. 1 Sam. XXVIII, 16. *Jova a te recessit*, וַיְהִי עָרֶךָ, *et factus hostis tuus.* Ita Rittershusius:

Non omnes irae statui jam effundere habenas
Ipse meae, exitio demergereve Ephraimaeos
Amplius, ut meruere quidem; quia mens mihi dia est,
Nescia mutari, aut decreta revellere prisca
Servandorum hominum, et propria est mea parcere virtus;
Non autem est mihi mens, qualis solet esse virorum,
Quos crebra immutat conversio consiliorum,
Crudelisve animus peccanti parcere nescit.
Sanctus ego in te sum, quem ritum et jura sacrorum
Edocui, patriumque animum tibi saepe probavi.
Non ergo invadam, velut adversarius, urbem,
Omnia tibi ut vastem, et flamma ferroque profanem.

Nos tamen haud dubitamus nostram facere interpretationem Hieronymianam sive Lowthianam, ex qua עִיר usitata sua et unice certa significatione sumitur, dictioque est satis poetica. Subjicere visum aliam quandam explicationem, commemoratu haud quidem indignam, nec eam tamen, quae plures nanciscatur assensores: *etiamsi* nunc *non veniam in urbem* Samariam, ceterasque, superstitioso idolorum cultu aliisque sceleribus foede pollutas, nec corrigibiles adhuc, sed gladio exscindendas, vid. Vs. 6. VI, 8. VII, 1. IX, 12. 15. X, 7. 8. XIV, 1.

10. אַחֲרֵי יְהוָה יֵלְכוּ *Post Jovam* tandem *ambulabunt*, ejus ductum sequentur; id enim notat הָלַךְ cum אַחֲרֵי junctum, cf. V, 11. 1 Reg. XIV, 8. Chaldaeus: בָּתַר פּוּלְחָנָא דַיְיָ יְהָכוּן *cultum Iovae sequentur.* Idem promittitur supra III,

III, 5. Jerem. III, 17. Mich. IV, 2. בְּאַרְיֵה יִשְׁאָג Quando *ſicut leo rugiet*, valida ſua voce diſperſos per varias et multas terras convocabit. Kimchi: „Sicut leo, qui rugit, ut animalia, quorum rex ipſe eſt, ſeſe ad eum congregant, ita congregabunt ſeſe Iſraelitae audita voce rugientis Dei.“ כִּי־הוּא יִשְׁאַג וְיֶחֶרְדוּ *Quando ipſe rugit, tunc trepidabunt*, i. e. trepidantes prae nimia feſtinatione accurrent, cf. not. ad III, 5. בָּנִים *Filii*, poſteri Iſraelitarum eorum, ad quos tunc loquebatur vates. Vel: *filii* Jovae, quos Deus filios recipit, coll. Deut. XIV, 1. Chaldaeus: *congregabunt ſe exules.* מִיָּם *A mari*, i. e. ab Occidente, ut recte Chaldaeus, cf. Geneſ. XII, 8., ab extremis terris, quae trans mare mediterraneum, Cananaeae ad occidentem, ſitae ſunt. Arabicus interpres Pocockio laudatus: من جزاير البحر *ex inſulis maris.* Ceteras mundi plagas commemorat Verſu proximo. Hieronymus: „Domino proſpera pollicente, populus convertetur ad eum, et ambulabit poſt Dominum, quia Dominus rugiet quaſi leo. De quo et Amos propheta commemorat [I, 2.]: *Dominus de Sion rugiet, et de Jeruſalem dabit vocem ſuam.* Rugit autem, quando dicit: *ſicut Adama, ponam te ut Seboim.* Quumque ille rugierit, tunc formidabunt *filii maris* [quaſi ſcriptum eſſet בְּנֵי יָם], ſive *aquarum*, ut LXX tranſtulerunt. Etenim verbum *Maim*, quod per tres literas ſcribitur, *Mem, Jod, Mem,* ſi legatur *Maim, aquas* ſignificat, ſi *Mejam, de mari* intelligitur. Haec Hebraei ad adventum Chriſti [i. e. Meſſiae] referunt, quem ſperant eſſe venturum.“ Rittershuſius:

Tempus erit, leo rugitu velut omnia terret,
Sic quoque rugitu terrentem cuncta Jehovam,
Fida Deo, quocunque ierit, cum turba ſequetur.
Rugiet ipſe: tremens natorum at turba piorum
Certatim extremis terrarum accurret ab oris,
Oceanus reſluo qua tundit littora ſluctu.

11. יֶחֶרְדוּ *Trepidabunt*, ſumma cum feſtinatione accurrent, Vs. 10. כְּצִפּוֹר *Sicut avis*, Chaldaeus addit: בִּגְלֵי

quae

quae aperte, palam, per aerem, advenit. מִמִּצְרַיִם etiam *ex Aegypto*, a meridie. Chaldaeus: כֵּן יִיתוּן דִּגְלוֹ לְאַרְעָא דְמִצְרַיִם *ſic venient qui captivi deducti fuerant in terram Aegypti.* וּכְיוֹנָה *Et ſicut columba*, cujus perniciſſimus volatus eſt, vid. Jeſaj. LX, 8. Pſ. LV, 7. et ibi not. מֵאֶרֶץ אַשּׁוּר *E terra Aſſur*, e borealibus regionibus. Eadem ſpes facta Judaeis a Jeſaja XXVII, 13. et Zacharia X, 10. וְהוֹשַׁבְתִּים עַל־בָּתֵּיהֶם *Et reducam eos ad domus ſuas* priſtinas, in patrias terras. Cf. Jerem. XXXII, 37. נְאֻם־יְהוָה *Dictum Jovae*, fallere neſcii, Num. XXIII, 19. Promiſſionis quaſi ſigillum. Cf. Jeſ. I, 24. Pſ. XXXIII, 4. Rittershuſius:

Accurrent etiam inſtar avis, Nilotide terra
Aſſyriaque ora, ut pavefacta columba, profecti:
Aedibus hosque ſuis concedam habitare quietos,
Veriloquo hoc dictum proficiſcitur ore Jehovae,

Cap. XII.

A R G U M E N T U M.

Hoc Capite ex quorundam ſententia nova concio incipit, ſequenti Capite continuata, finita vero XIV, 1., *duabus* partibus conſtans, quarum *prior* (Vs. 1 — 11.) *contra Judam*, altera (Vs. 12. ſeqq.) *contra Ephraimum* ſit directa; ita quidem, ut in *priore* parte, oppoſitione inter Judaeos et Iſraelitas facta, Judam de praeterita laudet conſtantia in pietate (Vs. 1. 2.), eundem vero de praeſenti corruptione arguat (Vs. 3.), et *duabus* rationibus (quarum prima a juſtiſſima retributione Dei ſecundum bona vel mala facta cujusque, Vs. 3., id quod exemplo Jacobi, patriarchae, probatur, Vs. 4. 5., altera a Dei immutabilitate Vs. 6. petita), ad poenitentiam revocet, Vs. 7., tandemque oppoſito exemplo impii et pertinacis Ephraimi (Vs. 8. 9.), doceat, Jovam futuris temporibus Judam ſingulari favore proſequuturum eſſe, Vs. 10. 11. Unde demum transeat ad *alteram* partem hujus concionis adverſus Ephraimum directam, Vs. 12. ſeqq. Alii vero et plerique interpretes totum Caput directe *ad Ephraimum* referunt, qui cum Juda comparatus deterior ſit, Vs. 1. 2., et corruptionis illi etiam auctor, Vs. 3., adeoque degener prorſus a Jacobi patriarchae pietate (Vs. 4. 5.), quum contra Deus ex ſua parte ſemper ſit idem (Vs. 6.), ad quem ideo ut redeat, Ephraimum hortatur (Vs. 7.), fruſtra tamen ob ejus pertinaciam in admittendis et defendendis ſceleribus (Vs. 8. 9.). Unde Deus ſemper ſibi conſtans, ex mente nonnullorum interpretum, ipſis exilium minatur, ſecundum alios vero, ex mera miſericordia promiſſionem

miſſionem de futura reipublicae Iſraeliticae reſtauratione confirmat (Vs. 10.), ut qui non ſolum adhuc officio ſuo non defuerit, per prophetas variis modis loquutus, ſed etiam in poſterum doctores et prophetas miſſurus ſit, Vs. 11. ſeqq. J. H. Meisner in Progr. quod inſcribitur: *Siſtitur oeconomia Capitis duodecimi Hoſeae* (Lipſ. 1788. 4.), vatem viciſſim et mutuo utrumque regnum, tam Judaicum, quam Iſraeliticum, ab uno ad alterum transeundo, unum alteri implicando, graviter taxare et vituperare obſervat; quorum enim criminum reos ſeſe fecerant cives unius regni, eorundem nomine accuſari quoque poterant alterius regni cives, „Ne itaque anxie," inquit, „quaeramus, quid uni regno praecipue dictum ſit, quid alteri, ſed omnem hunc ſermonem prophetae ſpectemus nunc ſic, ac ſi dictus eſſet univerſae familiae Iſraelitarum, qui, uti conſtat, duplex regnum conſtituebant inde a Rehabeami et Jerobeami I. temporibus. Invehitur autem propheta in *duo* comprimis *vitia* Iſraelitarum, ab eisque abstrahere eos per exempla allaborat. Et illa vitia ſunt: *inconſtantia in dictis et factis*, quae et dicitur *perfidia* (quo nomine generaliori comprehendit omnem animi eorum vitioſitatem, inter cujus cauſas principes illa *inconſtantia* non eſt ultimo loco nominanda); deinde, *ſuperbia et arrogantia de rerum ac opum ſuarum*, malis tamen artibus comparatarum, vel immerito Dei beneficio acceptarum, *laeto ſtatu*. Et ſic hoc Caput ſponte et apte ſimul dilabitur in *duas* partes fere aequales, quae ſingulae tractant orationem, diverſam, ſi rem ſpectas, quae tractatur, ſed ſimilem, quoad modum tractandi." Vides, quantopere disſentiant interpretes tum de nexu ſingularum hujus Capitis partium, tum de ſenſu phraſium, et ſententiarum. Nos in explicatione potiores varietates breviter attingemus.

---

1. סְבָבֻנִי *Circumdederunt me* mendacio, Pſ. XVII, 11., i. e. in omni circuitu meo, et quocunque circumſpicio, menda-

mendacium fecerunt. Ita Chaldaeus: אַסְגִּיאוּ קֳדָמַי כַּדְבִין *multiplicaverunt coram me mendacia.* Similiter Gussetius in *Lexico* (ſub voce סָבַב Q. 3.): *undique congerunt mihi* adulatoria mendacia, cujusmodi blanditiae ad diſſimulandam impietatem et Job. XXXI, 28. intelligantur. בְּכַחַשׁ *Mendacio*, i. e. fucata pietate erga me, et ſuperſtitioſo idolorum cultu; VII, 3. 13. X, 13. cf. Jeſ. XXX, 9. LIX, 13. Alii conferunt ſupra X, 4. Alii vertunt: *abnegatione*, coll. Proverb. XXX, 9. Job. XXX, 28. Vid. infra Hieronymi explicationem. אֶפְרַיִם Iſraelitae decem tribuum, ut Vs. 2. et frequenter in hoc libro. וּבְמִרְמָה *Et dolo*, perfidia, cf. Jer. IX, 5. 7. Pſ. L, 19. 2 Reg. IX, 23. (al. 13.). בֵּית יִשְׂרָאֵל, quo nomine regnum decem tribuum et ſupra I, 4. 6. 7. V, 1. appellatur. וִיהוּדָה *Et Juda*, et cum eo Benjamin, i. e. regnum Judaicum, Ephraimitico, ſ. Iſraelitico, oppoſitum, cf. I, 7. עֹד רָד עִם־אֵל *Adhuc dominatur;* vel: *quum Juda adhuc dominaretur cum Deo*, ita verbum רוּד *dominandi* ſignificatu accipiunt plerique interpretes, ut Jerem. II, 31. רַדְנוּ, *dominamur.* Jarchi: „Juda adhuc principem agebat cum Deo, quia reges illius populi foedus cum Deo Opt. Max. retinebant.“ R. Tanchum: انهم متسلطين بين يديه مقاومين له *utique illi dominium obtinent coram eo* et *ſtant una ei,* i. e. ab ejus partibus. Similiter Castalio: quum Judaei adhuc Deum colant, ideoque imperium retineant. Alii cum Lud. de Dieu et Coccejo collato Arabico رأد, quod in Conjug. III. et IV. *voluit* denotat, vertunt: *ſed Juda adhuc vult cum Deo*, i. e. conſentit cum Deo; aut *volendi* verbo fortius accepto: *firmiter adhaeret Deo,* obfirmat ſe in foedere et amicitia cum Deo, ut idem ſit, quod in ſequente commate נֶאֱמָן. Ita Chaldaeus: הֲווֹ מִתְקַפִּין בְּפֻלְחָנָא *erant validi in cultu;* nempe dum multi inter Judaeos adhuc erant fideles Jovae cultores, et cultus ejus publicus in templo Hieroſolymis vigebat, omnibusque patebat. Cf. 2 Chron. XII, 12. XIX, 3. Accipiunt autem hoc fere de Hoſeae tempore, cum Hiskias ad omnes Iſraeli-

Iſraelitas et Judaeos miſerit, etiamque epiſtolas ſcripſerit ad Ephraimitas et Menaſſenſes, ut Hieroſolymam convenirent in Jovae templum, ad paſcha Jovae, Iſraelitarum Deo agendum, uti narratur 2 Chron. XXX, 1 — 6. Alii de praeterito tempore hoc capiunt, quod Ephraim perfide egerit in Jovam jam tum quum *Juda* adhuc *dominaretur cum Deo*, i. e. quum major aut potentior pars Judae, quae praevaluerit, adhuc obtineret, ut veri Dei cultus maneret. -וְעִם קְדוֹשִׁים *Et cum ſanctis*, per quos alii intelligunt *homines* probos, praeſertim majores, ut Pſ. XVI, 3., alii *coelites*, ut Job. XV, 15., alii, cum Kimchio, *ipſum Deum*, coll. Joſ. XXIV, 19. [אֱלֹהִים קְדֹשִׁים הוּא], ita ut particula *cum* non tantum *ſocietatem*, verum etiam *auxilium* et robur, dominium donans, ſignificet; cf. Joſ. I, 5. נֶאֱמָן *Fidus* et conſtans eſſet; conſtanter veri Dei cultum teneret; eodem ſenſu haec vox et Jeſaj. I, 21. Pſ. LXXVIII, 8. 37. uſurpatur. Rittershuſius:

Ephraimaea tribus mendaci perlita fuco
Vult haerere mihi cum religione videri,
Et me fallaci geſtit circumdare cultu,
Degener Iſraele profecta propago fideli:
Quando Dei cultum purum retinebat Judas,
Servabatque fidem Domino, et veſtigia patrum
Sancta terens primaevâ in religione manebat.

In alia omnia abit N. G. Schroeder, qui in *Obſervatt ad Origg. Hebrr.* C. I. §. XI. p. 11. Judaeos minime a vate laudari, ſed potius accuſari, ut ſupra V, 5. VI, 4., et mox Vs. 3., exiſtimat. Quum autem verbi רוּד propriam notionem, comparatione Arabici راد, ponat in *motu reciprocato*, quo quid *huc illud agitatur* et *verſatur*, illud h. l. translatum vult ad animi levitatem et inconſtantiam, et Verſus noſtri hemiſtichium poſterius vertit hoc modo: *etiam Juda adhuc ultro citroque vagatur cum Deo, et cum Sancto fido.* Quam ſententiam, parum profecto concinnam, probatam fuiſſe miror Dathio aliisque recentioribus. Laudem Judae expreſſit jam vetus Chaldaicus interpres, qui totum

totum pofterius hemiftichium ita expofuit: *Sed domus Judae* homines *validi erant in cultu, donec populus Dei e terra fua deportaretur; et illi voluerunt me in domo Sanctuarii; vocati funt populus fanctus, propterea quod fideles effent.* In bonam partem accipit quoque Hieronymus, integri Verfus fenfum hoc modo declarans: „*Ephraim*, regia tribus, *et domus Ifrael*, qui tribui regiae ferviebat, *circumdedit eum in negatione*, five mendacio, dum Dominum negant, et idola profitentur. Judas autem, hoc eft, duae tribus, quae habebant Templum, Legem, Prophetas, et fervabant praecepta legalia, erant teftes [pro עֹד enim pofuit *teftis*, quod עֵד legit], gradientesque cum Deo et cum fanctis fideles. *Sanctos* poffumus dicere vel Angelos, vel Patriarchas ac prophetas, et ceteros, qui Dei imperio ferviebant. Ad comparationem nempe illius temporis, quo haec dicebantur, aberrante penitus Ephraim, et decepto in idolorum cultu Ifrael, folus Juda remanferat, qui in Dei cultu et teftimoniis verfaretur; et poffet defcendere cum eo, five fortis effe cum forte: *Rad* enim et *defcenfionem* et *fortitudinem* fignificat, pro quo Aquila tranftulit ἐπικράτειαν." Retulit is verbum hebraicum ad רָדָה, *dominari*, fed Hieronymus ad יָרַד, *defcendere*. Ita et Syrus, qui praeterea pro duplici עם legit עַם, unde noftrum locum fic vertit: ܥܕܡܐ ܕܢܚܬ ܥܡܗ ܕܐܠܗܐ *donec defcenderet populus Dei,* fcil. in exilium, *populus fanctus et fidelis.* Sed prorfus perverterunt noftri commatis fenfum LXX: Ἐκύκλωσέ με ἐν ψεύδει Ἐφραὶμ, καὶ ἐν ἀσεβείαις οἶκος Ἰσραὴλ καὶ Ἰούδα· νῦν ἔγνω αὐτοῦ ὁ θεὸς, καὶ ὁ λαὸς ἅγιος κεκλήσεται θεοῦ. Quafi legiffent: עַתָּה יְדָעָם אֵל וְעַם קָדוֹשׁ זֶה נֶאֱמַר Nifi forfan eadem quidem quae nos, verba legerint, fed eorum fenfum liberiori paraphrafi expresserint, ut videlicet verbis: *Juda adhuc dominatur cum Deo,* hoc indicari putarint, Deum eos adhuc noffe, eos refpicere, eorumque curam habere, illis vero: *et cum fanctis fidus eft,* hoc dici, dignum effe, qui populus Deo facer appelletur. Hieronymus:

mus Graecae verſionis ſenſum hoc modo declarat: „LXX multo aliter tranſtulerunt, quod et Ephraim, et domus Iſrael et Judas circumdederint Deum in mendacio et impietate, et tantae clementiae ſit Deus, ut non ab eis abſcindat ſpem ſalutis, ſed cognoſcat illos, et paratus ſit vocare populum ſanctum, et populum Dei, qui nunc impietate perverſus eſt.“

2. אֶפְרַיִם רֹעֶה רוּחַ *Ephraim paſcit ventum,* quaſi eum comeſturus, ſicut famelica beſtia avide depaſcit herbas. Eadem metaphora Prov. XV, 14. *ſtultus* dicitur *paſcere ventum;* Jeſaj. XLIV, 20. *idololatra paſcere cinerem,* inane alimentum. Eodem ſenſu Jerem. XXII, 22. *ventus aliquem paſcere* i. e. abſumere dicitur. Contra Pſ. XXXVII, 3. *paſcere veritatem* eſt eam cupide ſectari. וְרֹדֵף קָדִים *Et perſequitur eurum, καύσωνα* vertunt LXX (quod Arabicus in Polyglottis interpres السموم *venenatum* vertit), ut Jon. IV, 8. cf. Jac. I, 11., i. e. rem inanem, imo longe pernicioſiſſimam, idolorum cultum, et foedera cum exteris. Cf. Prov. XXVII, 16. Cohel. V, 15. Chaldaeus: דָּמַן לִדְרוּחַ זְרַע וְעַלְעוֹל חָצַר *ſimiles ſunt ei, qui ſeminat ventum, et metit turbinem,* repetitum ex VIII, 7. Ita vero *vanam in humanis auxiliis fiduciam* deſcribi alii putant, alii vero non tam *poenam* Ephraimitis denunciari, quam auctam ejus et obduratam ejus malitiam deſignari cenſent, qua multum ſibi de cultu ſuperſtitioſo, quem ſectaretur, pollicitus ſit. Nos utrumque ſpectari arbitramur. כָּל־הַיּוֹם *Quotidie,* ſemper, Jeſaj. LII, 5. כָּזָב וָשֹׁד יַרְבֶּה *Mendacium et vaſtitatem multiplicabit,* non tantum ſpe ſua fruſtrabitur, verum etiam perniciem ſibi parabit. וּבְרִית עִם־אַשּׁוּר יִכְרֹתוּ *Et* modo *foedus cum Aſſyrio ſcindunt,* i. e. pangunt (cf. de phraſi not. ad Geneſ. XV, 10.), vid. ſupra V, 13. infra XIV, 4., et cf. 2 Reg. XV, 19. XVII, 2. וְשֶׁמֶן *Et* mox perfido animo *oleum,* קוּרְבָּנָא *munus,* ut recte Chaldaeus; nobile autem et copioſum oleum in terra Canaan fuiſſe, conſtat ex Deut. VIII, 8. 1 Reg. V, 25. Ezech. XXVII, 17., ad quem loc. vid.

 not.

not. Cf. Jahn *Biblioth. Archäolog.* P. I. §. 80. לְמִצְרַיִם *In Aegyptum,* VII, 11. XI, 5. יוּבָל *Defertur,* X, 6., pro obtinendo adverſus Aſſyrios auxilio, vid. XI, 5. 2 Reg. XVII, 3. Rittershuſius:

Aſt Tribus Ephraimaea cibos ſectatur inanes,
Vento ſe paſcens, Euros captansque fugaces,
Multiplicatque die mendacia putida toto,
Perniciemque ſuo capiti coquit ipſa, paciſcens
Foedera cum Aſſyriis, Phariis unguentaque terris
Importans, animum quaerensque hoc munere Regis
Conciliare ſibi, atque ſuis adjungere rebus.

Hieronymus: „Sacra narrat hiſtoria, Manahen, regem Iſrael, pace facta cum Aſſur, ab Aegyptiis auxilium poſtulaſſe, et hoc eſt quod nunc dicitur, Ephraim paſcere ventos, id eſt, ſpe vana ſe decipere, ſequique καύσωνα, hoc eſt, *aeſtum,* et ire ad Meridiem, nihilque aliud agere tota die, niſi ſibi illudere. Et dum huc illucque diſcurrat, vaſtitatem et everſionem ſuis urbibus praeparare. At non eſt vaſtitas atque mendacium, pepigiſſe foedus cum Aſſyriis, et oleum tuliſſe in Aegyptum? συνεκδοχικῶς a parte totum, quod videlicet munera Aegyptiis miſerit.“

3. וְרִיב לַיהוָה *Sed* nunc etiam *lis* f. litigandum eſt *Jovae,* IV, 1. Mich. VI, 2. עִם־יְהוּדָה *Cum Juda* et Benjamin, quod etiam hi, ab Ephraimitis ſeducti (IV, 15.), et poſtremis praeſertim vatis noſtri temporibus, per impium regem Ahaſum admodum corrupti fuerunt; vid. 2 Reg. XVI, 3. וְלִפְקֹד עַל־יַעֲקֹב Idque *ut animadvertat in Jacobum,* ut poenas ſumat de Jacobitis, ut I, 4. II, 15. IV, 14. VIII, 13. Amos III, 2. Nomen *Jacobi* quidam hic accipiunt de decem tribubus, alii de regno Judaico, alii de utroque, ut X, 11. q. d. vindictam ſumet de Jacobitis univerſis degeneribus. כִּדְרָכָיו *Secundum vias ejus,* prouti malefactis ſuis promeriti ſunt, cf. Jerem. XVII, 10. XXXII, 19. Ezech. XVIII, 30. כְּמַעֲלָלָיו יָשִׁיב לוֹ Vid. ſupra ad IV, 9., ubi eadem verba. Rittershuſius:

Nec

Nec non cum Juda eſt ſua disceptatio Jovae,
Qui Jacobigenis poenarum exempla daturus
Eſt gravia, et ſactis aequalia reddet iniquis
Praemia. — — —

Hieronymus: „Ephraim ſemel paſcente ventos, et ſequente mendacium, qui in tantam venit amentiam, ut inter duas gentes adverſarias dubius fluctuaret, faciens pacem cum Aſſyriis, et oleum portans in Aegyptum, nunc mihi omne judicium eſt cum Juda, et viſitatio ſuper Jacob. *Viſitationem* autem vocat flagella atque ſupplicia, ut qui Ephraim reddidit, quod merebatur, Judae quoque, qui de Jacob ortus eſt ſemine, *reddat juxta vias et juxta adinventiones ſuas*, qui non tantum fortuito errore deceptus eſt, et humana concidit fragilitate; ſed inquiſivit et adinvenit, in quibus peccaret et rueret.“

4. Hortatur nunc Jacobidas, ut, priori via relicta, ad Dei veri cultum redeant, et parentis, Jacobi, cujus in Deum fidem pietatemque, pariter atque Dei erga illum favorem commemorat, veſtigia perſequantur (usque ad Vs. 7. incluſ.). Et primo quidem divini in Jacobum favoris luculentiſſima exempla affert, ejusdemque fructum ad poſteros quoque, ſi illius pietatem imitentur, pertinere innuit. בַּבֶּטֶן עָקַב אֶת־אָחִיו *In utero calcem tenuit fratris ſui* Jacobus, cujus nomen Vs. 3. commemoratum, etſi ibi de ejus poſteris uſurpatum; nunc vero de ipſo illo viro intelligendum eſſe, res ipſa docet. Verbum עָקַב (Arabice عَقَبَ, *preſſit veſtigia, pone et a calce venit, e veſtigio ſequutus fuit*) minus commode a nonnullis hic redditur *ſupplantavit*, neque enim dolum vel fraudem culpabilem ipſum hoc verbum, aut nomen *Jacobi* inde derivatum per ſe infert (etſi per invidiam eo illud traxit Eſavus, Geneſ. XXVII, 36., et eodem ſenſu ad nomen *Jacobi* Jeremias alludit IX, 3., quia etiam doloſo animo et ad circumveniendum quis alterum *calce arrepta antevertere* et *ſupplantare* poteſt); ſed laudabile potius Jacobi ſtudium et victoriam hic innuit. Idem namque

 dicit,

dicit, quod diſerte legimus Geneſ. XXV, 26. וְיָדוֹ אֹחֶזֶת בַּעֲקֵב עֵשָׂו, *et manus ejus*, Jacobi, e matris utero egredientis, *tenens calcem Eſavi*, ut, prior tempore prodituruſ, potiri poſſit jure primogeniturae. Quod nonniſi ſingulari virtute et Dei providentia ab infante factum eſſe, vates innuere voluit, uti poſt Chaldaeum Hebraei interpretes recte obſervant. Ita enim Chaldaeus: *Propheta, dic eis: nonne de Jacobo praedictum eſt, antequam naſceretur, eum majorem fratre futurum eſſe?* ex Geneſ. XXV, 25. Jarchi: „Ego, Deus, hoc omne effeci in eo, ut nimirum calcaneo ipſum apprehenderet, quo ſignum exſtaret, Dominum fratris (Eſavi) ipſum fore.“ Quod diſertius declarat Aben-Esra: „Senſus verborum prophetae hic eſt: Quare non in memoriam ſibi revocant Jacobi poſteri, me patrem eorum elegiſſe, eundemque in ampliſſimo dignitatis gradu inter mortales collocaſſe? Nam quum eſſet in utero, dedi ei vires ad prehendendum fratris calcem. Id quod prodigii loco habendum eſt. Neque enim robur eſt in foetu, verſante in ſecundina, et quo tempore ea finditur, ut quicquam apprehendat, donec ex utero in lucem prodierit. Jacobo igitur dum adhuc in utero eſſet, vires ego dedi. Et poſtea quoque cum angelo luctatus eſt, eumque ſuperavit.“ Cum Hebraeis conſentiunt veteres Chriſtiani interpretes, veluti e Graecis Cyrillus Alexandrinus: *Ὅτι τοίνυν καὶ ἐξ αὐτῶν σπαργάνων εὐφυὴς γέγονεν Ἰακὼβ, μᾶλλον δὲ καὶ πρὸ ὠδῖνος πειρᾶται δεικνύειν διὰ τοῦ πτερνίσαι τὸν ἀδελφὸν ἐν τῇ κοιλίᾳ. Εἰ γὰρ καὶ θείας δυνάμεως ἐνέργημα τὸ δρώμενον ἦν· οὐ γάρ που τὸ βρέφος τὸ ἐν ἐμβρύῳ καὶ μήτρᾳ πτερνίσαι φαμὲν ἐξ ἑαυτοῦ τὸν Ἀσαῦ, ἀλλ' οὖν κατὰ πρόγνωσιν ὡς ἐσομένῳ χρηστῷ τὴν τοῦ γεγονότος κατόρθωσιν ἐνετίθει Θεός.* E Latinis Hieronymus: „Exponit autem, quanta bona Judas, hoc eſt, Jacob, acceperit, et in patre filius nominatur, veteriſque recordatur hiſtoriae, ut et Dei miſericordia erga Jacob, et illius contra Dominum duritia cognoſcatur. Dum adhuc eſſet in utero Rebeccae, ſupplantavit fratrem ſuum Eſau, non utique fortitudine propria, qui

qui ſentire non poterat, ſed miſericordia Dei, qui cognoſcit et diligit eos, quos praedeſtinavit." Minime probandus CONR. IKENIUS, qui in peculiari in noſtrum locum Diſſertatione, cui epigraphe: *de Praevaricatione Jacobi hancque ſecuto certamine fidei* (in *Diſſertatt.* Ejus *philologico-theologicis* P. I. p. 282. ſeqq.), prius hujus verſiculi hemiſtichium in vituperium Jacobi vertere ſtuduit. Tota vero orationis ſeries innuit, ſpectaſſe vatem illud, quod Jacobus ex utero egrediens manu tenuit calcem praecedentis Eſavi, tanquam quid ſingulari providentia et gubernatione effectum, quo ſigno veluti quodam praenunciaretur, fore ut, licet Eſavus ex utero materno prior egrederetur, Jacobus tamen de jure primogeniti cum eo contendat, eademque conſequatur, quodque et ipſe Deo acceptior foret quam frater, et gens ab eo oriunda fratris poſteritati eſſet imperatura. Ulterius progreditur CHRIST. FRID. BOERNER, Theologus quondam Lipſienſis, qui in Diſſertat. in hunc locum inſcripta: *de fide Jacobi in utero*, Lipſ. 1708., illud, quod Jacobus in lucem proditurus fratris calcem tenuit, non tam ut ſignum aliquod, futuram Jacobi et poſterorum ejus prae Eſavo excellentiam, divinitus praemonſtrans, ſed ut *fidei opus* (uti loquuntur Theologi) a vate proponi judicat, quo Jacobus deſiderium, quo flagraſſet τοῦ ἐρχομένου σωτῆρος, egregie declararet. Cui ſententiae, ad quam et nonnulli ante Boernerum Theologi propenſi fuerant, jam alii ſaniores interpretes oppoſuerant et ſilentium ſacrorum librorum, et aetatem ac ſtatum infantis necdum ratione utentis, coll. Paulino effato epiſt. ad Roman. IX, 11. 12. J. G. LACKEMACHER in *Obſervat. de victoria Jacobi, virium et felicitatis regni Iſraelitici ſymbolo ad Hoſ. XII, 4. 5.* (in ſuis *Obſervatt. Philologg.* P. VI. p. 352. ſeqq.) Jacobi exemplum duplici conſilio h. l. a vate in medium allatum arbitratur, primum, ut doceret, regnum Iſraeliticum in ſe ipſo ſatis habere roboris atque virium, quo tueri ſeſe poſſit ac defendere, ſi modo Deo confidat, nec neceſſe proinde fuiſſe, ut aliorum, nominatim Aegyptiorum, efflagitaret opem. Deinde, peſſime egiſſe

egiſſe Iſraelitas cultu ſuperſtitioſo Bethele conſtituto, quippe in loco, ubi ſingulari prorſus ratione conditori gentis Deus olim ſe pateſecerit, et beneficia poſteritati ejus promiſerit eximia. Prius illud vatem ſignificare tectius exemplo Jacobi, in duplici certamine ſuperioris; poſterius autem ex illuſtri illa concludi velle viſione, quae Jacobo obtigiſſet Bethele. Nos eam rationem, quam ſupra ad hujus Verſus initium indicavimus, haud dubitamus praeferendam. Aliud divini erga Jacobum favoris documentum: וּבְאוֹנוֹ *Et robore ſuo,* Geneſ. XLIX, 3. Deut. XXI, 17. Pſ. CV, 36. divinitus ei conceſſo. שָׂרָה *Superior fuit* in lucta cum Deo, vel: *ſuperavit* Deum, Geneſ. XXXII, 29. LXX: *ἐνίσχυσε πρὸς τὸν Θεόν.* Chaldaeus et Syrus: אִתְרַבְרַב, *magnum,* aut principem *ſe geſſit.* Alii: *potenter luctatus eſt,* coll. Gen. XXXII, 25. אֶת-אֱלֹהִים *Cum Deo,* vid. Geneſ. XXXII, 29 31., qui in forma humana ſaepius adparebat, Geneſ. XXXII 25. Joſ. V, 13. Jud. XIII, 3. 6. Hinc factum, ut qui hic אֱלֹהִים vocatur, idem ſtatim Vs. 5. appelletur *angelus,* מַלְאָךְ quod ipſum nomen et hic poſuit Chaldaeus. E lucta illa Jacobus nactum nomen יִשְׂרָאֵל a Deo ipſo ei inditum, i. e *principem ſe praeſtabat Deo,* vel, *de principatu contendebat cum Deo,* Geneſ. XXXII, 29. Rittershuſius:

— Materna etiam concluſus in alvo
Ille latebat adhuc, neque luminis hauſerat auras
Aetherei, ac jam tum ſupplantabat germanum
Ipſe ſuum, certans caeleſtem haurire favorem.
Poſt modo vir factus, Genii certamen adivit
Strenuus, ex luctae referens certamine palmam;
Inque rei monimen mutato nomine dictus
Iſrael (valido ut Genium qui robore vincat).

5. וַיָּשַׂר *Superior,* inquam, *fuit,* cf. Vs. 4. Eſt futurum Cal verbi שׂוּר, cognati cum שָׂרָה, vid. Jeſaj. XXXII, Proverb. VIII, 16., et Hiphil ſupra VIII, 4. Nexus ſit h. per anaphoram, ſeu per repetitionem ejus quod anteceſſit ut novum et amplius quid ſubjicitur. אֶל-מַלְאָךְ *Erga, adve*

adversus (אֶל pro עַל, ut alias saepe) *angelum*, vel potius Deum ipsum, Vs. 4., qui angeli formam induerat. וַיֻּכַל *Et praevaluit*, vid. Genes. XXXII, 29. coll. XXX, 8. בָּכָה *Flevit* enim, non angelus, ut Hebraeorum nonnulli inde colligunt, quod angelus, quocum luctabatur Jacobus, ei dixisse narratur Genes. XXXII, 27. *dimittas me, nam ascendit aurora*; sed Jacobus flendo et precando ipsum vicit; cf. 1 Sam. I, 10. Modus significatur, quo praevaluit Jacobus. וַיִּתְחַנֶּן־לוֹ *Et supplicavit ei*, Deut. III, 2. 3. 1 Reg. VIII, 33. 47. 59. Ps. XXX, 9. Recte Hieronymus: „*Et invaluit*, inquit, *adversum Angelum*, et ejus benedictione, quem vicerat, confortatus est. Flevit quoque et rogavit eum, id est, angelum, dicens [Genes. XXXII, 27.]: *Non te dimittam, nisi mihi benedixeris.*" בֵּית־אֵל In *Bethel*, vid. Genes. XXVIII, 17. 19., quae nunc *Beth-Aven* facta est, supra IV, 15. יִמְצָאֶנּוּ Jacobus *invenit eum*, angelum, quando a Deo monitus (Genes. XXXV, 1.) Bethelem ascendit, et vota exsolvit, quae Genes. XXVIII, 21. 22. nuncupaverat. Alii: *Angelus ibi invenit Jacobum.* Sic Chaldaeus: בְּבֵיתְאֵל אִתְגְּלִי עֲלוֹהִי *in Bethel revelatus est*, s. adparuit *ei*, scil. Jacobo Deus, uti legimus Genes. XXXV, 7. וְשָׁם יְדַבֵּר עִמָּנוּ *Et ibi loquutus est* Jacobus *nobiscum*, Deo, ut quidam volunt, quasi sit pluralis, quem vocant, majestaticus, quo Deus de se ipso loquens utitur et Genes. I, 26. III, 22. XI, 7. Jarchi ad Job. XX, 22., quem sequuntur tantum non omnes suae gentis interpretes, nostrum עִמָּנוּ pro עִמּוֹ, *cum ipso*, positum volunt; et sic quoque Syrus, Aquila, Symmachus et Theodotion in Scholiis Graecis; sed invita Grammatica. Kimchio vero aliisque verba sunt prophetae, q. d. *ibi* (Bethele) etiam adhuc *loquitur* Deus *nobiscum*, mecum, Hosea, ceterisque prophetis ad arguendum idolorum cultum, qui nunc Bethele viget, coll. Amos V, 4. 5. Rectius alii *prophetam* intelligunt una *cum populo*, Jacobo orto, quemadmodum Ps. LXVI, 6. de majoribus Israelitarum, qui mare rubrum transiere, prima pluralis persona dicitur: שָׁם נִשְׂמְחָה בּוֹ *tunc laetabamur de eo.* Cf. not. ad eum locum,

et

et Hebr. VII, 9. 10. Ita et Hieronymus: „Quumque patris matrisque consilio in Mesopotamiam fugeret, invenit eundem Angelum in Bethel, qui loquutus est ad eum, loquutus est nobiscum, id est, in patre loquutus et filiis est; et in Jacob dilexit et Judam." Lackemacher (l. l. p. 361.): „Diligenter animadverti velim, dici Deum non cum solo Jacobo, sed cum omni simul ejus posteritate Bethele collocutum. Scilicet, quae a Jacobo hic dicuntur gesta, eidemque obtigisse, non ad illum ipsum spectant unice, sed ad totam simul gentem ex eo ortam, atque hujus etiam res, fortunamque, qua vel usura sit, vel uti certe possit, praesignificarunt." Sunt, qui verba וְשָׁם יְדַבֵּר עִמָּנוּ reddunt, subaudito ante postremam vocem pronomine relativo: *ibi loquutus est* Jacobo, quae *nobiscum* facta sunt, vel, contigerunt. Drusius: *quae ad nos pertinebant.* Quod auctoribus suis relinquimus. Rittershusius:

Praevaluit, dico, Genio, quem et supplice voce
Oravit, lacrymis humectans grandibus ora:
Non te ego dimittam, mihi ni benedixeris ante.
Tum voti compos factus, Bethele sopore
Correptus dio, caelestia numina vidit,
Atque ibi cum superis sermonem miscuit ipsis.

6. וַיהוָה *Atqui Jova,* Deus Abrahami, Isaaci et Jacobi, Genes. XXVIII, 13. Exod. III, 15. qui promissorum suorum memor propitius tibi erit, si poenitentiam egeris, XI, 9. אֱלֹהֵי הַצְּבָאוֹת *Deus exercituum,* i. e. rerum omnium coelestium et terrestrium, Genes. II, 1.; cf. not. ad Jes. I, 9. יְהוָה Nomen *Jova,* quod significat eum *qui est, qui fuit, et qui* semper sibi constans *erit,* Apoc. I, 4. זִכְרוֹ *Memoria, μνῆμα, ejus,* i. e. proprium ejus nomen, quia nominato alicujus nomine proprio reducitur is nobis in memoriam. Respicit Noster effatum divinum Exod. III, 15. *Jehovah est meum nomen in perpetuum,* וְזֶה זִכְרִי, *et hoc est memoria mea,* i. e. verum nomen meum, quo nominato homines mei recordabuntur, *per omnes generationes.* Chaldaeus: *Propheta,*

pheta, dic eis: Ipſe eſt Dominus, Deus exercituum, qui apparuit Abrahamo, Iſaaco et Jacobo; et ſicut dictum eſt per Moyſen, ita memoriale ejus erit per omnes generationes. Bene Jarchi: „Sicuti fui jam inde a primo tempore, ita etiam nunc ſum; et ſi mecum in integritate ambulaſſetis, ſicuti Jacobus, pater veſter, ego memet erga vos geſſiſſem, ut me erga illum geſſi.“

7. וְאַתָּה בֵּאלֹהֶיךָ תָשׁוּב *Tu igitur,* Jacobo oriunde, quem tanto favore dignatus eſt Deus, ſemper idem manens, *in Deo tuo* confiſus *revertere* ad eum; fretus Dei tui miſericordia redi ad eum. Emphaſis quoque eſt in pronomine *tuum;* nam occulte perſtringit eos, qui relicto Deo ſuo, ad alios colendos animum appulerint. Alii phraſin noſtram capiunt aliter. Chaldaeus: וְאַתְּ בְּפוּלְחָנָא דֶאלָהָךְ תִּתְקַף *confirma te in cultu Dei tui.* Aben-Esra: „Si reverti velis ad Deum tuum, auxilio tibi erit, ut ad eum revertaris.“ Cf. Jerem. XXXI, 18. הֲשִׁבֵנִי וְאָשׁוּבָה, *converte me, et convertar, quia tu Deus meus.* Kimchi verbum שׁוּב h. l. *quiescendi* ſignificatione ſumendum exiſtimat, ut Jeſaj. XXX, 15. בְּשׁוּבָה וָנַחַת תִּוָּשֵׁעוּן, quae verba interpretatur: *ſedendo quiete et tranquillitate ſalvi eritis,* quaſi שׁוּב conveniret cum יָשַׁב. Sed illic בְּשׁוּבָה commode verti poteſt *converſione* ad Deum, poenitentia. Et noſtri loci retinenda interpretatio ea, quam ſupra dedimus, quum ea adſcita prodeat ſententia alteri Verſus hemiſtichio perquam apta: חֶסֶד, וּמִשְׁפָּט שְׁמֹר *pietatem et judicium,* juſtitiam, aequitatem, *cuſtodi,* obſerva, cf. Jeſaj. LVI, 1., atque ita veſtigiis Jacobi, patris tui (Vs. 4. 5.) inſiſte. וְקַוֵּה אֶל־אֱלֹהֶיךָ תָּמִיד *Et ſpem* tuam dirige *ad Deum tuum ſemper,* Jovae, Deo tuo, uni perpetuo confidas, nec ab idolo quopiam auxilium tibi credas exſpectandum. Similis ſententia Pſ. XXXVII, 34. *Spera in Jovam, et obſerva viam ſuam, et exaltabit te.* Alii paullo alio flexu: *ſic ſpem tuam in Deo ſemper collocare poteris;* collato Imperativo Geneſ. XLII, 18. זֹאת עֲשׂוּ וִחְיוּ *hoc facite et vivite,* i. e. vivetis, ſalvi eritis. Similiter

liter Prov. IV, 4. *Teneat verba mea animus tuus, atque custodi praecepta mea,* וֶחְיֵה, *et vive,* i. e. ut vivas. Sic Grotius: „Non est, quod ipsi diffidas, dummodo tu officium tuum facias.“ Recte Jarchi hujus Versus sensum exponit: „Promissione ejus et baculo, quo ipse te fidere jubet, tu niti poteris, si ad ipsum redibis; verum pietatem et aequitatem observa, et promissio tibi facta est, quod in ejus (Dei) auxilio semper sperare possis.“ Hieronymus: „Quum haec ita se habeant, et tu, o Juda, imitare parentem tuum, plora et roga Deum exercituum (Vs. 5.), et ad eum convertere. Custodi et misericordiam et judicium, et quum utrumque feceris, spera in Deo tuo semper, bonis operibus ad majora proficiens.“

8. כְּנַעַן *Cananaeus,* vel *mercator* est! In concisa hac locutione, ob indignantis adfectum, et de significatione, et de nexu laborant interpretes. Aliis, ut LXX, Vulgato, Syro, est nomen *proprium,* q. d. sed *Canaanem* impium (de quo Gen. IX, 25. seqq.), aut *Cananaeos* refert Ephraim, non Jacobum patrem (qui Gen. XXV, 27. אִישׁ תָּם, *vir integer* vocatur), illorum enim impios mores et execrabilem cultum (Levit. XVIII, 24. Deut. XII, 30. 31.) imitatur. Ita Tarnovius: „Propositum est,“ inquit, „Vs. 4. 5. exemplum Jacobi, ut hujus pietatem imitarentur; verum ipsi potius mores Cananaeorum referunt.“ Cf. Ezech. XVI, 3. 29. Zachar. XIV, 21., et historia Susannae Vs. 56. (*σπέρμα Χαναὰν, καὶ οὐκ Ἰούδα*). Eodem modo Hieronymus: „Monuerat Judam, ut converteretur ad Dominum Deum suum, et misericordiam servaret atque judicium, et speraret in Domino semper, sive appropinquaret ei jugiter. Nunc ad Ephraim, hoc est, ad decem tribus, sermo convertitur, quem vocat Chanaan, juxta illud, quod loquitur Daniel ad Presbyterum [Hist. Susannae l. c.]: *Semèn Chanaan, et non Juda, species decepit te.* Et in Ezechiel [XVI, 3.] ad Jerusalem dictum legimus: *Pater tuus Amoraeus, et mater tua Cethaea.* Et in Isaja [I, 10.] dicitur ad tribum Juda:

Juda: *Audite verbum Domini, principes Sodomorum; percipite auribus legem Domini noſtri, populus Gomorrhae.* In Zacharia quoque extremo verſiculo legimus: *Et non erit Chananaeus in domo Domini.*" E Kimchii ſententia oſtendit vates, quantopere ab exequendo mandato divino et obſervanda pietate et juſtitia abſint Iſraelitae. Aliis כְּנַעַן h. l. nomen appellativum eſt, *mercatorem* denotans (ita כִּנְעָנֶיהָ Jeſaj. XXIII, 8. Prov. XXXI, 24. Job. XL, 30., ad quem loc. cf. not.), quales erant Cananaei ſive Phoenices, qui, ut Grotius aliique obſervant, veteribus erant *Φιλοχρήματοί τε καὶ τρῶκται, pecuniae cupidi et avari deceptores.* Ita Chaldaeus, qui integrum Verſum hoc modo exponit: לָא תֶהֱוֹן כְּתַגָּרִין, *ne ſitis ſicut mercatores,* qui *eo gerunt bilances, ut fraus committatur ad turbandam omnem benignitatem.* Hunc ſequutus Jarchi, „Senſus eſt: veſtro vos quaeſtu freti ſecuritatem vobis promittitis, qui eſtis mercatores, et fraudes agitis." Sane de *mercatore* inſtitui ſermonem, ſuadere videtur, quod *lances* et familiares mercaturae fraudes commemorat textus. Senſu conveniunt loci Amos VIII, 5. Mich. VI, 11. בְּיָדוֹ *In manu ejus,* tractat, cf. בְּיָדִי רָעָה, 1 Sam. XXIV, 12. XXVI, 18. מֹאזְנֵי מִרְמָה *Bilances doli,* doloſae, quibus alios defraudant, Amos VIII, 5. Mich. VI, 10. 11. Prov. XI, 1., contra expreſſum Dei interdictum Levit. XIX, 35. Deut. XXV, 13—16. לַעֲשֹׁק *Opprimere,* injuſte laedere et vi et fraude, Levit. V, 21. 23. XIX, 13. Deut. XXIV, 14. LXX: καταδυναστεύειν. Cf. Jac. II, 6. אָהֵב *Amat,* i. e. ſciens et lubens, et ſumma impudentia ita peccat; cf. IV, 18. Amos IV, 5. Eadem objurgatio Amos IV, 1. Mich. II, 2. Rittershuſius:

Aſt arillator, cui dextra bilance doloſa
Eſt armata, dolos animo meditatur, et artes,
Queis circumveniat, dabitur quacunque facultas.

9. וַיֹּאמֶר אֶפְרַיִם „Et ne putaremus," inquit Hieronymus, „Chanaan alium quempiam ſentiendum, ponit manifeſtius, qui ſit iſte Chanaan: *dixit Ephraim.*" אַךְ Quoquo modo

modo ſe res habeat, *tamen* עָשַׁרְתִּי *dives factus ſum*, Job. XV, 29. Cf. ſupra IX, 1. X, 1. Gloriantem quidam induci exiſtimant Ephraimum de opibus ſuis ac proſperis ſucceſſibus, tanquam de divini favoris argumento; coll. Zach. XI, 5. Sed manifeſtum, perſtringi a Noſtro impudentiam hominum praefracte improborum. Senſum recte expreſſit Hieronymus: „Non refert unde poſſideam, dummodo poſſideam.“ מָצָאתִי לִי *Inveni mihi*, aſſequutus ſum, Prov. I, 13. און *Robur*, ut ſupra Vs. 4., i. e. opes, ut חַיִל itidem *robur*, *vires*, et *opes* notare conſtat. Aliis idem eſt quod הון, *opulentia*, *abundantia*, ut Prov. l. c. XVIII, 11. XXX, 15. coll. Deuter. VIII, 18. LXX: εὕρηκα ἀναψυχὴν ἐμαυτῷ. Sane Arabicus أون eſt *commoditas*, *quies*, *tranquillitas*. At Hieronymus: *inveni idolum mihi*, „ſive,“ inquit in Commentario, „ἀνωφελὲς, hoc eſt, *Aven*, quod non profit poſſidenti.“ כָּל־יְגִיעַי Quantum ad *omnes labores meos* attinet, i. e. divitias, labore et induſtria mea conquiſitas, ut Deuter. XXVIII, 33. Pſalm. LXXVIII, 46. CXXVIII, 2. לֹא יִמְצְאוּ־לִי *Non invenient mihi*, invenietur, imperſonaliter, ut Eſth. II, 2. Nehem. II, 7. עָוֹן ejusmodi *iniquitatem* aut *delictum*, Deut. XIX, 15. אֲשֶׁר־חֵטְא *quae* adeo grave *peccatum* ſit, quod tam acerbe reprehendi mereatur. Coccejus: *pravitatem*, inquit, quae me damnabilem et favoris divini expertem faciat, q. d. ex eo facile patet, me non eſſe peccati reum; nam qui rei ſunt, eos Nemeſis impune abire non ſinit. Hieronymus: „Quumque ſemel oculos ejus divitiarum, non dicam fulgor, ſed caecitas occuparit, loquitur: *Omnes labores mei non invenient iniquitatem meam, in qua peccavi.* Et eſt ſenſus: quidquid peccavero, ſi habuero divitias ab his, qui meo indigent auxilio, mihi non poterit imputari, ſecundum illud quod ſcriptum eſt [Pſ. X, 3.]: *et qui iniqua gerit, benedicitur.* Divitum enim amici multi.“ Chaldaeus noſtrum Verſum ſic reddidit: *Ajunt vero qui de domo ſunt Ephraimi: at divitias noſtras invenimus; violentia haec nobis proſicua eſt. Reſpondet*

spondet ad id propheta: omnis vestra opulentia peribit vobis, quo tempore justa fiet delictis vestris retributio. Quod posterius Versus hemistichium interpres prophetae adscribit, in eo haud dubium eum hallucinari, quum in prima persona procedere pergat oratio. Rationem interpretationis Chaldaicae aperit Jarchi, qui eam sequutus, posterius hemistichium ita explicat: „Bonum esset tibi, si tecum cogitares: omnes opes meae non sufficiunt mihi ad expiandam iniquitatem meam, quam commisi. Verba לֹא יִמְצְאוּ־לִי vertenda sunt: *non sufficient mihi*, ut Num. XI, 22. וּמָצָא לָהֶם *et sufficiet eis.*" Nos acquiescimus Kimchio, qui R. Tanchum et Aben-Esram sequutus, integri Versus sensum hoc modo declarat: „Aliud insuper malum de iis refert, quod hic opprimendo et defraudando tam nequiter vivebant, dicere tamen non erubescerent, in omnibus, quae laboriose sic corraserant, neminem sibi ostendere opes posse partas inique et peccatum." Notat insuper, אֲשֶׁר *quod*, poni pro *et*, adducitque simile ex Cohel. V, 17. Rittershusius:

Ephraimaea domus se jactat voce superba:
Undique divitiis circumfluo, copia rerum
Et me larga beat: labor irrequietus ab omni
Exercet me parte, lucris intentus avaris.
Hac quicunque via non ibit, iniquus habetor:
A lucro, improbitas censetor, quicquid aberrat.

10. וְאָנֹכִי *Ego vero*, cujus saluberrima monita (Vs. 7.) tu, Israel, non admittis, Vs. 9. יְהוָה Sum *Jova*, uti dictum Vs. 6. אֱלֹהֶיךָ *Deus tuus*, quem unice agnoscere et colere debebas, Exod. XX, 2. Eadem verba cum proximis duobus repetuntur infra XIII, 4. מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם *A terra Aegypti*, inde ab eo tempore, quo eduxi vos e terra Aegypti, II, 17. Commemorat beneficia sua in populum collata, cum eos e servitute durissima, quam in Aegypto serviebant, redimeret. Quod factum eo fine, ut perpetuo sibi devinctos et obstrictos haberet. Cf. Deut. VI, 10. seqq. VIII, 7. seqq.

עוֹד

עֹד אוֹשִׁיבְךָ בָאֳהָלִים *Iterum habitare te faciam in tentoriis,* ſicut quondam majores veſtros in deſerto, coll. Levit. XXIII, 42. 43. כִּימֵי מוֹעֵד *Sicut diebus feſti* (quo ſignificatu vox מוֹעֵד et ſupra IX, 5. aderat), ſcil. tabernaculum, ſicut ſeptem illis diebus, quibus ſub tabernaculis degitis, quod fit in memoriam eductionis ex Aegypto. מוֹעֵד h. l. *κατ' ἐξοχὴν* ponitur de feſto tabernaculorum, uti de eodem *ἰσοδύναμον* חַג, 1 Reg. VIII, 2. 2 Chron. VII, 8. 9. 10. Nehem. VIII, 18. Job. VII, 10. 37., quod hoc ſolenne omnium maximum habebatur. Philo in libro *de feſtis*, p. 1183. edit. Francofurt., uti et Plutarchus in *Apophthegm.*, ubi de Antiocho agit Hieroſolymas obſidente, *ἑορτῶν μεγίστην* vocant. Et idem Plutarchus *Sympoſiac.* L. IV. c. 5. eſſe ait *μεγίστην καὶ τελειοτάτην παρ' αὐτοῖς ἑορτήν.* Cf. Lackemacher *Obſervatt. Philologg.* P. I. p. 18. ſeqq. et P. III. p. 201. Senſum hujus Verſus et nexum cum iis, quae antecedunt, rectiſſime expoſuit Hieronymus: „Tu quidem tanta peccaſti, ut laetareris in ſcelere, et multitudinem peccatorum putares eſſe divitias. Ego autem Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti, quando ſerviebas Pharaoni, et aedificabas de luto et paleis civitates, adhuc tribuo tibi locum poenitentiae, et magnitudine promiſſorum hortor, ut ad me redeas, adhuc enim ſedere te faciam in tabernaculis, ſicut in diebus feſtivitatis. *Diem feſtivitatis* Scenopegiam vocat, ſeptimo menſe, quintadecima menſis, quando de Aegypto egreſſi ſunt filii Iſrael. Sicut, inquit, in eo tempore te de Aegypto liberavi, et habitaſti in tabernaculis ad terram ſanctam, et ad locum Templi ire feſtinans; ſic etiam nunc educam te de tribulatione et anguſtiis, et imminente captivitate, ſi tamen feceris quae praecepi." Similiter Kimchi: „Quum ſis oblitus liberationis ex Aegypto, faciam te reminiſci non praeteritae liberationis, ſed novae futurae: nam te in captivitatem abducam, ex qua tamen te, ut olim ex Aegyptiaca ſervitute, retraham et liberabo." Praedicit et captivitatem, et liberationem, ad quam deſcribendam et alii vates imagines mutuantur de liberatione

ex

ex Aegypto depromptas, vid. e. c. Jeſaj. XLI, 18. Ritterſhuſius:

Atque ego, qui Phariis te quondam fortiter oris
Eduxi, cervice jugum amovique Tyranni,
Nunc quoque ſum populi proprii Dominusque Deusque:
Tene tabernaculis patiar reſidere tabernis,
Otiaque ut feſtis ſolemne agitare diebus?

11. וְדִבַּרְתִּי alii, cum LXX, in *Futuro*, alii, cum Chaldaeo et Vulgato, in *Praeterito* reddunt, *loquutus ſum* adhuc. Sane *forma* hujus et ſequentis verbi, vel potius *accentus* ſecundum codices plerosque in penultima, *Praeteriti* ſignificationem poſcit, ut Cohel II, 15.; quodſi enim Praeteriti forma praepoſito Vau converſivo pro Futuro ponitur, accentus ſyllabam occupat ultimam, ut ſupra II, 16. Exod. XXV, 22. Num. XI, 17. Jerem. I, 17., ut etiam h. l. habent libri nonnulli. Sed quum in fine Verſus verbum in Futuro poſitum ſequatur, in hac temporum mixtura verba noſtri Verſus ſenſu *continuativo* capienda videntur, q. d. loquutus ſum et adhuc loquor, עַל־הַנְּבִיאִים, *per,* ſive, ut alii volunt *ad* (coll. X, 10.) *prophetas.* וְאָנֹכִי חָזוֹן הִרְבֵּיתִי *Et ego viſiones* propheticas (cf. not. ad Jeſ. I, 1.) *multiplicavi*, et comminationibus et promiſſionibus per prophetas meos in rectam viam eos revocare ſtudui. Vid. 2 Reg. XVII, 13. et cf. Amos III, 7. וּבְיַד הַנְּבִיאִים *Et per manum,* i. e. opera et miniſterio *prophetarum*, cf. quoad phraſin Exod. IX, 35. Jeſaj. XX, 1. אֲדַמֶּה *Similitudinibus utor,* ut ſupra initio libri C. I—III. Jeſaj. V, 1. Ezech. XVI., q. d. nullum eos admonendi modum intentatum reliqui. Subaudiendum eſt nomen verbale דְּמוּתוֹת ſ. דִּמְיוֹנִים, *ſimilitudines*, ut Geneſ. VI, 4. וְיָלְדוּ לָהֶם, *pepererunt eis*, ſcil. יְלָדִים *liberos.* Jerem. L, 9. וְעָרְכוּ לָהּ *inſtruent contra eam* ſcil. מַעֲרָכָה, *aciem.* Cf. verbum noſtrum Jeſaj. XL, 18. 25. Jer. VI, 2. Ezech. XXXI, 2. 8. 18. LXX et Hieronymus vertunt in Paſſivo: *aſſimilatus ſum.* Hieronymus in Commentario totum Verſum hoc modo exponit: „Ego enim ſum, qui per

per omnes prophetas et varia genera viſionum aſſimilatus ſum hominibus, et te ad poenitentiam provocavi. Annon eſt humanae ſimilitudinis, quando Moyſes in altum extollens manus erat, ut Jeſus vincat Amalec, et crucis in eo ſacramenta monſtrentur? Nonne in manibus prophetarum aſſimilatur Deus, quando Jonas tribus diebus ac noctibus in profundo eſt, ut Dominum ſignificet die tertia ab inferis reſurgentem? Multiplicatas autem viſiones in omnibus prophetis legimus, quando Ezechiel [C. XVIII] Dominum cernit in aurigae modum ſedentem ſuper Cherubim. Et Iſajas, *Vidi*, inquit [VI, 1. 2.], *Dominum ſedentem ſuper thronum excelſum et elevatum, et duo Seraphim in circuitu ejus clamantia ad invicem: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Et Abacuc [Vs. 3.] ſtabat in ſpecula ſua, ut cornua videret in manibus Salvatoris, in quibus abscondita eſt fortitudo ejus. Ut autem ſciamus, *omnem prophetiam* in Scripturis ſanctis appellari *viſionem*; *Et omnis*, inquit [Exod. XX, 18.], *populus videbat vocem Domini*; unde et Prophetae antè dicebantur *Videntes* [1 Sam. IX, 9.]." Rittershuſius hunc Verſum interrogative ſumit:

Multane per ſacros ego fundam oracula vates?
Atque per hos pergam res praenarrare futuras,
Monſtratis variisque typis variisque figuris?

12. Pergit Deus acrius perſtringere facinoroſum et pertinacem Ephraimum (Vs. 9), eumque impios Gileaditas, non autem pium ſuum patrem Jacobum (Vs. 13.) imitari, atque ita exitium ſibi accerſere docet, Vs. 15. Particulam אִם quidam *interrogative* capiendam putant, *num? an?* ut Jeſaj. XXVII, 7. Amos III, 6., verbaque אִם־גִּלְעָד אָוֶן ita vertunt: *an Gilead* etiam eſt *Aven?* quod pro nomine proprio habent, ut idem ſit quod *Bethel*, ob vanitatem cultus vitulini ſic dicta, ut ſupra IV, 15. V, 8. X, 5. 8. Amos V, 5., quaſi admirabundus vates hoc diceret: an omnes etiam Gileaditae Bethelis ſequuntur mores, haud toties ad ſaniorem mentem

mentem revocati resipiscere nolunt? et respondeatur אַךְ-שָׁוְא הָיוּ *utique vanitas facti sunt!* Qui sensus tamen vix consistere potest per temporum rationem, quam supra in Argumento Cap. VII. indicavimus. Erant namque, quum Samariae excidium et finis regni Israelitici sub rege Hosea nunc immineret, Gileaditae jam pluribus abhinc annis sub rege Pekah ab Assyriis in exilium abducti, 1 Reg. XV, 29. 1 Paral. V, 26. 27. Alii אִם h. l. pro *affirmantis* voce habent, vertenda: *certe, profecto.* Sed loca a Noldio *Concordantt. Particular.* p. 66. allata, quibus אִם asseverandi vim obtinere volunt, nihil probant. Retinenda igitur usitata illius particulae significatio, qua adscita noster locus ita reddendus: *si Gilead,* i. e. Gileaditae, s. Transjordanenses, quorum impietatem Noster supra VI, 8. taxavit, *pravitas,* i. e. pravitati et idolorum superstitioso cultui (de quo אָוֶן supra X, 8. Num. XXIII, 21. 1 Sam. XV, 23. Jesaj. XLI, 29.) dediti erant, אַךְ-שָׁוְא הָיוּ *certe* s. *omnino vanitas facti sunt,* quod plures accipiunt de poenis deportationis, quas Gileaditae subierunt, cum vicinae tribus in captivitatem abducerentur. Ita Kimchi: „Si Gilead initium fecit committendae iniquitatis, quod ejus incolae primas ambivere partes, ut malefaciendo primi ipsi fierent, etiam primi abierunt in captivitatem." Id recipere nihil magnopere vetat. Et dici poterit vates ex fructu perditionis venenosam iniquitatis radicem descripsisse. Interim suam quoque rationem constitisse iis reor, qui voces אַךְ-שָׁוְא הָיוּ, *certe vanitas facti sunt* docent indicare in sua corruptione progressum, qui iniquitatum vanitates perpetim sectando, adeo facti fuere plane bruti, ut viderentur quasi ipsissima vanitas esse. Ita Jerem. II, 5. וַיֵּלְכוּ אַחֲרֵי הַהֶבֶל וַיֶּהְבָּלוּ *Vanitatem,* i. e. idola, *sequuti, vani facti sunt* ipsi. Illorum insaniam tamen imitantur reliqui Ephraimitae. בַּגִּלְגָּל *In Gilgal,* ubi et fanum fuit, et altare celeberrimum, vid. supra IV, 15. V, 8. Amos V, 5. Chaldaeus: בְּבֵית גִּלְגָּלָא תּוֹרִין לְטַעֲוָן דַבְּחוּ *in aede Gilgal boves idolis immolant.* שְׁוָרִים *Boves,* pluralis formae חֲוָחִים *spinae,* a חוֹחַ, 1 Sam. XIII, 6. זִבֵּחוּ *Immolant,*

molant; impio cultu, cf. ſupra IV, 18. גַּם *Imo etiam*, Mal. III, 15. Verba quae ſequuntur, מִזְבְּחוֹתָם כְּגַלִּים עַל תַּלְמֵי שָׂדָי quidam hoc ſenſu capiunt: *arae eorum* deſtruentur et fient *ſicut acervi ſuper portus agrorum.* Magis nobis probatur Aben-Esrae brevis quidem, ſed ſolida explicatio, utpote orationis ſeriei accommodatior: „per ſimile ſic loquitur, quo indicat, nulla altaria fuiſſe ei conſpicua." Conſentit Bochartus *Hieroz.* P. I. L. IV. C. VIII. T. II. p. 520. edit. Lipſ.: „Agit propheta de aris, quas Galgalis idololatrae diis ſuis non ſolum in urbe exſtruxerant, ſed et in vicinis agris, et confert cum acervis lapidum, ab iis congeri ſolitis, qui lapidoſos agros expurgant, cum propter vilitatem, tum propter frequentiam. Ut taceam, eminus intuentibus non abſimilem eſſe ſpeciem." Ritterſhuſius, אִם interrogative ſumto (vid. ſupra), hunc Verſum ſic expreſſit:

Num Galaaditas ſolos reputatis iniquos?
Num ſolos falſis operatos cultibus illos?
Mactatis fumant altaria Gilgale bobus,
Inque agri ſulcis aequant altaria acervos.

In Graeca Alexandrina verſione noſter Verſus ſic redditus legitur: *Εἰ μὴ Γαλαὰδ ἐστιν, ἄρα ψευδεῖς ἦσαν ἐν Γαλγάλοις ἄρχοντες θυσιάζοντες, καὶ τὰ θυσιαστήρια αὐτῶν ὡς χελῶναι ἐπὶ χέρσον ἀγροῦ.* Quae Hieronymus ſic vertit: *Si non Galaad eſt, ergo falſi erant in Galgale principes immolantes, et altaria eorum quaſi teſtudines ſuper deſertum agri.* Ipſe Hieronymus Hebraea ſic interpretatur: *Si Galaad idolum, ergo fruſtra erant in Galgal bobus immolantes; nam et altaria eorum quaſi acervi ſuper ſulcos agri.* Ad quae in Commentario: „Pro eo quod nos transtulimus *bobus*, qui Hebraice appellantur *Surim*, LXX interpretati ſunt *principes*, qui vocantur *Sarim* [שָׂרִים], verbi ſimilitudine atque ambiguitate decepti. Rurſum ubi nos poſuimus *acervos*, qui Hebraice appellantur *Gallim*, et proprie *θῖνας* ſignificant, hoc eſt, ex arena

tumulos

tumulos congregatos, qui maxime in deserto et in littoribus stante vento vel augentur vel minuuntur, LXX transtulerunt *testudines*, pro quibus Symmachus *acervos lapidum* interpretatus est, Theodotio *colles*. Et revera, si θῖνας respicias, habent similitudinem magnarum testudinum in deserto agro, vel in ripis atque littoribus paululum humo eminentium. Quod ergo dicit, hoc est: *Si in Galaad*, de qua scriptum est [supra VI, 8.]: *Galaad civitas operantium idolum, supplantata a sanguine*, falsi sunt dii et perversa religio, et est trans Jordanem, ubi duae tribus habitant, Ruben et Gad et dimidia tribus Manasse, ergo et Galgal, de qua in hoc eodem propheta legimus [IX, 15.]: *Omnis malitia eorum in Galgala, quae est post tergum Bethaven*; quicunque idola colunt, non boves diis immolant, sed bobus offerunt sacrificia, imitantes errorem Samariae. Eo enim tempore, quo haec prophetabantur, Galaad in regno decem tribuum erat, et Galgal sub imperio duarum tribuum, quae appellabantur Juda. Ergo et decem tribus et duae pari idololatriae errore deceptae sunt, et altaria eorum sicut acervi et tumuli de lapidibus congregati, sive de arenis. Quumque et illi et hi in captivitatem fuerint abducti, arae quondam eorum absque cultoribus testudinum vel tumulorum habebunt similitudinem." Cyrillo Graeci interpretis χελῶναι h. l. non sunt animalia, sed *αἱ τῶν χωμάτων ἐγέρσεις*, *aggerum exstructiones*, ut Drusio etiam *testudines* significant γεωλόφες, *terrae tumulos*. „Et his," inquit Bochartus l. c., „libenter accederem, si quod daretur exemplum similis locutionis. Sed, quum nullum proferatur, duo habeo, quae conjiciam. Unum, pro *ὡς χελῶναι* legendum esse *ὡς κολῶναι*, quae vox pro *tumulis* saepe usurpatur, ut *Iliad.* II, 811. Apollonii *Argonaut.* L. I. 1114. etc. Altera conjectura est, גַּלִּים hic χελώνας, seu *testudines*, ex usu Syrae linguae reddi, qua ܓܠܐ est *testudo*." Eadem voce et h. l. usus est Syrus interpres.

13. Redit ad historiam Jacobi, post Vs. 5. supra interruptam. Hoc ideo, ut ostenderet, ex qua origine ad tantam dignitatem pervenissent; quo beneficiorum acceptorum immemores eo fortius declarat, quum et ipse Israel, illorum pater, et ejus posteri ex impiorum semper oppressione liberati per virtutem solius Dei, ipsi tamen pervicaces manerent in foederis initi violatione, ad muta idola suum transferentes cultum. וַיִּבְרַח יַעֲקֹב *Et fugit Jacob,* prae metu fratris Esavi, quem primogeniturae jure defraudaverat. שְׂדֵה אֲרָם *In agrum Syriae,* quae regio Genes. XXVIII, 2. 5. פַּדַּן אֲרָם dicta, i. e. *πεδίον Συρίας,* ut LXX vertunt, Syria campestris s. Mesopotamia. Ita Curtius L. III. c. 8. memorat *spatiosos Mesopotamiae campos,* ad quem locum recte Cellarius: „Montosa Syria [occidentalis] est; at trans Euphratem ad Babyloniam usque spatiosissimi campi patent.“ Alii שְׂדֵה אֲרָם interpretantur *agrum,* i. e. regionem sive possessionem hereditariam (ita שָׂדֶה 2 Sam. IX, 7.) Arami, filii Semi, Genes. X, 22., a quo et tota gens et regio ista nomen habuit, non ab altero illo, filio Kemuelis, Genes. XXII, 21. Cf. Bocharti *Phaleg.* II. 5. p. 83. seq. וַיַּעֲבֹד יִשְׂרָאֵל בְּאִשָּׁה *Servivit* Jacobus, qui postea *Israel* dictus (Genes. XXXII, 29.) *pro muliere,* i. e. propter uxorem merendam, septem annos propter Rahelem, deinde, cum ei supposita esset Lea, alios septem; vid. Genes. XXIX, 18. 20. XXXI, 41. וּבְאִשָּׁה שָׁמָר *Pro muliere,* inquam, vel: *dum pro muliere custodivit,* scil. pecus Labanis, vel *oves,* ut addit Chaldaeus. Vid. Genes. XXX, 31. Hoc modo pastor ovium absolute שֹׁמֵר, *custos,* dicitur 1 Sam. XVII, 20. Jarchi: „Probe nostis, quomodo Jacobum, cum a fratre Syriam fugere coactus esset, servaverim.“ Qua adscita ratione hic Versus aptius proximo congruet, quam ex Grotiana sententia, aggravari hoc Versu indignitatem culpae ex contrariis factis majorum in iisdem locis. „Obiter,“ inquit Grotius, „occasione Galaaditidis, in quam ex agro Syriae fugeret Jacobus [prius enim Hemistichium vertit Gro-

Grotius: *fugit Jacob agrum Syriae*], aliam adſpergit exprobrationem: Jacob pro duabus uxoribus ſervivit Labani, et greges ejus pavit per annos quatuordecim; vos autem Dei cauſa nihil facere vultis." Rittershuſius:

Peccantes ſed enim poterat meliora monere
Ipſe locus, quaeque hic majoribus evenere.
Nimirum huc Syriis Jacobus fugerat oris,
Uxoris cauſa poſtquam ſerviverat, atque
Servarat paſtor pecudesque gregesque Labanis,
Jungeret ut ſibi dilectae connubia gnatae.

Hieronymus: „Videtur absque ratione et ordine prophetali poſt idolum Galaad et Galgal et altaria acervis lapidum ſimilia, ſubito hiſtoriam Geneſeos de Jacob voluiſſe narrare: quod ſtatim ſolvit, qui ſuprà de Jacob legiſſe ſe meminit [Vs. 4. 5.]: *In utero ſupplantavit fratrem ſuum, et in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, et invaluit ad Angelum et confortatus eſt; flevit et rogavit eum, et ibi loquutus eſt nobiscum.* Iſte igitur Jacob non fruſtra ab angelo confortatus eſt, ſed quia tota nocte pugnavit, et vicit adverſarium, ut ex hoc fratrem diſceret non timere, cujus metu in Syriam fugeret ad Laban avunculum ſuum, et ſervivit pro uxore Rachel ſeptem annis, et pro Lea oves ſoceri Laban eodem annorum ſpatio cuſtodivit."

14. וּבְנָבִיא *Per prophetam*, Moſen intelligit, quem ita vocat κατ' ἐξοχήν, cf. Exod. IV, 15. 16. VII, 1. Num. XII, 6. 7. Mich. VI, 4. „Qua figura," inquit Drusius, „*Poetam* interdum per excellentiam dicimus pro Virgilio, et *Apoſtolum* pro Paulo; εἰωθότων τῶν ἀνθρώπων, uti dicit Galenus, τὰ πρωτεύοντα ἐν τῷ γένει τῷ τοῦ γένους προσαγορεύειν ὀνόματι." Alii: *per prophetam*, quales vos, degeneres Iſraelitae, deſpicitis, Vs. 9. 11., non per regia arma et vires. הֶעֱלָה *Adduxit*, proprie *ſurſum duxit*; nam, „*qui ex Cananaea in Aegyptum tendunt, deſcendere* (Geneſ. XII, 10. XXVI, 2. XLVI, 3.), *qui ex Aegypto*

gypto in Cananaeam, contra adſcendere dicuntur (Geneſ. XLIV, 17. XLV, 17.). Ratio eſt, quia illi verſus auſtrum, hi vero verſus aquilonem tendunt." C. B. MICHAELIS Diſſertat. de *Notionibus Superi et Inferi, indeque adſcenſus et deſcenſus in Chorograph. S.* §. XVIII. coll. §. X., ubi oſtendit, *borealia* eſſe *ſupera*, et *adſcenſus* terminum facere, *auſtralia* vero *infera*, et terminum *deſcenſus*. Hinc de eductione populi Iſraelitici ex Aegypto verbum הֶעֱלָה uſurpari ſolet, veluti Jud. VI, 13. 1 Sam. XII, 6. אֶת־יִשְׂרָאֵל Poſteros *Iſraelis* ſ. Jacobi. „Qui ſemel," inquit HIERONYMUS, „Jacob dixerat Iſraël, patrem filiosque conjungit, et ſequentis recordatur hiſtoriae, quando in propheta Moyſe eduxit Dominus Iſrael de Aegypto, et duodecim tribus, quae generatae ſunt de Iſrael, propheta educente, ſervatae ſunt." מִמִּצְרָיִם *E ſervitute Aegyptiaca*, cf. Exod. XII, 37. XX, 2. Deut. XXVI, 6. ſeqq. Mich. VI, 4. וּבְנָבִיא נִשְׁמָר *Et per prophetam*, inquam, Moſem, *cuſtoditus* ſ. ſervatus eſt populus Iſraeliticus, veluti imbellis et errabundus grex ovium (vid. Jeſaj. LXIII, 11. ſeqq.) in horridis Arabiae deſertis, quae quadraginta annis pererravit. Cf. Deuter. VIII, 3. 4. 5. 15. 16. Nehem. IX, 20. 21. Verbo נִשְׁמָר alludi videtur ad id, quod Vs. 13. dictum de Jacobo, eum *cuſtodiviſſe* (שָׁמָר) *gregem*. LXX: διεφυλάχθη. Cf. Luc. IV, 10. Chaldaeus: *Quin etiam, quum patres veſtri deſcendiſſent in Aegyptum, prophetam miſit Dominus, et eduxit Iſraelem ex Aegypto, et per prophetam cuſtoditus eſt.* Ritterſhuſius:

Huc populum ex Phariis Dominus traduxerat oris
Iſraeligenam, fido ductore Jehova,
Auſpiciis Moiſis poſtquam ſervarat eandem.

15. הִכְעִיס Nunc vero per idololatriam (Vs. 12.) et conjuncta illi ſcelera Jovam (Vs. 14), *Dominum* ac Deum *ſuum* (ex fine Verſus repetendum) *ad iram provocavit*, 1 Reg. XIV, 9. 15. XV, 30. 2 Reg. XVII, 11. 18. אֶפְרַיִם Decem

Decem tribus, Vs. 1. 2. 9. XI, 3. Jesaj. VII, 5. תַּמְרוּרִים alii ad Deum referunt, alii ad populum. Illi subaudito ל vertunt: *in amaritudines.* Ita DRUSIUS: „Sic *amarulentia* definitur *animi dolor in invidiam et malevolentiam exacerbatus.* Ut hic in *malevolentiam exacerbatus* sic intelligas, *irritavit in amaritudines.*" Qui ad populum referunt, vertunt, subaudito ב, *per amaritudines*, i. e. gravissima peccata. Ita Chaldaeus: מוֹסְפִין לְמֶחְטֵי *addentes peccare.* Alii: *rebellionibus*; coll. Exod. XXIII, 21.* Sed nomen hebraeum *amaritudinis* notionem aperte obtinet Jerem. VI, 26. XXXI, 15. וְדָמָיו עָלָיו יִטּוֹשׁ *Et sanguinem ejus super eum relinquet* Deus, in suo reatu et poena manere patietur, ne ab ultione et poenâ immunis sit. Qui enim reus caedis est, et propterea poenae obnoxius, *super eum sanguis esse* dicitur, Jon. I, 14. Chaldaeus: וְחוֹבַת דַּם זַכַּי דַּאֲשֵׁיד עֲלוֹהִי יְחוֹפ *reatus sanguinis innocui, quem effudit, super eo manebit.* Minus bene alii: non curabit Deus sanguinem ejus ab hostibus effusum; non vindicabit. וְחֶרְפָּתוֹ *Et ignominiam suam*, qua Jovam adfecit, eum, Deum suum deserendo et ad idola transeundo. Cf. Jes. LXV, 7. Ps. LXXIX, 12. Dan. XI, 18. (ubi ipsa nostra phrasis). יָשִׁיב לוֹ *Retribuet ipsi*, Vs. 3. Nehem. III, 36., eum in summum contemtum exilii expellendo. אֲדֹנָיו *Dominus ipsius*, cui obsequium praefracte denegavit. Rittershusius:

At nunc iratum numen sibi reddidit atque
Infensum Ephraimaea tribus; proin sanguis in ipsum
Deveniet suus atque fluet capita omnia inundans,
Opprobrioque suus Dominus rursum obruet ipsum,
Judicio, ut quod quis fecit, patiatur idem aequo.

HIERONYMUS: „Quum ergo Ephraim tanta praestiterim, ut nudum, et exsulem et solum, divitem dominumque reducerem, et multorum filiorum parentem, deseruit me *Ephraim*, imo *ad iracundiam provocavit*, et *amaritudine sua* amarum fecit esse, qui dulcis sum. Unde *sanguis ejus super eum veniet*, id est, ipse erit causa mortis suae,

suae, secundum id quod David loquitur ad eum, qui Saulis nuntiavit interitum, et a se regem Israel caesum esse memorabat [2 Sam. I, 16.]: *Sanguis tuus super caput tuum.* Non mea sententia, sed Saulis sanguine tuus sanguis effundetur. Quodque sequitur: *et opprobrium ejus restituet ei Dominus,* illi sensui congruit, quem Nathan loquitur ad David [2 Sam. XII, 14.]: *Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter hanc rem,* hoc est, propter hoc peccatum, quo interfecisti Uriam, ipsa blasphemia atque opprobrium, quo per te Dominus blasphematus est, vertetur in caput tuum."

Cap.

Cap. XIII.

A R G U M E N T U M.

Pergit hoc Capite vates accuſare veſanam populi Iſraelitici idololatriam, eamque maxime fuiſſe oſtendit, quae jam nunc in exitium praecipitaverit univerſam denique gentem funditus abſumturum. Scelus demonſtrat eſſe eo gravius, quo eminentioribus et continuis magis beneficiis a disjecta usque Aegyptiaca ſervitute, ad ea demum, quibus nunc vivebatur, tempora, complexus Deus fuerat immorigerum licet et rebellem populum, quoque hic foediori perfidia reſtitaverat ubique, ne ad unicum illum auxilii auctorem, a quo jam olim diſceſſerat, reduci ſeſe ullis amplius monitis aut lenitudine miſerantis Dei pateretur (Vs. 1—6.). Itaque tametſi differri adhuc aliqua mora oportebat ultimi exſecutionem ſupplicii, iſtud tamen certiſſime adventurum, quod et efferae belluae, undique adgredientis, dilacerantis, devorantisque (Vs. 7. 8.), et torminum, qualia ſunt parturientium, ſimilitudine declarat (Vs. 13.). Addit tamen recreaturam ſervaturae ceteros conſtantiſſimaeque promiſſionem gratiae divinae (Vs. 14. 15.).

---

1. כְּדַבֵּר אֶפְרַיִם רְתֵת *Quum loquutus eſt Ephraim tremorem.* Quia mox dicitur, *Ephraim* portaſſe *in Iſraele,* adeoque ab eo diſtinguitur, et quaſi ei opponitur, non ſumitur quidem Ephraim h. l. pro decem tribubus, ut ſupra XII, 1. 2. et ſaepius ad Noſtrum; nec tamen reliqui prorſus excluduntur; ſed *Ephraim* tanquam *primus et praecipuus*

puus notatur. Pergit enim Deus magis arguere peccata Ephraimi et Ifraelitarum, eorumque poenas et regni everfionem denuntiare, q. d. *Nam*, ut iftam *provocationem* XII, 15. et poenas ejus diftinctius explicem: *quum loquutus eft Ephraim* רְתֵת *horrorem*, i. e. horrendam idololatriam, per vitulos Jeroboami. Nomen hebraeum, hoc folo loco obvium, idem fignificat, quod fono cognatum רֶטֶט, Jerem. XLIX, 24., ubi Syrus ܪܬܝܠܐ pofuit. Verbum רְתַת Aramaeis eft *metuit, horruit, tremuit.* De fenfu vero horum verborum interpretes valde differunt, ex quibus ea tantum afferemus, quae cum verbis et accentibus manifefto non pugnant. Chaldaeus: כַּד מְמַלֵּל חַד מִבֵּית אֶפְרַיִם רְתִיתָא אֲחִיד לְהוֹן לְעַמְמַיָּא *quum loqueretur unus de domo Ephraim, tremor apprehendit populos.* Eum fenfum adfcivit R. Tanchum: المعني ان الناس يهابوه ويرعدون من كلامه *fenfus eft: homines veriti funt eum et tremuerunt ab ejus fermone.* Quod fequuti Kimchi, Abarbenel, nec pauci ex Chriftianis interpretes, horum verborum fenfum hunc effe volunt: *ut loquebatur olim Ephraimus, tremor* erat, i. e. exhorrefcebant ejus formidine omnes populi, fimul ac ipfe loqueretur. In confirmationem eorum, quae in praecedentis Capitis fine leguntur, hic ipfo exemplo oftendi putant, retributionem Ephraimo fore ob opprobria, quibus Deum fuum irritaverat, cum et ante, florens omni profperitate, dignitate praepollens in fuis, terror vicinis, peffum iverit, quod Baalem colendo mortis et perditionis culpam contraxerat, ut a majori ad minus ratiocinando clare fieret, egenum jam Ephraimum interiturum facilius. Sed jam ab eo inde tempore, quo Ephraim fui juris regnum eft factum, vitulorum cultu Dei in fe indignationem fufcitavit. Quod ipfum obftat eorum interpretationi, qui, uti Pocockius, contrario fenfu locum fic capiunt: *quum Ephraim* adhuc *loqueretur* cum timore ac *tremore* (ficut pater ipfius, Jacobus, humiliter Deum precabatur, fupra XII, 5.), nec contumaciter et fuperbe Deo obloqueretur, XII, 9., *fe extulit*

tulit in Iſraele, ut proxima verba vertunt. Ita Syrus: ܟܕ ܡܡܠܠ ܐܦܪܝܡ ܙܐܥ ܗܘܐ ܘܗܘܐ ܪܒܐ ܒܐܝܣܪܐܝܠ *cum loqueretur Ephraim tremens tunc erat et magnus erat in Iſraele.* (Male Latinus in Polyglottis interpres: *dum loqueretur* Deus, *Aphrem tremebat, proinde fuerat magnus in Iſraele*). Jarchi quoque רְתֵת interpretatur ברעדה *cum tremore.* Confert Pocockius Jeſaj. LXVI, 2. *Reſpiciam ad humilem et contritum ſpiritu*, וְחָרֵד עַל־דְּבָרִי *et trepidantem propter verba mea.* Verum ſententia prodit iis quae antecedunt et ſequuntur multo concinnior, ſi, abstracto ſumto pro concreto, *horrorem* intelligimus de *re horrenda*, id eſt, idololatria, quam pius quisque abhorret et deteſtatur, et quidem de impiis illis a Jeroboamo I. inſtitutis ſacris. Neque enim ad aliud tempus haec referri poſſe, niſi ad illud, quo Ephraim a Juda diviſus fuit, oſtendit ſola ejus et Iſraelis mentio. Senſus itaque eſt: *quum loquutus* eſt, et primum inſtituit *Ephraim*, tempore Jeroboami, primi regis, qui perpetuam ignominiae notam eo ipſo meruit, *horrendum* illum vitulorum *cultum* (1 Reg. XII, 28.), juſtas poenas portavit in Iſraele. נָשָׂא הוּא *Portavit ipſe*, ſcil. iſtud ſuum loqui horrendum, ſ. horrendum illud peccatum ſuum. Quemadmodum in ſequenti membro antecedens: *et reus factus eſt* (וַיֶּאְשַׁם), habet malum ſuum conſequens: *tum mortuus eſt* (וַיָּמֹת), ita haec verba pro apodoſi, ſive conſequente praecedentis membri habemus, et in malam partem accipimus, ut idem ſit quod alias dicitur *portare iniquitatem*, vel *peccatum ſuum*, veluti Levit. V, 1. 17. XVII, 16. XIX, 8. XX, 1. 7. XXIV, 15. *Portatur* autem *peccatum*, quando imputatur et vindicatur. Et revera non inultum fuit, ſed graviſſime peccatum vitulorum cultu commiſſum, tum in Jeroboamo et poſteritate ejus deleta, tum in ſequentibus regibus, qui non receſſerunt ab iſta ſuperſtitione. Cf. 1 Reg. XIII, 34. XIV, 10. ſeqq. Alii, qui cum Chaldaeo רְתֵת de terrore intelligunt, quem Iſraelitae olim injecerint vicinis, נָשָׂא vertunt: *ſuſtulit* ipſe ſcil. caput ſuum;

ſuum; ſive, *exaltatus eſt*, ad regni dignitaten
Ita Chaldaeus: מְרַבְרְבִין הֲווֹ, *principes facti ſun*
rus: ܘܗܘܐ ܪܒܐ *et fuit magnus.* Quae *efferendi*
quidem plerumque forma Hithpael verbi נָשָׂא e:
vid. e. c. 1 Reg. I, 5. Prov. XXX, 32. 1 Chron. X
uſurpatur tamen eodem ſignificatu et Cal Pſ. LX
Nah. I, 5. בְּיִשְׂרָאֵל *In* et *cum* reliquo *Iſraele*, q
boamo ad deteſtabilem illum cultum ſeductus fuit;
item 1 Reg. XIV, 15. 16. et 2 Paral. XIII, 15. ſeqq.
Alexandrinus prius hemiſtichium ſic reddidit: *και*
γον Ἐφραΐμ δικαιώματα ἔλαβεν αὐτὸς ἐν τῷ Ἰσρα
verbum Ephraim juſtificationes accepit ipſe in
Hieronymus Graeca reddidit, hac addita nota: ,
rore, qui Hebraice dicitur *Reteth*, quem Sym
Theodotio *tremorem* interpretati ſunt, neſcio qui
δικαιώματα, id eſt, *juſtificationes*, LXX trans
Cappellus Graecum interpretem conjicit רָתֹה,
nominis דָּת *lex* pro רְתֵת legiſſe. Nos quidem Grae
aliter ac nos legiſſe, ſed ſenſum, prout eum conc
preſſiſſe, hoc modo: olim cum Ephraimus loqueba
litae omnes ejus dicta ut juſta et recta ſuo aſſenſu
barunt, ejus auctoritatem reveriti. Senſus haud
ab eo, quem Chaldaeus expreſſit, uti ſupra vidimu
Et quum *reus factus eſt* idem ſcilicet Ephraim cu
IV, 15. X, 2. XIV, 1. בַּבַּעַל Non tantum in vitu
rationibus politicis moti Jeroboami ſucceſſores c
retinuerunt), ſed etiam *in Baale*, II, 10. 15. XI,
hoc de Achabi temporibus accipiunt, qui inſtinct
uxoris Baalis cultum denuo introduxit 1 Reg. XV
XVIII, 18., a quo populus deinceps neque per El
(1 Reg. XVIII, 40.), neque per Jehu, filium Nimſ
X, 25. ſeqq.), ita repurgari potuit, ut non ſubind
illud recrudeſceret. וַיָּמֹת *Tum mortuus fuit*,
XXV, 1. ſeqq., cf. ſupra IX, 10. ſeqq., i. e. adeo
a Deo et preſſus ab hominibus fuit, ut quaſi anima

aut vix cadaver aliquod reipublicae relinqueretur. Bene Rittershusius:

Deinde Baalis cultum obiit simulatque, reatu
Examinis coepit sordere cadaveris instar,
Esseque contemptus. — —

Hieronymus nostrum Versum hoc modo exposuit: „Loquente Ephraim, id est, Jeroboam, filio Nabath, de tribu Ephraim, horror invasit Israel, id est, decem tribus. Et tantus Israelem horror invasit, ut delinqueret et offenderet Deum in Baal, et moreretur, perdens eum qui dicit: *ego sum vita* [Joan. XIV, 6.]. Anima enim, quae peccaverit, ipsa morietur.“

2. Nihilominus tamen ne sic quidem emendati, sed quasi stupidi atque dementes, וְעַתָּה, *et nunc,* post illa Achabi tempora et cultum Baalis a Jehu eversum, 2 Reg. X, 28. יוֹסִפוּ לַחֲטֹא *Addunt peccare,* peccata peccatis cumulant, cf. VII, 1. Non solum enim Jeroboami vitulos constanter retinuerunt et ad Baaliticum cultum relapsi sunt, uti ad II, 10. notatum; sed novas superstitiones addiderunt, veluti in Gilgal, Bersaba, Amos VIII, 14.); vid. 2 Reg. XVII, 7 — 16. 21. 22. וַיַּעֲשׂוּ לָהֶם *Et fecerunt sibi,* contra expressum interdictum meum, Exod. XX, 4. מַסֵּכָה *Fusile,* fusas imagines, qualis erat vitulus Aaronis, Exod. XXXII, 4. 8. Singularis est *collective* sumendus, quia alter Accusativus, qui per appositionem sequitur, עֲצַבִּים, Pluralis est. Cf. X, 1. Hic tamen non de vitulis, nec de Baal, ut fere volunt interpretes cum Kimchio, sed de aliis superadditis variis idolis, quibus etiam homines aliquando immolaverint, uti sequitur, dici videtur. Vel hoc vult: ad superiorum impietatem adjiciunt, dum vitulis non contenti, suos quisque sibi deos, velut penates habent. מִכַּסְפָּם *Ex argento suo,* cf. II, 10. VIII, 4., cetera avari et iniqui, XII, 8. 9. בִּתְבוּנָם *Pro intelligentia,* opinione, *sua,* pro lubitu suo, neutiquam ut Moses, qui omnes res sacras ex divino mandato atque typo fecit, Exod. XXV, 40. תְּבוּן a forma femi-

nina

nina תְּבוּנָה significatu haud differre videtur, quasi בִּתְבוּנָתָם positum esset, ut Ps. XLIX, 14. al. 15. צִירָם pro צוּרָתָם *forma eorum*. Chaldaeus: בִּדְמוּתְהוֹן *secundum similitudinem eorum* vertit. Similiter LXX: *κατὰ εἰκόνα εἰδώλων*, et Syrus: ܒܕܡܘܬܗܘܢ *in similitudinem suam*. Retulerunt nomen ad radicem בָּנָה, quasi idem sit ac תַּבְנִית *figura, exemplar*. Graecus interpres intellexit similitudinem *idolorum*, qualia et ipsi et aliae gentes habuere. Chaldaeus vero et Syrus retulerunt ad eos qui idola colunt, quae sua similitudine, i. e. formâ humana effinxerint. Ceterum pro בִּתְבוּנָם veteres videntur כִּתְבוּנָם, cum praefixo *Caph* legisse, quod ipsum hodienum plures codices exhibent; vid. De-Rossi ad h. l. עֲצַבִּים *Idola* nimirum detestanda, IV, 17. VIII, 4. XIV, 9. Jerem. XLIV, 19. מַעֲשֵׂה חָרָשִׁים Quae omnia et tota nil nisi *opus fabrorum* aut *artificum* sunt, VIII, 6. Jesaj. XL, 19. Jerem. X, 3. 9., sine omni vita, et multo magis sine divinitate, quam homo nulla arte aut industria sua unquam efficere poterit, cf. VIII, 6. Stupidi ergo sunt et stolidi, qui talia faciunt. Cf. Jesaj. XLIV, 9—20, XLVI, 5. seqq. Jer. X, 14. 15. LI, 17. Habac. II, 19. Ps. CXV, 2—8. כֻּלֹּה *Universitas ejus* est, scil. idolis, s. operis illorum; cf. Jes. IX, 16. Jerem. VI, 6. לָהֶם *Istis*, idololatris. Alii: *de his*, ut Genes. XX, 13. לִי, *de me*. הֵם אֹמְרִים *Illi*, qui etiam homines nunc immolant, *dicunt*. Alii cum Jarchio et Kimchio subaudiunt *sacerdotes*. Chaldaeus: *falsi prophetae*. Hieronymus: *sacerdotes et principes*. Schmidius autem per prosopopoeiam hoc modo: *istis*, qui plura idola nunc colunt, et in his Molochum, cui etiam homines immolant, *illi*, patres eorum, qui vitulos tantum, vel Baal coluerunt, *dicentes* essent, si viverent: *qui sacrificant homines*, omittant crudele tale sacrificium, et *vitulos* potius, uti nos fecimus, *osculentur*. זֹבְחֵי אָדָם *Qui homines immolant*, s. humanis hostiis litant. Sic veteres Hebraei interpretes Jarchio et Kimchio memorati; item Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus ad *ἀνθρωποθυσίαν* id referunt, de qua vid. Levit. XVIII, 21. XX, 2. Deut. XII, 31. XVIII, 10. Bochartus

TUS vero *Hieroz.* P. I. L. II. C. XXXIV. T. I. p. 371. edit. Lipſ. cum Kimchio noſtra verba ſic interpretari mavult: *ſacrificantes hominum*, i. e. ii hominum, qui ſacra faciunt, vel, quicunque hominum ſacrificant, collata ſimili conſtructione Jeſ. XXIX, 19. אֶבְיוֹנֵי אָדָם, *pauperes hominum.* Rationem addit Bochartus illius a ſe adſcitae interpretationis, quia, cum in vitulis illis ſe verum Deum colere profiterentur Iſraelitae, illos haud dubie eo coluerint modo, quo verum Deum. Is autem humanas hoſtias numquam ab ullo exegit, praeterquam ab Abrahamo, cujus manum tamen in ipſo ictu inhibuit, ſola voluntate contentus, Gen. XXII, 11. 22. Attamen homines immolatos eſſe ab Iſraelitis, dubium minime eſſe poteſt legentibus 2 Reg. XVII, 16. 17. coll. Vs. 31. Ezech. XXIII, 36. 37. Mich. VI, 2. 7. Pſ. CVI, 37. 38., nec non a Judaeis, vid. 2 Reg. XVI, 3. XXI, 6. Jer. VII, 31. XIX, 5. XXXII, 35. Ezech. XVI, 20. 2 Paral. XXVIII, 3. XXXIII, 6. Sic de Carthaginienſibus narrat JUSTINUS *Trogi* L. XVIII. c. VI. 11. *Quum inter cetera mala etiam peſte laborarent, cruenta ſacrorum religione et ſcelere pro remedio uſi ſunt. Quippe homines ut victimas immolabant, et impuberes (quae aetas etiam hoſtium miſericordiam provocat), aris admovebant.* Cf. LACTANTII *Inſtitutt.* L. I. c. 21. Pro זֹבְחֵי אָדָם Graecus Alexandrinus reddidit θύσατε ἀνθρώπους, eumque ſequutus Vulgatus, *immolate homines.* Unde CAPPELLUS colligit, illum interpretem זִבְחוּ, Imperativum, in ſuo hebraico codice legiſſe. Quod tamen negat BUXTORFIUS in *Anticrit.* p. 788. „Ut in ipſa lingua Hebraea," inquit, „varia admodum eſt enallage temporum et modorum, ita frequentiſſime interpretes, pro ratione ſenſus, quem illi reſpiciunt et ſequuntur, ea quoque pro lubitu permutant, et in ſuis verſionibus exprimunt. Graeci interpretes, quod hic per Participium dicitur in Hebraeo, Imperandi ſenſu intelligentes, ita reddiderunt, qui nequaquam ſe usquam ad literas et ſyllabas in Hebraeo exprimendas adſtrinxere. Verba לָהֶם הֵם אֹמְרִים זֹבְחֵי אָדָם ſic intellexerunt: ſacerdotes Baalitici *dixerunt ipſis*, i. e. Iſraelitis:

litis: *ſacrificantes homines vitulos osculamini*, h. e. ſacrificate homines liberos veſtros, cum vitulum osculamini ſeu adoratis." זֹבְחֵי אָדָם עֲגָלִים יִשָּׁקוּן *Vitulos osculentur*, ſ. *osculabuntur*, h. e. ſecundum veteres apud Jarchium, illi digni demum ſunt, qui vitulos osculentur. Certum itaque ſaltim ex hoc loco, Iſraelitas vitulos ſacrificiis, osculis et adorationibus mactaſſe, per quos etiam jurarunt, Amos VIII, 14. De *osculo* adorationis ſigno, vid. not. ad Job. XXXI, 26. 27. et Pſ. II, 12. Cf. 1 Reg. XIX, 18. Hieronymus in Commentario ad h. l.: „Pro eo, quod juxta Symmachum et Theodotionem vertimus *adorantes*, Aquila interpretatus eſt καταφιλοῦντες, id eſt, *deosculantes*. Qui enim adorant, ſolent deosculari manum ſuam, quod Job feciſſe ſe negat, dicens: *Si osculatus ſum manum meam apponens ori meo, et hoc mihi ad iniquitatem maximam reputetur*." Graecus Alexandrinus vertit: μόσχοι ἐκλελοίπασιν, quae cum verbis quae proxime praecedunt Hieronymus *immolate homines, vituli enim defecerunt* reddidit, eorumque ſenſum ſic explicavit: „oſtenditur ingluvies daemonum, qui ſanguine victimarum aluntur, quod deficientibus hoſtiis, homines ſibi cupiant immolari." Graecum interpretem Grotius pro ישקון conjicit legiſſe ישקטון *quieſcant* vituli, i. e. ſatis diu vitulos ſacrificavimus, majoribus victimis opus eſt. Veriſimilior eſt Ed. Pocockii conjectura, Alexandrinum יפסקון *deficiunt* legiſſe. Rittershuſius:

— — Nunc vero et crimina pergunt
Addere criminibus, patrareque atrocia plura,
Proque ſuo fabricant ipſi ſibi numina captu,
Ex collatitio conflata idola argento,
Quae nihil artificis niſi opus ſunt: ille figuram
Indidit, aſt animam, motumque haud addere quivit.
Et tamen (o ſtolidi!) tali de numine dicunt:
Huc agite, his vitulis cultus adhibete Deorum,
Orantes veniam, humano hos placate cruore.
Humana iſtorum Divum mactetur ad aras
Hoſtia, adorari gaudent hoc numina ritu.

3.

3. לָכֵן *Propterea*, quia tantis sceleribus dediti sunt Israelitae, poena diu abesse non potest, cujus ultimus gradus, extrema reipublicae eversio, hic praedicitur, et *quatuor* similitudinibus figuratur, quarum duas priores, de *nube matutina* (כַּעֲנַן־בֹּקֶר), et de *rore matutino cito abiente* (כַּטַּל מַשְׁכִּים הֹלֵךְ), et supra VI, 4. usurpavit Noster. כְּמֹץ *Sicut gluma*, Jesaj. XVII, 13. XLI, 15. Ps. I, 4. XXXV, 5. Job. XXI, 18. יְסֹעֵר Quam *turbo abripit*, vel: *sicut glumam turbo aufert*; cf. סֹעֲרָה, *turbine* quasi *jactata*. Jesaj. LIV, 11. Vulgatus: *sicut pulvis turbine raptus*. מִגֹּרֶן *Ab area*, quando nimirum fruges triturantur et ventilantur in aperto campo, uti fieri solet in terris istis; vid. not. ad Ps. I, 4. et cf. Dan. II, 35. וּכְעָשָׁן *Et sicut fumus*, Jesaj. IX, 17. LI, 6. Ps. LXVIII, 3. מֵאֲרֻבָּה *E caverna* vel *fumario* (Gen. VII, 11. Jesaj. LX, 8., quibus locis vox hebraea de fenestrarum foraminibus dicitur) ascendens statim in auras evanescit; sic, inquit, Israelitae dispergentur sine omni spe reditus in terram suam. Hieronymus: „Quaerimus, quare LXX pro *fumario*, quod Theodotio transtulit καπνοδόχην, *locustas* [ἀκρίδες] interpretati sunt. Apud Hebraeos *locusta* et *fumarium* iisdem scribitur literis: Aleph, Res, Beth, He. Quod si legatur *Arbeh* [אַרְבֶּה], *locusta* dicitur, si *Arobba* [אֲרֻבָּה], *fumarium*, pro quo Aquila καταράκτην, Symmachus *foramen* interpretati sunt. *Cataractam* autem proprie vocat foramen, in pariete fabricatum, per quod fumus egreditur." Addit, in nonnullis Graecae versionis codicibus pro ἀκρίδων legi δακρύων. „De *lachrymis*, quae sermone Graeco habent aliquam similitudinem *locustarum*, δακρύων καὶ ἀκρίδων, manifestus error est, quibusdam pro *locustis lachrymas* aestimantibus." Rittershusius:

Ergo repentino interitu exitioque peribunt,
Matutina velut nubes quae a sole fugatur,
Aut ros mane cadens solisque absumtus ab aestu,
Aut quam turbo rapit glumam atque everrit ab area,
Aut veluti tenues vanescit fumus in auras,
Quem fumaria sunt jaculata flagrante camino.

4. Ne quis juſto ſeveriores iſtas poenas reputet, co memorat Deus iterum beneficia in Iſraelitas a priſco ir tempore collata, quorum illi immemores Jovanum cult ingrate et impie deſciverunt. וְאָנֹכִי יְהוָה אֱלֹהֶיךָ *Atqui Jova ſolus ſum Deus tuus,* cf. ſupra XII, 10. רֶץ מִצְרָיִם Inde *a terra Aegypti* et hucusque. „Fuerat vero eti antea Deus Iſraelis, ſed numquam tam clara ſigna edi potentiae ſuae et favoris erga populum," inquit Druſi Cf. Exod. XX, 2. Deut. V, 6. 7. Chaldaeus: אַסְקְתָּךְ מֵאַרְעָא דְמִצְרַיִם *qui te aduxit e terra Aegypti.* Graecus quo Alexandrinus interpres: *καὶ ἐγὼ ἀνηγαγόν σε ἐκ γῆς γύπτου.* Praemittit vero his verbis poſt *ὁ Θεός σου* h clauſulam: *ὁ στερεῶν οὐρανὸν, καὶ κτίζων γῆν, οὗ αἱ χε ἔκτισαν πᾶσαν τὴν στρατίαν τοῦ οὐρανοῦ, καὶ οὐ παρεδε σοι αὐτὰ τοῦ πορεύεσθαι ὀπίσω αὐτῶν, firmans coelum creans terram, cujus manus creavit omnem militiam co et non oſtendi tibi ea, ut ambulares poſt ea,* uti Gra reddidit Hieronymus, qui haec adnotavit: „Quae quoni et in Hebraico non habentur, et a nullo vertuntur int pretum, in antiqua quoque editione LXX non legun obelo praenotanda ſunt." Quod autem Vs. 5. additur *conſervatione* populi Iſraelitici *in deſerta*, inſigne aliq divinae benignitatis documentum ex pluribus, quae i illud tempus facta erant, commemorat. וֵאלֹהִים זוּלָתִי *Deum praeter me*, Jeſaj. XLV, 5. 21. לֹא תֵדָע *Non ag ſceres,* vel, *non noviſti,* aut *expertus es,* cui Deut. XIII, opponuntur *dii alieni tibi et majoribus tuis ignoti.* *Deum itaque praeter me agnoſcere non debebas;* coll. LXXXI, 10. וּמוֹשִׁיעַ אַיִן בִּלְתִּי *Neque enim ſalvator praeter me* unum, cf. Jeſaj. XLIII, 11. XLIV, 8. XLV,

5. אֲנִי יְדַעְתִּיךָ *Ego agnovi te* benigne, paterno ſt et providentia mea te proſequutus ſum (ita יָדַע et Pſ. CX 3. uſurpatum); cf. Amos III, 2. „Tu ergo etiam me g animo agnoſcere debebas," ut recte Kimchi addit. C daeus: אֲנָא סוֹפְקִית צוֹרְכֵיהוֹן *ego neceſſaria eis ſuppedit*

quomodo idem illud verbum יְרַע Onkelos reddidit Deuter. II, 7. Sic etiam ad fenfum LXX: Ἐγὼ ἐποίμαινόν σε. בַּמִּדְבָּר *In deferto*, cf. II, 16. IX, 10. Deut. XXXII, 10. בְּאֶרֶץ תַּלְאוּבֹת *In terra ficcitatum*, vel *fiticulofa*, in qua nec cibus nec potus, fed rerum omnium inopia tibi fuit. Vocem ἅπαξ λεγομένην תַּלְאוּבֹת poft Aben-Efram plures ex Hebraeis doctiores Arabicae dialecti ope illuftrarunt, in qua لَابَ (pro لَوَبَ) eft *fitivit*, et لَآبَةٌ *locus lapidofus, aridus, fiticulofus.* Hinc Abul-Walid, Pocockio in Commentario ad h. l. laudatus hebraeum nomen ita explicat: الارض التي احرقتها الشمس وجففتها بدوامتها عليها *terra quam fol exuffit et exficcavit eo quod continuo fuper ea eft.* Cf. Ed. Pocockii *Notas Mifcell.* Maimonidis Portae Mofis a fe editae adjectas p. 37. Veteres dictionem hebraeam liberius reddiderunt. LXX: Ἐν γῇ ἀοικήτῳ. Hieronymus: *in terra folitudinis.* Syrus: ܒܐܪܥܐ ܡܚܪܒܬܐ ܕܠܐ ܡܬܥܡܪܬܐ *in terra deferta non habitata.* Chaldaeus: בְּאַרְעָא דַהֲוֵיתוֹן תָּאֲבִין בָּהּ מִטְּעַם *in terra, in qua omnia defideraftis.* Senfus igitur eft: ego tui mifertus per invia et horrida deferta et duxi, in anguftiis te liberavi, in fame et fiti te fuftentavi, et ab hoftibus defendi. Quae omnia tibi feci, quia benigno animi fenfu erga te affectus te tandem in hanc optimam terram perducere volui, in qua abundans pafcuum haberes. Tu vero, faturatus hoc pafcuo, mei eft oblitus, Vs. 6. Hieronymus: „Neque enim per tantam eremi vaftitatem, ubi non folum fruges et arbores vineaeque, fed nec herba quidem gignitur, et nullae aquae ardorem temperant folis, quadraginta annis poterat Ifrael ad terram pervenire Jordanis, nifi Dominus omnia praeftitiffet."

6. כְּמַרְעִיתָם וַיִּשְׂבָּעוּ *Secundum pafcuum fuum* (Jefaj. XLIX, 9.), optimum et pinguiffimum, *ita faturati funt;* vel: *quum* fuit ipfis *pafcuum* optimum et abundans, *tum faturati funt.* Refpicit terrae Hebraeis conceffae fertilita-

tem, quae Deut. VIII, 7. ſeqq. laudatur, שָׂבֵעוּ *Saturati*, inquam, *ſunt*. „Repetitum verbum," inquit Rivetus, „priore loco notat beneficium Dei, hic autem ipſorum ſcelus, quo affluentia illa bonorum ad luxuriam abuſi ſunt." Cf. Prov. XXX, 9. וַיָּרָם לִבָּם *Ita ut extulerit ſe cor eorum*. ut in rebus ſecundis fieri ſolet, Deut. VIII, 14. Ezech. XXXI, 10. עַל־כֵּן שְׁכֵחוּנִי *Propterea obliti ſunt mei*, meorum beneficiorum immemores, quod ne facerent, et eo ſcelere privarentur fertiliſſima illa terra, quam Deus ipſis poſſidendam dederat, monentur Deut. VIII, 11. Chaldaeus: שְׁבַקוּ לְהוֹן יַת פּוּלְחָנִי *cultum meum reliquerunt*. Oblivio Dei Iſraelitis a Noſtro exprobratur II, 15. IV, 6. VIII, 14. Rittershuſius:

Pinguia ſed poſtquam ſortiti paſcua ventres
Replerunt ſaturos, coepere attollere criſtas,
Elatisque animis faſtum ſpirare ferocem.
Tunc noſtri ipſorum coepere oblivia mentes,
Et ſaturato ejecerunt mea nomina corde.

7. וָאֱהִי לָהֶם Quia itaque rebus ſecundis elati ſunt, et obliti ſunt mei (Vs. 6.), ideo tandem *factus ſum et fui* (varias clades enim jam tum acceperant a Syris, 2 Reg. VIII, 12. X, 32., a Judaeis, 2 Reg. XIII, 2., et Aſſyriis, ibid. XV, 29.) ac porro *futurus ſum illis*. Praeteritum eſt propheticum et continuativum, ut ſupra IV, 18. X, 4. 5. כְמוֹ־שָׁחַל *Sicut leo;* ſive, ut alii cum LXX, *ſicut panther*. Cf. ſupra V, 14., et quoad rem Jeſaj. LXIII, 7—10., item infra XIV, 1. כְּנָמֵר *Sicut pardus*, Jeſaj. XI, 6. Junguntur autem ſaepe tam in ſacris, quam in aliis Veterum libris *leo et pardus* tanquam animalia feritate homogena. עַל־דֶּרֶךְ אָשׁוּר *Super*, juxta, *viam ſpeculabor*, ut in praetereuntes inſiliam. Quae verba Chaldaeus cum antecedentibus conjunxiſſe videtur, vertit enim: כְּנִמְרָא כְּמָן עַל שְׁבִילָא *ſicut pardus, qui inſidiatur juxta viam*. Sed per accentus עַל־דֶּרֶךְ cum ſequenti verbo cohaeret. אָשׁוּר Futurum verbi שׁוּר, *ſpeculari*, infra XIV, 9. Num. XXIII, 9. XXIV, 17., hinc

hinc h. l. *inſidiari;* ita enim pardi ſolent, inſidioſum animal. Sic Plinius *Hiſt. Nat.* L. X. c. 73. *Inſidunt pardi condenſa arborum, occultatique eorum ramis in praetereuntia deſiliunt, atque e volucrum ſede graſſantur.* Cf. Bocharti *Hieroz.* P. I. L. III. C. VII. T. II. p. 105. edit. Lipſ. Hinc Jeremias V, 6. *Pardus* שֹׁקֵד *vigilans ſuper eorum urbes*, nempe in malum (ut Jerem. XXXI, 28.), i. e. inſidiatus. Niſi verbi שׁוּר uſus, quem indicavimus, obſtaret, poſſet verti: *inſiliam* in eos *in via*, collato Aramaeo שְׁוַר *ſaliit, ſubſiliit*, unde Syris ܫܘܪܐ *ſaltus animantium*; et Arabico سَاوَرَ *aſſilivit, inſilivit, impetum fecit.* Alii, quibus א in אֲשׁוּר eſt radicale, quaſi ſit Participium verbi אָשַׁר *inceſſit* (Prov. IV, 14. IX, 6.), unde אֲשׁוּר *greſſus*, vertunt: *juxta viam tritam,* quae ſcilicet ab hominibus aut animantibus frequentetur et teritur. LXX et Vulgatus: *Sicut pardus in via Aſſyriorum*, i. e. uti Hieronymus explicat: „quando ducentur captivi ab Aſſyriis," ad quos iverant auxilia quaeſituri, V, 13. 14. VII, 11. Jer. II, 18. 19. Sed Aſſyriae nomen conſtanter אַשּׁוּר ſcribitur, ut vel loci laudati docent. Rittershuſius:

Ergo ſuis me transformarunt moribus iſtis,
Durus ut ex miti fierem ipſis atque benigno.
Qualis iter ſervans, hominem, vis fulva Leonis
Diripit invadens, maculoſo aut tergore pardus.

8. אֶפְגְּשֵׁם *Occurram illis*, Geneſ. XXXIII, 8. Jeſaj. XXXIV, 14., ſcil. hoſtiliter. כְּדֹב שַׁכּוּל *Sicut urſus orbus*, vel, quia hebraeum nomen utrique generi commune eſt, ſecundum Vulgatum: *quaſi urſa raptis catulis.* Ferocia enim urſi maxima eſt, in orbitate inprimis et in fame; vid. 2 Sam. XVII, 8. Prov. XVII, 12. Thren. III, 10. Hieronymus: „Ajunt, qui de beſtiarum ſcripſere naturis, inter omnes feras nihil eſſe urſa ſaevius, quum perdiderit catulos, vel indiguerit cibis." Plura vid. apud Bochartum l. c. p. 139. ſeqq. וְאֶקְרַע *Et diſrumpam*, lacerabo, de veſtibus

proprie

proprie dici solet, ut Gen. XXXVII, 29. 34. 2 Sam. XIII, 19; de corde tamen quoque, etsi figurate, Joel II, 13. סְגוֹר לִבָּם *Clausuram cordis eorum*, i. e. pericardium, quod cor revera סוֹגֵר, *includit*, tanquam involucrum (quare cor quasi in vesica esse dicitur Galenus pronunciasse). Hoc quum vel levissimum vulnus sine praesenti letho non ferat, videtur non tantum certum iis interitum indicere, sed simul spem omnem opis, qua, ut cor in pericardio, latitare se tutos sperabant, eis adimere. Alii *clausura cordis*, i. e. corde clauso (ut supra Vs. 5. *terra siccitatum* pro *terra sicca*) intelligunt animum pertinacem (coll. Jesaj. VI, 10.), quasi dicat Deus: *lacerabo obstinatum cor eorum*. Huc et Chaldaeus videtur respexisse, dum vertit: וְחַבָּרִית רְשַׁע לִבְהוֹן *et confregi impietatem cordis eorum*. וְאֹכְלֵם *Et devorabo eos*, cf. eandem imaginem de reipublicae Israeliticae destructione usurpatam Jerem. L, 17. שָׁם *Ibi*, in via scilicet, in qua eos observabo (Vs. 7.); exitium ibi et inde paraturus ipsis, ubi et unde illi securissimi futuri sunt. Cf. VIII, 9. כְּלָבִיא Vid. not. ad Jesaj. V, 29. חַיַּת הַשָּׂדֶה תְּבַקְּעֵם Ac si *fera agri eos discerperet*. Alii simpliciter: *ferae agri eos diffindent*, ut supra II, 14. Verbum בִּקַּע de *feris lacerantibus* et 2 Reg. II, 24. usurpatur. Rittershusius:

At qualis catulis orbatus perfremit ursus,
Omnia prosternens, conculcans dilaniansque
Obvia; talis ego lacerabo pectora eorum
Nescia molliri, et diffindam viscera dura
More leonino, alterius seu bestiae agrestis,
Quando imbelle pecus lanians manditque trahitque.

9. שִׁחֶתְךָ quidam habent pro *nomine*, formae שִׁלֵּם, Deut. XXXII, 35., דִּבֵּר Jerem. V, 13., קִטֵּר Jerem. XLIV, 21., cum suffixo, q. d. hoc *perditio tua* est. Aliis vero est *verbum*, et secunda quidem persona Praeteriti Piel cum suffixo. Sic Jarchi: *Perdidisti te ipsum, o Israel, quia contra me* praevaricatus es, rebellasti *contra auxilium tuum*. Vel: *perdidisti te, o Israel, quando contra me, contra auxilium tuum,*

tuum, te perdidisti. Rectius vero et minus ἀνομαλῶς שִׁחֶתְךָ pro tertia Praeteriti Piel persona, hoc sensu: id *perdidit te, o Israel, quod contra me, contra auxilium meum* praevaricatus es. Ita Kimchi aliique. Factum vero id est, ut ex sequenti Versu 10. recte observat Schmidius, quando spreto Jova, rege et domino suo, regem, qualem vicinae habuere gentes, a Samuele postularunt, 1 Sam. VIII, 5. seqq. Hic enim fons fuit exilii Israelis, cum reges, pejores semper facti, Jovam prorsus deseruerunt, et secum populum in superstitiones et idololatriam traxerunt, unde caussae exitii, ex quo nec rex, nec principes (quibus nimium confisi sunt, vid. X, 3.) eos liberare potuerunt. Postquam nimirum Deus hactenus Israelitis multiplicem idololatriam (Vs. 2.) et oblivionem sui (Vs. 6.) exprobravit, et gravissimas poenas denuntiavit (Vs. 7. 8.), nunc ad initium et fontem omnis mali et perditionis ascendit. כִּי־בִי *Quod contra me,* scil. *fuisti,* vel *rebellasti,* cf. VII, 13. Jesaj. I, 2. Jerem. II, 8. בְעֶזְרֶךָ *Contra auxilium tuum;* respicit ad Deuter. XXXIII, 26. 29. Cf. Psalm. XXXIII, 20. Rittershusius:

Propria in exitium, Israel, te facta dedere,
Porro datura etiam patrantem talia porro,
Humanum licet auxilium tibi polliceare,
Infirmum, fallax, et vanum, sicut homo ipse est.
Verum ego sum tua sola salus, opiferque tibi unus
Auxilium minime fallax praestare paratus,
A me pendentique exspectantique salutem.

Chaldaeus hunc Versum sic exponit: *Quando perdiderunt vos, domus Israel, opera vestra, dominatae sunt in vos gentes; ubi vero ad legem meam rediistis, verbum meum vobis auxilio erat.* Hieronymus ita vertit: *Perditio tua, Israel; tantummodo in me auxilium tuum.* Ad quae in Commentario: „Infelix Israel, et dignus maledictione perpetua, qui in tantum descendit impietatis profundum, ut solius Dei salvetur misericordia. Potest autem in Hebraeo et hoc sensu legi: dispereas Israel, quia nihil tibi reliquum est, nisi ut mea solum clementia conserveris. In LXX autem

alter

alter eſt ſenſus: *corruptioni tuae, Iſrael, quis auxiliabitur?* id eſt, captivitati tuae, et ultimae ſervituti quis ferre poterit auxilium eorum, quos tibi praeſules aeſtimaſti?“

10. Primum Verſus vocem, אֱהִי, interpretum plures habent pro prima Futuri apocopati perſona verbi הָיָה (pro אֶהְיֶה), neque tamen in ſenſu verborum conſtituendo conſentiunt. Sunt, qui ita exponant: *ero*, i. e. ſemper maneo idem, et conſtanter paratus ſum me oſtendere beneficum erga homines. Alii, ut Jarchi, conjungunt cum verbis proximis, מַלְכְּךָ אֵפוֹא, hoc modo: ſtabo e regione ut videam, ubi ſit rex tuus, et quisnam ſit exitus tuus, atque ubi ſit qui te ſervet? Alii ſenſum ſic faciunt: ero, maneo rex tuus; ubi vero ſunt illi quos mihi opponis, quaſi qui te ſalvos reddere poſſint? Ut Jova aſſerat jus dominii in Iſraelitas, etiamſi ab illo defecerint. Interpres Arabicus nondum editus, Pocockio laudatus: قوله אהי מלכך يريد به اين الذي كان يقول لك انا اكون ملكك *Verbis ero rex tuus hoc vult: ubi eſt ille, qui tibi dixit: ego ero rex tuus.* Quae quidem omnia quam ſint inconcinna et languida, non eſt quod moneamus. Sed vix dubium eſt, אֱהִי cum אֵפוֹא junctum eſſe interrogationem *ubi eſt?* Ita LXX, Vulgatus, Chaldaeus, Syrus, item ex Hebraeis Abu-Walid, Dſchannabi, et R. Tanchum a Pocockio in Commentario ad h. l. laudati. Eſt enim אֵי per He in medio auctum et magis adſpiratum, et idem quod אַיֵּה. Cf. Vs. 14. מַלְכְּךָ *Rex tuus,* in quo confidis, X, 3., et quem jam olim putaſti te ſervaturum. אֵפוֹא *Nunc*, particula in interrogationibus adhiberi ſolita, vid. Geneſ. XXVII, 33. Jud. IX, 38. וְיוֹשִׁיעֲךָ Q. d. adſit nunc *et ſervet te,* ſi poſſit. Innuit regem eorum mox cum ipſis periturum, nec ſemet ipſum, multo minus alios, ſervaturum. בְּכָל־עָרֶיךָ *In omnibus urbibus tuis*, quippe quae mox auxilio ejus ſummopere opus habebunt, quando veniet hoſtis eas everſurus. Cf. Mich. V, 13. וְשֹׁפְטֶיךָ *Et judices tui* ſcil. ubi nunc ſunt? Non intelligendi illi judices, qui ante reges rem Hebraeo-

rum

rum publicam administrarunt, sed proceres et principes, qui sub regibus servierunt; cf. supra VII, 7. Alii ipsos *reges* intelligunt, collato 1 Sam. VIII, 5. *Da nobis regem* לְשָׁפְטֵנוּ *qui nos judicat.* אֲשֶׁר אָמַרְתָּ *De quibus dixisti,* vid. 1 Sam. VIII, 5. seqq. תְּנָה־לִּי מֶלֶךְ *Da mihi regem,* quum me rege ac principe tuo contentus ac felix esse potuisses. 1 Sam. X, 19. וְשָׂרִים *Et principes;* cf. VIII, 4. Exponitur hic, quomodo *se corruperit Israel,* dum peccavit contra Jovam, auxilium suum (Vs. 9.), et regem petiit. Sensus nimirum est: perdidisti te, o Israel, quando contra me, contra tuum sospitatorem peccasti, regem petendo. Id quod clare docet eventus. *Ubi enim nunc est rex tuus,* quem putasti te servaturum? *Servet te jam!* Rittershusius:

Rex ego sum vester. Sed rex ubi nunc latet alter?
Servandi nunc tempus adest: nunc urbibus usus
Est firmis: nunc te tutentur moenia ab hoste,
Vindicibusque tuis, quod agant, nunc satque superque est,
Quos te importune quondam petiisse recordor:
Da Regem, da, Jova, Duces, ne lecta tibi gens
Deteriore aliis populis sit conditione
Sit qui defendat me, et proelia misceat hosti.

11. אֶתֶּן־לְךָ *Dabam* itaque *tibi*, Israeli decem tribuum, cum Juda et Benjamine. Grotius: „*Dedi* jam saepius *tibi*, i. e. iratus peccatis vestris sivi vos per seditiones ac caedes mutare reges pro lubitu.“ Similiter Tarnovius: *dare soleo*, coll. 2 Reg. XV. et XVIII. item Jes. III, 4. Sed rectius alii verba nostra ad Saulem referunt. *Futuro* autem Hebraei in narrationibus saepe pro *Praeterito* sive *Imperfecto* utuntur, vid. Exod. XV, 6. 7. Jud. II, 1. subaudito Vau conversivo, ut supra VI, 1. מֶלֶךְ *Regem*, proterve postulatum 1 Sam. VIII, 5. 19. X, 19., scilicet Saulum, uti diximus. Nam neque Jeroboamum (de quo id accipiunt quidam, coll. 1 Reg. XI, 9.), neque Assyrium, neque ullum alium regem a Deo petierunt; sed constitutionem potius Reipu-

Reipublicae per regem aliquem, qui perpetuos ſucceſſores haberet. בְּאַפִּי *In ira mea,* vid. 1 Sam. XII, 17. 19. וְאֶקַּח *Et nunc auferam* eum per Aſſyrium. Neque enim ad Saulum hic reſpicitur, quod alii volunt, coll. 1 Sam. XXXI, 7., ſed in genere ad regem, ſeu regiam dignitatem Iſraelis; cf. ſupra I, 4. III, 4. לָקַח *auferendi* ſignificatione vid. ſupra II, 11. Geneſ. XIV, 11. בְּעֶבְרָתִי *In furore meo,* de quo cf. Vs. 7. 8., et ſupra II, 5. 6., ut praedictum etiam fuit 1 Sam. XII, 14. 15. Hieronymus: „Tu enim dixiſti: *Da mihi regem et principes;* itaque dedi tibi Saulem regem in furore meo, in tantum ut in diebus meſſis pluviam demonſtrarem contra naturam Judaeae provinciae. Et abstuli, inquit, in indignatione mea regem, videlicet Sedeciam; ut quem cum furore dederam, tollerem cum indignatione. Alii arbitrantur datum in furore regem Jeroboam, filium Nabath, et ablatum in indignatione Oſee, ultimum regem decem tribuum. Hoc quod expoſuimus: *dedi tibi regem, et abstuli* regem *in indignatione mea,* Hebraei ad futurum tempus referunt. Eo, inquit, tempore, quo dicebas: da mihi regem et principes, ego tibi reſpondebam per Samuelem, quod daturus tibi eſſem in furore meo, et ablaturus in indignatione mea." Rittershuſius:

Indignante animo ſic regem conciliavi
Ipſe tibi, poſtquam haud ſat erat tibi Jova, tuus rex,
Pertaeſi antiqui imperii morisque patriti.
Iratusque velut dederam tibi regia ſceptra,
Iratus ſic rurſus adimam tibi regia ſceptra,
Et reges abolebo tuos, proceresque ſuperbos.

12. צָרוּר *Ligata,* colligata, et quaſi in faſciculo aut crumena conſtricta eſt. Cf. ſupra IV, 19. Prov. XXX, 4. Hieronymus: „Quomodo, ſi ligetur quid in ſacculo, conſervatur et non perit ei, cui ligatum eſt; ſic omnis iniquitas, qua in Deum peccavit Ephraim, colligata eſt ei, et abscondita, et quaſi in marſupio reſervatur." Cf. Job. XIV, 17. עֲוֹן אֶפְרַיִם Cum aliis omnibus etiam haec *iniquitas Ephraimi,*

Ephraimi, qua regem poſtulavit, Vs. 10. 11. Cf. VII, 1. צְפוּנָה חַטָּאתוֹ *Reconditum eſt peccatum ejus* in memoria Dei, cf. Job. XXI, 19. Chaldaeus: גְּמִירִין לְאִתְפְּרָעָא כָּל חוֹבֵיהוֹן *ſervata ſunt ad vindictam omnia peccata eorum.* Dixerat nempe Deus (Vs. 11.), ſe, quem olim iratus eis dediſſet regem, eundem ipſis incenſus ablaturum. Dubitare autem aliquis potuit, an peccatum ante aliquot ſecula commiſſum tam longo intervallo vindicetur. Quod utique futurum, certiores illos his verbis facit. Rittershuſius:

Ephraimitarum aſſervantur faſce revincta
Crimina, peccatumque ipſorum ſcrinia claudunt
Intima, dum poenas inimica a gente repoſcam.

13. Deſcribitur effectus iſtius colligationis et reconditionis peccatorum (Vs. 12.), eorum poena: חֶבְלֵי יוֹלֵדָה יָבֹאוּ לוֹ Ideo *dolores* graviſſimi, quales ſunt *parturientis venient ei.* LXX: *ὠδῖνας ὡς τεκούσης*, 1 Theſſ. V, 3. Chaldaeus: עָקָא וְזִיעַ כְּחֶבְלֵי עַל יָלְדָה יֵיתוֹן עֲלוֹהִי *anxietas et tremor venient ſuper eum, ſicut dolores ſuper parturientem.* Cf. Jeſaj. XXVI, 17. Jerem. XLIX, 24. Mich. IV, 9. 10. הוּא־בֵן לֹא חָכָם *Ipſe* enim *filius* eſt *non ſapiens*, imo maxime inſipiens et ſtultus, dum neglecto me (Vs. 6.), rege ac domino ſuo (Vs. 4. 5.), non ſolum alium regem poſtulavit (Vs. 9. 10.), ſed plures etiam deos ſibi colendos conſtituit, Vs. 1. 2. Chaldaeus: הוּא בַר דְּאִתְרַבִּי וְלָא חַכִּים לְמִידַע דַּחֲלְתִּי *ipſe eſt filius, qui educatus* quidem, *ſed non ſapiens, ut me vereri diſcat.* כִּי־עֵת לֹא־יַעֲמֹד בְּמִשְׁבַּר בָּנִים *Nam* alioqui per *tempus* aliquod *non ſtaret in ruptura filiorum*, i. e. in loco, unde erumpant filii, in matrice, quaſi foetus ſibi non conſulens, neque ex utero erumpens. Allegoria ſignificat, Ephraimum non ſapere, quod tamdiu differat poenitentiam agere, ac ſic ſemet eximere e calamitatibus et anguſtiis: in iis enim qui verſatur, comparatur cum foetu, qui diutius in ore matricis haeret. Vel poſſunt verba hebraea ſic verti: *nam tempus* pariendi adeſt; verum *non ſtat in matrice*, id eſt, Chaldaeo explicante, *nunc*

enim

enim adducam ſuper eum anguſtiam, qualis eſt feminae ſedentis in ſella partus, nec valentis parere. Quod Hebraeis adagiale fuiſſe, apparet ex hisce Hiskiae regis verbis 2 Reg. XIX, 3. Jeſaj. XXXVII, 3. *Dies anguſtiae et vindictae et contumeliae hodiernus dies eſt;* כִּי־בָאוּ בָנִים עַד־מַשְׁבֵּר וְכֹחַ אַיִן לְלֵדָה *nam venerunt filii ad orificium uteri, ſed nullae ad pariendum vires ſuppetunt.* A מַשְׁבֵּר in loco Jeſajano uſurpato ſignificatione non videtur differre noſtrum מִשְׁבָּר, quod nominis *matrici* ſe : *uteri orificio* inditum fuerit, quod in partu quaſi rumpatur. Jarchi cum Chaldaeo exponit *ſellam parturientis,* ſed Kimchi per רֶחֶם, *uterum,* quem ita appellatum exiſtimat a frangendis doloribus, qui tum mulieri parienti, tum ipſi foetui in articulo partus obveniunt. Ludov. de Dieu: *quia tempus* eſt, ut *non maneat in ore matricis filiorum,* et tamen manet; hoc ſignum inſipientiae. Rectius, interpretationi a nobis ſupra propoſitae convenienter, Rittershuſius:

Namque velut mulier, maturi pondera ventris
Quae geſtat, decimi cum jam jam exordia menſis
Attigit, et foetus robuſtior appetit auras.
Condolet ex utero, ſubitisque doloribus intus
Rumpitur, et capitis mitramque pilosque revellit,
Neſcia quid faciat, miſera, aut quo ſe anxia vertat:
Sic etiam ſubito gens haec correpta dolore,
Conſilii omnis inops, quonam ſe denique vertat
Neſciet, inſipiens ſoboles, et filius excors;
Nam tanto non haereret matricis in ore
Tempore, nec matri cruciatum parturienti
Tam longum faceret. — — —

Hieronymus מַשְׁבֵּר poſt LXX [ἐν συντριβῇ τέκνων] *contritionem* ſignificare putat, totumque Verſum ſic vertit: *Dolores parturientis venient ei, ipſe filius non ſapiens, nunc enim non ſtabit in contritione filiorum.* Quae in Commentario hoc modo illuſtrat: „Quum dies ultionis advenerit, et extrema captivitas, dolores quaſi parturientis venient ei, ſive apprehendent illum. Mulier parturiens multo antequam

tequam pariat, ex eo tempore quo concepit, ſcit ſe eſſe parituram, et exſpectat quotidie extrema tormenta cruciatusque venturos. Ita et Ephraim filius inſipiens, de quo ſupra [VII, 11.] dixerat: *Ephraim columba inſipiens, non habens cor*, in contritione filiorum aut populi ſui, quum dies parturitionis et captivitatis advenerit, aut ſtare aut ſufferre non poterit. Pro *inſipiente filio* in LXX per ironiam legitur: *iſte filius ſapiens* [οὗτος ὁ υἱὸς ὁ φρόνιμος], hoc eſt, quem ſapientem putabas, ut e contrario intelligatur inſipiens."

14. Si reſipuerint, inquit Deus, nullum erit tam forte vinculum, quo ipſos non ſolvam, etiam a morte et ſepulchro ipſos vindicabo. מִיַּד שְׁאוֹל אֶפְדֵּם מִמָּוֶת אֶגְאָלֵם *E manu*, poteſtate, *orci eos redimam, a morte eos redimam*, id eſt, niſi per ipſos ſtaret, ego voluntarius eſſem eorum redemtor et liberator. Profitetur Deus ſe adeſſe ad implendum munus redemtoris, ſed obſtare iſtorum in malefaciendo pervicaciam, qui malint perire, quam ſe ad Deum ac dominum ſuum convertere. Verbum פָּדָה, proprie, *ſoluto pretio quem redimere* (vid. Pſ. XLIX, 8. 9. 1 Sam. XIV, 45.), et גָּאַל *jure cognationis aliquem vindicare* conſtat, vid. not. ad Job. XIX, 25. Utrumque autem tum latiori nonnumquam ſenſu accipitur de liberatione e malo quo demumcunque legitimi et potentis vindicis interventu, et illud quidem ſupra VII, 13. 2 Sam. IV, 9., hoc Job. V, 20. Jeſaj. XLIII, 1. Pſ. CVII, 2. שְׁאוֹל *Orcus*, defunctorum communis quaedam manſio, vid. e. c. Geneſ. XXXVII, 35. Jeſaj. XIV, 9. 11. 14. Job. XIV, 13. al., hoc loco ſenſu convenit cum מָוֶת. Addit poſtea: אֱהִי דְבָרֶיךָ מָוֶת אֱהִי קָטָבְךָ שְׁאוֹל, *ero enim peſtis*, perditio *tua mors! ero excifio tua, orcus!* Quibus verbis ſuam commendat et amplificat Deus virtutem in ſervandis et liberandis hominibus, q. d. etiamſi jam mortui ſint homines, hoc tamen non obſtare, quo minus eos vitae reddat, *eſſe* enim *ſeſe interitum mortis, et excifionem orci*, i. e. quamvis mors abſorbeat omnia, tamen ipſum ſuperiorem

periorem esse morte. אֱהִי LXX reddunt ποῦ; quomodo a cipiendum vidimus, supra Vs. 10. Illos sequutus est Paul qui 1 Cor. XV, 55. nostrum locum laudat. Nec aliter Syr R. Tanchum et Abu-Walid apud Pocockium in Comment ad h. l. Nos cum Hieronymo capimus pro prima Fut persona, quae contextui egregie convenit, quum אֶפְדֵּם אֶגְאָלֵם praecesserint. Ita et interpres Arabicus inedit Pocockio laudatus: كون وباء للموت واكون حتفا للثري *ero pestis morti, et ero excidium sepulchr* דְּבָרֶיךָ etsi toties alias in V. T. *verba tua* significet, tam quin hic *pestem, perniciem* notet, nemo, opinor, dubitav rit, qui hunc locum diligenter expenderit cum Ps. XCI, collatum, ubi similiter cum nomine קֶטֶב, *exitium* notant jungitur דֶּבֶר, *pestis.* Notat Abu-Walid, et Arabicum بر obtinere notionem verbi هلك *interire, destrui,* et بوار esse idem quod الهلاك *pernices.* Quod Apostolus l. pro דְּבָרֶיךָ κέντρον posuit, Drusius conjicit hinc factu quod literis transpositis דרבנך legerit; est enim דָּרְבָן *stim lus.* Pocockius vero cogitat de Arabico نابرة *calcar avi quo percutit.* In plurali autem hic dicitur, ut *mortes* leg mus Jesaj. LIII, 9. Ezech. XXVIII, 10. קֶטֶב idem quod זב *succisio, excidium,* Jesaj. XXVIII, 2. Abu-Walid inte pretatur الحتف بالعصوف المهلك *excidium per v hementiam perdentem.* Affine est verbo חָטַב, *succider* Kimchio observante, qui ad h. l. laudat Targum Hierosol mitanum, in quo Deut. XIX, 5. pro Hebraeo חָטוֹב עֵצִים *ad succidendum ligna,* legatur לְמִקְטַב אָעִין. Nostrae t men editiones hodie habent לְמִקְטַע. Rittershusius:

— — Quod si resipiscere malint,
Nulla tibi tam firma obstabunt vincula, quae non
Diffringam, et praestabo piorum libera colla.
Ex ipsa redimam defunctos scrobe sepulchri,
Infernusque animas magna virtute reductas
Restituet, frustra et fremet insatiabilis Orcus.

Mo

Mors enim hos reddet, quos faucibus abdidit atris.
Peſtis ero tibi, mors, tibi, dirum, Inferne, venenum.
Ut vos ante homines noſtros demergere ſueſtis
Exitio, exitium ſic vobis ipſe creabo.

Hieronymus: „In eo loco, ubi LXX transtulerunt *ubi eſt cauſſa tua?* [ποῦ ἡ δίκη σου θάνατε;], et nos diximus: *ero mors tua, o mors!* Symmachus interpretatus eſt: *ero plaga tua.* Quinta Editio et Aquila: *ubi ſunt ſermones tui?* quod hebraice ſcribitur *Dabarach*, legentes *Dabar*, hoc eſt, *verbum*, pro *Deber*, quod interpretatur *mors*, juxta illud quod in Iſaja [IX, 7.] legimus; *Mortem miſit Dominus in Jacob et venit in Iſrael*, hoc eſt, *Deber*, pro quo nos interpretati ſumus: *Verbum miſit Dominus in Jacob, et venit in Iſrael*, hoc eſt, *Dabar*. Pro *aculeo* quoque [ex Graeca τῶν LXX interpretatione, qua קָטָבְךָ redditum: ποῦ τὸ κέντρον σου;], quem nos *morſum* transtulimus, Symmachus ἀπάντημα, id eſt, *occurſum*, Theodotio et Quinta Editio *plagam* et *concluſionem* interpretati ſunt.“ Nomen קֶטֶב Graecus Alexandrinus videtur ſignificatione cepiſſe Arabici قُطْبَةٌ *cuſpis* i. e. ſcopi, quo jactum ſagittarius dirigit. Chaldaeus Hebraea inde ab initio Verſus ſic exponit: *Domus Iſraelis quod attinet, e manu mortis eos eripui, et ab exitio eos liberavi; nunc vero erit verbum meum in eos ad mortem, et effatum meum in exitium.* Vocem דְבָרֶיךָ et hunc interpretem *verba tua* vertiſſe patet. Sequuti eum Jarchius et Kimchius, quorum ille hoc Scholion apponit: „*Nunc ero verbum tuum, mors,* id eſt, comparabo me ipſum, ut pronunciem adverſum te verba mortis.“ Kimchius vero nexum cum ſuperioribus et verborum ſenſum pluribus ſic declarat: „Nunc vero, quum minime ſapiens ille ſit, ſed fatuus, ac meam beneficentiam renuit agnoſcere, non tantum non liberabo te ex morte, verum et mortem inſuper tibi ſum immiſſurus, ſive peſtis eam inferat, ſive hoſticus te perimat gladius, vel conſumat ferarum rabies. Igitur dum ait *verba tua*, perinde valet,

valet, ac si dixisset: *verba mea*, quae ad te emisi, tamen auribus percipere vocem meam nolueris; hinc mortis causa existet. Dicit ergo דְּבָרֶיךָ pro דְּבָרַי. Sic saepe venit, quae per pronomina ad aliquem referuntur ad *agentem* recidere, vel ad *patientem*; nimirum sicut J LVI, 7. בֵּית תְּפִלָּתִי, *domus precationis meae*, i. e. prec quas tu ad me fundis, ita דְּבָרֶיךָ, *verba tua*, sunt ea, q missa sunt ad te." Sed perquam duram et inconcin esse phrasin *ero verba tua mors* pro eo quod dicere volu *decernam tibi mortem*, quisque ipse intelliget. R. Tanc דְּבָרֶיךָ exponit أسبابك *caussas tuas*, vel, *instrumenta* Paulus, Apostolus, dum 1 Cor. XV. in eo erat, ut mort rum demonstraret resurrectionem, multisque usus argum tis extra omnem dubitationem posuerat; subjungit Vs. 55. Τότε γενήσεται ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος· κατεπόθη ὁ νατος εἰς νῖκος. Ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; ποῦ ᾅδη, τὸ νῖκος; *Tum eveniet*, in resurrectione videl mortuorum, quam deberi acceptam virtuti resurrecti Christi, Apostolus Vs. 12. seq. evicerat, quaeque tum e n naturalis mortis, tum e culpa, meritura aeternam, reden in Christum credentes vindicatosque plenissime patefa *id quod scriptum est: absorpta est mors in victori ubi aculeus tuus, mors? ubi victoria tua, infer* quorum alterum sumtum e Cap. XXV, 8. Jesajae, alte totidem verbis repetitum e loco nostro. Hinc in Christia tum antiquis, tum recentioribus, plures extiterunt, nostro loco promissionem contineri existimarent absolut mae et humano generi universo profuturae redemtionis Messiam, disjectaeque pariter, morti et inferno quae fu in miseros, potestatis. Quam sententiam defensorem quo nactam esse Aurivillium in peculiari in hunc locum Dis tatione (*Dissertatt a J. D. Michaele junctim editt.* p. 41 miror. Multo sanius ea de re Calvini est judicium, q legitur in Ejus *Praelectionibus in duodecim Prophe quos vocant minores*, p. 165. edit. Genev. 1559. fol. „Q putabant," inquit, „multi interpretes, hunc locum ci

a Pa

a Paulo, ſimul etiam expoſuerunt de Chriſto quicquid hic dicitur, ac multis modis errarunt. Primo dixerunt, Deum hic redemtionem promittere absque ulla conditione; videmus autem, longe diverſum fuiſſe prophetae conſilium. Poſtea ſumſerunt in perſona Chriſti: *de manu ſepulchri redimam eos.* Quamquam infernum etiam nimis argute putarunt vocari tormenta, quibus cruciantur reprobi, vel locum ipſum tormentis deſtinatum. Sed propheta variis verbis idem repetit, et nota eſt ſatis illa phraſis Hebraica. *Sepulchrum* ergo hoc non differt a *morte:* quanquam Hieronymus hic laborat, et contendit, longe aliud eſſe ſepulchrum, quam mortem; ſed illud totum eſt nugatorium. Deinde quum dicit propheta: *ero exciſio tua, inferne!* poſuerunt nomen *morſus,* et allegorice expoſuerunt, Chriſtum fuiſſe inſtar hami. Quemadmodum ergo vermis, ſi hamo aptatur, quum voratur a piſce, eſt illi interitus, ita etiam Chriſtum dixerunt, quum depoſitus fuit in ſepulchrum, fuiſſe morſum letiferum; quia ſicuti hamo capiuntur piſces, ita mors ineſcata fuerit morte Chriſti. Et argutiae illae magno plauſu acceptae fuerunt, ideo in toto Papatu ſine controverſia hoc pro oraculo viget, quod Chriſtus fuerit morſus mortis. Sed interea ſi quis propius prophetae verba expendat, videbit illos inſcite et turpiter abuſos fuiſſe prophetae teſtimonio. Atqui nobis ſummopere ſtudendum eſt, ut maneat vera et certa Scripturae intelligentia. Jam videndum eſt quid reſpondebimus, quum tamen videatur Paulus citare hunc locum. Solutio facilis eſt. Neque enim ex profeſſo ſemper locos adducunt Apoſtoli, qui toto contextu ad inſtitutum quod tractant pertineant; ſed interdum alludunt ad unum verbum duntaxat, aliquando aptant locum ad ſententiam per ſimilitudinem; aliquando adhibent teſtimonia. Ubi Apoſtoli utuntur Scripturae teſtimoniis, illic quaerenda eſt ſimplex et genuina veritas; ubi autem verbum unum duntaxat perſtringunt, non eſt tam anxie laborandum; ubi etiam per ſimilitudinem deſignant aliquem Scripturae locum, eſt illa etiam nimis ſcrupuloſa anxietas

quaerere, quomodo singulae partes conveniant. Atqui
constat, Paulum illo XV. Capite primae ad Corinthios
stolae non citasse prophetae testimonium ad confirman
illam doctrinam, de qua disserit." Sed redeamus ad va
nostrum. Is sub finem Versus haec addit: יִסָּתֵר מֵעֵינָי
poenitentia abscondetur ab oculis meis (cf. eandem phi
Jesaj. LXV, 16.), i. e. non ducar unquam poenitudine;
nitere autem Deus dicitur, cum mutat sententiam, nec
id, quod facere decrevit. Decrevit autem Deus per
populum Israeliticum, quod inde a Versu 3. variis decl
vit imaginibus. Non est igitur, inquit, quod speretis t
poris successu me posse mitescere; hoc mihi enim man
fixum, vos in nihilum redigere, quia estis desperati.
hoc solo loco obvium significatione *poenitentiae* sumend
convenit inter plerosque, coll. Jerem. XXVI, 3. XLII,
נִחַמְתִּי אֶל־הָרָעָה, *poenitet me immissae calamitatis.*
consolationem interpretantur, a Piel verbi נָחַם, quo
consolari, unde Jesaj. LIV, 11. לֹא נֻחָמָה *nulla affecta*
solatione. Ita LXX *παράκλησις*, quos Hieronymus sequ
Nec orietur ea adscita significatione incommodus nostri
sensus, q. d. non est quod miretur quispiam, me tam as
loqui, et nihil aliud quam fulminare contra populum m
neque enim jam consolatio apud eos locum habet, quia
sperata populi malitia non patitur, ut stylum ad consu
dinem inflectam, et faciam aliquam spem veniae et sal
Aliam vocis נֹחַם interpretationem recitat Jarchi, quasi
quies eorum abscondetur ab oculis meis. Crediderin
respexisse Chaldaeum, dum sic fuit interpretatus,
transgressi sunt legem meam, removero habitationem n
ab ipsis. Sed ne jam e contextus ratione id refella
Jarchi satis probavit, quod Patach syllabae posterior
priori appositus Accentus nequaquam patiantur ejus
expositionem.

15. Iterum confirmat Deus sententiam illam,
Israel frustra confidat suis opibus et praesidiis, et
in

immineat ei certus interitus ob scelera, quae sine fine et modo prosequutus fuerat. כִּי הוּא בֵּין אַחִים יַפְרִיא *Nam ipse* quidam Ephraim (Vs. 12. memoratus) *inter fratres*, inter reliquas tribus, Jacobi filiis oriundas, *augescit*; alludit ad nomen אֶפְרַיִם, quod a sobolis incremento ei inditum; tribus Ephraim enim et numero hominum, et aliis etiam modis dignitate ceteras superavit. Cf. votum Jacobi, Ephraimo bene precantis Genes. XLVIII, 19. *Certe frater ejus* [Manassis] *minor illo evadet major, complebitque ejus propago gentes.* Verbum יַפְרִיא referendum ad פָּרָה *fructificavit*, ut bene Jarchi: *efflorescens ac progerminans*, ratione, quam Aben-Esra monstravit. „Scriptum," inquit, „יַפְרִיא pro יַפְרֶה, quemadmodum הֶחֱלִיא (cum defectu τοῦ א occurrit hoc Jesaj. LIII, 10.) est pro הֶחֱלָה." Alii nostrum verbum interpretantur: *ferox est*, s. *ferociter agit*, sicut *onager*, פֶּרֶא, supra VIII, 9. Jerem. II, 24. Genes. XVI, 12. Huc referendus forsan Chaldaeus: *Namque illi appellantur quidem filii, sed probrosa opera adauxerunt.* LXX: Διότι οὗτος ἀναμέσον ἀδελφῶν διαστελεῖ, quod sequutus Hieronymus: *quia ipse inter fratres dividet.* Ejus explicationis et Jarchi mentionem facit. „Alius," inquit, „exstat haec exponendi modus. Per בֵּין אַחִים יַפְרִיא, *inter fratres divisit*, Jeroboamum propheta indigitat, quippe hic filiorum unus fuit, qui avitam Israelis possessionem decerpsit, quando effecit ille, in duo ut regna lacerentur." Etsi vero ea interpretatio collato Arabico فَرِيَ *scidit, diffidit*, commendari possit; ea tamen, quam primo loco posuimus, interpretatio sensum magis concinnum efficere videtur. יָבוֹא קָדִים Sed *veniet eurus*, XII, 2., ventus plantis et fructibus inimicus et noxius ac torrefaciens, vid. Ezech. XIX, 12. Jon. IV, 8. רוּחַ יְהוָה *Ventus Jovae*, i. e. a Jova missus, ut Jesaj. XXVII, 8. XL, 7. מִמִּדְבָּר עֹלֶה *E deserto ascendens*, turbulentus et rapidus, vid. Jesaj. XXI, 1. et Job. I, 19. atque ibi not. nec non Jerem. XIII, 24. Hostis barbarus regnum Israeliticum destructurus comparatur cum euro ob rigorem,

et cum vento, qui e deserto advenit, ob ingentem impetum. וְיֵבוֹשׁ מְקוֹרוֹ *Et exarescet scaturigo ejus*, ut Jerem. LI, 36. וְיֶחֱרַב מַעְיָנוֹ *Et exsiccabitur fons ejus*, omnis vis et vigor regni consumetur, ut respublica eorum funditus evertatur. Cf. supra IX, 16. הוּא יִשְׁסֶה *Ille*, hostis cum vento comparatus, *praedabitur*, Ps. XLIV, 11. 1 Sam. XXIII, 1. Chaldaeus: *Nunc adducam super eos regem fortem instar venti orientalis; Jovae jussu e via deserti ascendet; destruet domum thesauri ejus, diruetque urbem regiam ejus.* אוֹצַר כָּל־כְּלִי חֶמְדָּה *Thesaurum omnis vasis desiderii*, thesauros rerum omnium desiderabilium, pretiosarum, ut Jer. XXV, 34. Nah. II, 10. 2 Paral. XXXII, 27. Divitiis et opibus suis insolentius gloriatos esse Ephraimitas, intelligitur comparatione eorum, quae supra II, 10. XII, 9. leguntur. Eaedem, quae hic contra Ephraimitas, minae de thesauris diripiendis contra Judaeos exstant Jerem. XV, 13.

Cap. XIV, 1. Arcte cohaeret hic Versus cum superioribus, recteque igitur a plerisque interpretibus Capiti praecedenti accensetur. תֶּאְשַׁם Chaldaeus et Syrus vertunt *rea fiet*, ab אָשַׁם. Ita et Jarchi: „Ex hoc usque tempore erit conspicuum, eum ex delicto teneri.“ Alii ad שָׁמַם *desolatus fuit*, referunt. Ita LXX: Ἀφανισθήσεται. Hieronymus: *pereat*. R. Tanchum: تتخرب وتتخلا وتتوحش *vastata, evacuata, et deserta erit.* Et sane, quum prius hujus Versus membrum sit quaedam ἀνακεφαλαίωσις praecedentium, et vatis scopus hic sit, exponere, et qua de caussa subiturus esset Israel denunciatas modo miserias, et quoque in quam tristes aerumnae eae essent erupturae, liquet *desolandi* verbum hic magis quadrare. שֹׁמְרוֹן *Samaria.* „Saepe,“ inquit Hieronymus, „diximus, decem tribus appellari Samariam a metropoli Samaria, quae ex nomine Augusti nunc vocatur Augusta, id est, Sebaste.“ כִּי מָרְתָה *Quia rebellis fuit*, Deut. XXI, 18. 20. Thren. I, 18. Sic LXX: ὅτι ἀντέστη, et Chaldaeus: אֲרֵי סְרִיבַת, *quia rebellavit.* Alii cum Vulgato: *exacerbavit* Deum suum, coll. XII,

XII, 15., sed invita constructione, et forma verbi intransitivi. בֵּאלֹהֶיהָ *Contra* Jovam *Deum suum,* XIII, 4. Chaldaeus: *contra verbum Dei,* dum contra foedus cum eo initum, et contra admonitiones ejus ad alios deos defecit; quod in mente habuit Arabicus nondum editus interpres, Pocockio laudatus, qui ita vertit: لانها عصت بمعبودات *quia rebellavit per idola,* s. *cum idolis.* בַּחֶרֶב יִפֹּלוּ *Gladio cadent* cives Samariae, et qui eo confugerunt; cf. VII, 16. עֹלְלֵיהֶם יְרֻטָּשׁוּ *Parvuli eorum illidentur,* cf. supra X, 14. et cf. not. ad Ps. CXXXVII, 9. וְהָרִיּוֹתָיו *Et foetae* s. *gravidae* mulieres populi Samaritani. *Jod mobile,* quod hic nonnullos offendit, habes etiam in פֹּרִיָּה, Ps. CXXVIII, 3., et in בּוֹכִיָּה Thren. I, 16. יְבֻקָּעוּ *Discindentur;* vide similem barbariem et crudelitatem 2 Reg. VIII, 12. XV, 16. Amos I, 13. *Partus* autem cum matribus gravidis *verbo masculino* includuntur.

Cap.

Cap. XIV.

A R G U M E N T U M.

Ad poenitentiam vates hortatur ſuos, optimamque praeſcribit orandi et poenitendi formam (Vs. 2. 3. 4.). Converſo vero populo magna promittit, eaque praeclaris ſimilitudinibus illuſtrat et amplificat (Vs. 5 — 9.). Significat tandem, optare ſe maxime, ut omnes intelligant, quae ſint parata et juſtis praemia, et pertinaciter impiis ſupplicia (Vs. 10.).

---

2. Poenas graviſſimas ob rebellionis foedum crimen populo in ſuperioribus vates indixerat; ad has averruncandas monet illum nunc, ut vera pietate tempeſtive Deo occurrat. Cf. Amos IV, 12. *Quia iſtud ſum facturus tibi, compares te in occurſum Deo tuo, o Iſrael!* שׁוּבָה יִשְׂרָאֵל עַד יְהוָה אֱלֹהֶיךָ *Revertere, o Iſrael, ad Jovam, Deum tuum,* quem reliquiſti idola colendo. עַד pro אֶל uſurpatum in eadem phraſi, *ad Deum ſe convertere,* praeter hunc locum et Deut. IV, 30. XXX, 2. Joel II, 12. Si vero, quae multorum eſt ſententia, voculâ עַד *usque ad* majus quid deſignetur, quam ſimplici אֶל, *ad,* exiſtimemus non infeliciter enucleaſſe vocis rationem, qui docuerunt, modum ſic inſinuari, quo inſtituenda converſio foret, videlicet non ficto conamine, ſed ſerio et conſummato ſtudio, ut terminus converſionis *ad quem* indicetur, q. d. non aliquatenus, ſed perfecte convertere, non deſiſtens, donec Deum contingas. Quaſi in animo haberi convertentibus debeat illud Pſalmi LXXIII,

LXXIII, 8. וַאֲנִי קִרֲבַת אֱלֹהִים לִי־טוֹב *Et me quod attinet propinquum eſſe Deo mihi bonum.* Id ipſum forſan expreſſurus Chaldaeus vertit: תּוּב לְדַחֲלְתָא דַיְיָ, *revertere ad timorem Domini.* כִּי *Ratio* movens ad poenitentiam, ut VI, 1. כָשַׁלְתָּ *Impegiſti*, ſ. *corruiſti*, IV, 5., in multas et graves incidiſti miſerias. Cf. Jeſ. III, 8. בַּעֲוֹנֶךָ *Per culpam tuam*; eadem ſententia ſupra V, 5. Nec quisquam alius, praeter Jovam, te ſervare aut reſtituere poteſt; ergo reſipiſce et ad eum convertere. Hieronymus: „Pereunte Samaria et viris ejus, et parvulis et praegnantibus occiſis, eliſis atque diſciſſis, totus Iſrael ad poenitentiam provocatur, ut qui infirmatus eſt, ſive corruit in iniquitatibus ſuis, revertatur ad medicum, et recipiat ſanitatem, vel ſtare incipiat, qui corruerat." Rittershuſius:

Nunc age, cui fuerant ſua crimina cauſſa ruinae,
Degener e priſco gens Iſraele profecta,
Idolis tandem redeas converſa relictis.
Ad Dominumque Deumque tuum, qui ab origine prima
Te populum eſſe ſuum jungit, ſervavit et auxit
Ornavitque te bonis tantis peccataque poenis
Caſtigans, ad ſe revocatque jubetque reverti.

3. קְחוּ עִמָּכֶם דְּבָרִים *Sumite vobiscum* (cf. eandem conſtructionem Geneſ. XXXI, 23. XLVIII, 1. Exod. XIV, 6. al.) *verba* ſcil. דְאִתּוֹדָאָה, *confeſſionis*, ἐξομολογήσεως (uti recte Chaldaeus ſupplevit), quae mox ſequuntur. Formulam enim precandi iis praeſcribit, quibus teſtentur, ſerio ſe reſipuiſſe. Ea acceptiora fore Deo innuit hoſtiis vel aliis muneribus, coll. Mich. VI, 6. Alii: obſequioſo animo *recipite* et ſumite *vobiscum*, nec oblivioni mandate vel negligite *verba mea*, coll. Prov. I, 3. II, 1. IV, 10. Job. XXII, 22. Sed praeſtat prior interpretatio, Chaldaei nixa auctoritate, quam et Kimchi tuetur. „Non poſtulat," inquit, „Dominus a vobis in poenitentia argentum et aurum, neque victimas, quas idolis ſuis magno ſumtu Iſraelitae profundebant,

bant, II, 10. 15. X, 1. XII, 12.); sed verba tantum bona, quibus confiteamini iniquitates vestras." Hieronymus: „Docetur, quomodo debeat agere poenitentiam. *Tollite,* inquit, *vobiscum verba,* id est, preces, et delictorum confessionem." וְשׁוּבוּ אֶל־יְהוָֹה *Et* ita, ut jam dictum est Vs. 2. *convertimini ad Jovam* toto animo, nec labiis tantum vestris, ut iterum Kimchi. Cf. II, 9. III, 5. VI, 1. אִמְרוּ אֵלָיו *Dicite ei,* Jovae; praescribitur formula confessionis, quemadmodum aliae formulae praescribuntur Jesaj. XLVIII, 20. Jerem. XXXI, 7. Ps. LXVI, 3. 1 Paral. XVI, 35. כָּל־תִּשָּׂא עָוֹן *Omnem aufer iniquitatem* nostram, culpam, qua ut onere gravati sumus, Ps. XXXII, 1. XXXVIII, 5. Eaedem preces Ps. LI, 11. Ceterum in nostris verbis est hypallage, qualis Ezech. XXIV, 17. XXXIX, 11., ubi vid. not. Recte Jarchi כָּל־תִּשָּׂא עָוֹן posita observat pro כָּל־עֲוֹנוֹתֵינוּ סְלַח, *omnes nostras iniquitates condona.* Abendana in Additamentis ad Commentarium *Michlal Jophi* dictum duas alias profert expositiones, vel, ut subaudito ante כָּל particula מ (מִכָּל), sit: *ab omnibus aufer iniquitatem,* vel: *omne tollas iniquitates* (כָּל־הֶעָוֹן), ut consummata sit remissio, Ps. CIII, 3. CXXX, 8. Verum quum utraque haec explicatio nitatur additamentis particularum מ et ה, nec evitet incommodum transpositionis, nihil est, cur vulgatiorem interpretationem rejiciamus. Hieronymus: „Convertimini ad Dominum tam verbis, quam operibus, et dicite ei: *omnem aufer iniquitatem,* nihil languoris et ruinae pristinae derelinquas, ne rursum mali seminis pullulent rediviva plantaria." וְקַח־טוֹב *Et accipe bonum,* i. e. in bonum, quasi sit לְטוֹב, in bonam partem scil. hanc nostram precationem. Grotius: *Acceptum habe* id *bonum,* quod nunc facimus, plane quasi non peccassemus." Chaldaeus: וְנִתְקַבַּל הָא כְּטָבִין *suscipiamur utique tanquam boni.* Alii: *acceptum* tribue, confer, *bonum,* i. e. justitiam et integritatem morum. Ita Bochartus *Hieroz.* P. I. L. II. C. XLI. T. I. p. 449. edit. Lips.: „Rogatur Deus, ut bonum de suo accipiat, quod nobis conferat. Sic Genes. XXI, 21. *Agar accepit* filio Ismael *uxorem*

ex Aegypto, nempe quam illi copularet. Ita etiam de Juda Geneſ. XXXVIII, 6. et Pſ. LXVIII, 19. de Deo: *accepit dona in hominibus,* nempe quae daret et distribueret. Proinde Apoſtolus Epheſ. IV, 8. pro *ἔλαβε* habet: *ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις.*" Sed Pſalmorum loco indicato verbum לָקַח rectius ſimpliciter *accipiendi* ſignificatu ſumitur. Hieronymus: „*Et accipe,* inquit, *bonum;* niſi enim tuleris mala noſtra, bonum tibi quod offeramus, habere non poſſumus, juxta illud quod alibi ſcriptum eſt [Pſ. XXXVII, 27.]: *Declina a malo, et fac bonum.*" וּנְשַׁלְּמָה פָרִים שְׂפָתֵינוּ *Et ſolvemus* grati pro illis beneficiis tuis (Pſ. L, 14.) *juvencos labiis noſtris,* i. e. laudes et gratiarum actiones, quas bovis immolati loco habeas. Cf. Pſ. CXVI, 12. 13. 17. CXLI, 2. Ante שְׂפָתֵינוּ ſubaudiendum ב, ellipſi haud infrequenti, veluti Jeſ. I, 20. חֶרֶב תְּאֻכְּלוּ *gladio conſumemini,* ubi vid. not. Alii cum Vulgato vertunt: *reddemus vitulos labiorum noſtrorum,* ſubintellecto nomine conſtructo ad praecedens nomen abſolutum, quaſi ſcriptum foret: פָּרִים פָּרֵי שְׂפָתֵינוּ, ut Jud. XVIII, 14. Ezech. XI, 16., ad quem loc. cf. not. Hieronymus: „*Vituli labiorum* laudes in Deo ſunt et gratiarum actio: *Sacrificium* enim *Deo ſpiritus contribulatus* [Pſ. L, 19.]. Igitur illo jam tempore, carnalibus victimis reprobatis, placabilis Deo hoſtia eſt pura confeſſio." Alii: *reddemus* tanquam *vitulos labia noſtra,* i. e. pro vitulis ſive juvencis reddemus labia noſtra, i. e. gratiarum actiones. Ita Arabicus interpres ineditus Pocockio memoratus: ونوفي بدل تقريب البقر باقرار שפתינו *reddemus loco oblationis victimarum ſacrificia labiorum noſtrorum.* Chaldaeus: וִיהוֹן מִלֵּי סִפְוָתָנָא מִתְקַבְּלִין קֳדָמָךְ כְּתוֹרִין לְרַעֲוָא עַל מַדְבְּחָא *ſint verba labiorum noſtrorum accepta penes te tanquam boves in beneplacitum ſuper altari.* LXX: Καὶ *ἀνταποδῶμεν καρπὸν χειλέων ἡμῶν.* Quaſi pro פָּרִים שְׂפָתֵינוּ, aliter diviſis vocibus, legerint פְּרִי מִשְּׂפָתֵינוּ *fructum e labiis noſtris,* Hieronymus: „Pro *vitulis,* qui Hebraice appellantur *Pharim, fructum* Septuaginta transtulerunt,

qui

qui dicitur *Pheri*, falsi sermonis similitudine." Idem sequuntur Arabs et Syrus, nisi quod is pro prima Pluralis persona tertiam Singularis exprimit hoc modo: ܘܢܦܪܘܥ ܠܟܘܢ ܦܐܪ̈ܐ ܕܣܦܘ̈ܬܟܘܢ *et solvet*, s. *rependet vobis fructus labiorum vestrorum*. Et Paulus huc palam alludens Hebr. XIII, 15. *Per ipsum igitur*, inquit, *assidue offeramus Deo* θυσίαν αἰνέσεως, *sacrificium laudis*, τουτέστι καρπὸν χειλέων ὁμολογούντων τῷ ὀνόματι αὐτοῦ, *id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus*. „Sed sensus," inquit Bochartus l. c., „plane idem est. Nam καρπὸς, *fructus*, eo loco pro *oblatione* sumitur, ut in Graeca versione κάρπωσις, κάρπωμα, ὁλοκάρπωσις, ὁλοκάρπωμα, quae pro *sacrificio* et *holocausto* passim occurrunt." Cf. נִיב שְׂפָתַיִם, *proventum labiorum*, Jesaj. LVII, 9. Alios Graecam versionem et Apostolum cum textu hebraico conciliandi modos vid. in Joa. Christoph. Wolfii Differtat. *de juvencis labiorum Hos. XIV, 3.*, Viteb. 1711., repetita in *Thesauro Novo Theologico-Philologico, sive Sylloge Dissertationum Exegeticarum ad selectiora V. et N. T. loca*, Lugd. Batav. 1732. fol. Vol. I. p. 1035. seqq. Rittershusius:

Ac ne isthaec mea vox cassas praetervolet auras,
Sumite vobiscum mea dicta recondita in imo
Pectore. Dicam iterum repetens iterumque monebo,
Ad Dominum conversa tuum, gens sancta, redito,
Inque istum fac vota modum: O mihi crimina cuncta
Condonans pater, o auffer: tum denique prisca
Redde bona, atque iterum placido nos aspice vultu.
Plurima sic labiis nostris tibi vota redibunt,
Grata magis vitulo quovis tibi, vinctus ad aram
Atque coronatus qui sistitur hostia sacra.

4. Verbis אַשּׁוּר לֹא יוֹשִׁיעֵנוּ Syrus praemittit e Versu superiore: ܘܐܡܪܘ *et dicite*, *Assyrius* etc., scilicet rex et populus, in quo male confisi sumus, *non salvabit nos*. Respicit vates ad hoc, quod saepius in Israelitis coarguit, quan-

quando in anguftiis foedera cum Affyriis fecerunt, ut ipfis auxiliarentur; vid. V, 13. VII, 12. VIII, 19. Chaldaeus: מַלְכֵי אַתּוּר לָא יִפָרְקִנַּנָא *reges Affyriae non falvabunt nos.* Cf. fupra V, 13. 14. עַל־סוּס *Super equis*, quibus fuperbivimus, cf. I, 7. Jefaj. II, 7. Prov. XXI, 31. לֹא־נִרְכָּב *Non equitabimus*, neque in noftris viribus, nec in aliorum auxiliis fiduciam ponemus. Chaldaeus: עַל רְכָבֵי סוּסָוָן לָא נִתְרְחֵץ *curribus*, vel afcenforibus *equorum non confidemus.* R. Tanchum: نترك الاتكال علي المخلوقين ولا نثق بالخيل والعدد *relinquamus fiduciam in res creatas, nec confidamus in equis et multitudine*, five: *copiis et apparatu bellico.* Cf. Pf. XX, 8. Alii: *et fuper equos* Aegyptios *non confcendemus*, nec eorum auxilium, ut fupra VII, 11., implorabimus, quia hoc etiam praefidium vanum eft, Jefaj. XXXI, 3. Sic Jarchi et Aben-Efra, coll. Jefaj. XXX, 1. XXXI, 1. Nec non Hieronymus, cujus haec funt verba: „Qui reddituros fe effe dicunt labiorum vitulos, et Dei laudes perpeti voce canituros, etiam illud repromittunt, quod nequaquam in Affyriis fpem habeant, nec fuper equos Aegyptios, quia fallax equus ad falutem." Aegyptii enim equis abundarunt, cf. Deut. XVII, 16. 1 Reg. X, 28., et equis fere bellarunt, Exod. XIV, 6. 7. 9. XV, 1. *Super equis* itaque Ifraelitae *equitarunt*, quando equites, currus et equos conduxerunt, et ex foedere in auxilium advocarunt. וְלֹא־נֹאמַר עוֹד *Nec dicemus contra*, ut ftolide fecimus, cf. fupra II, 7. Promittunt perfeverantiam in Dei veri cultu. אֱלֹהֵינוּ לְמַעֲשֵׂה יָדֵינוּ *Operi manuum noftrarum: Deus nofter* tu es! ut Jefaj. XLII, 17. XLIV, 17., et cf. fupra VIII, 6. XIII, 2. Infaniam iftam agnofcemus et deteftabimur. R. Tanchum: ونتوب عن عبادة كلما لا يستحق العبادة بذاته *revertemur a cultu omnis ejus quod non coli meretur effentiâ fuâ.* אֲשֶׁר *Quia*, ut Deut. III, 24. 1 Sam. II, 23. XV, 15. 20. R. Tanchum بمعني כי *fignificatione Particulae* כִּי capiendum effe ait, et

et Arabice لأن seu بان *propterea quod* reddit. Graecus Alexandrinus אֲשֶׁר pro Pronomine relativo cepit, vertit enim ita: ὁ ἐν σοὶ ἐλεήσει ὄρφανον, quod Cyrillus sic explicat: *Ne dubites, inquit, te consequuturum esse quod desideras, si resipueris; οὐ γὰρ ἐν σοὶ Θεὸς ἐλεεῖν οἶδε καὶ κατοικτείρειν ὀρφάνους, nam qui in*, s. *inter te est Deus novit misericordem esse et orphanorum misereri.* בְּךָ *In te*, servatore nostro solo, et nullo alio; vid. I, 7. יְרֻחַם *Misericordiam consequetur* et servabitur, respicit ad I, 6. 8. II, 3. יָתוֹם *Orphanus* s. *pupillus*, qui omni ope destitutus; cf. supra V, 15. Ps. X, 14. 18. LXVIII, 6. Hieronymus: „Et ultra non adorent opera manuum suarum, vitulos aureos, quos in Dan Bethelque conflaverunt, et idcirco inquiunt: nequaquam operi manuum nostrarum dicemus: dii nostri, quia tu ejus, qui in te est, pupilli misereberis, hoc est; populi Israel, de quo dixeras [Exod. IV, 12.]: *Filius primogenitus meus Israel.* Et [Jesaj. I, 2.]: *Filios genui et exaltavi, ipsi autem me spreverunt.* Pupillus autem vocatur, quia Deum perdidit patrem.“ Rittershusius:

Scilicet eventus, stultorum hominum ille magister,
Jam nos edocuit rerum argumenta per ipsa,
Frustra ex Assyriorum armis sperasse salutem.
Non ultra ascendemus equum, ejus robore freti,
Nec posthac verum credemus numen habere,
Quod nostrae fecere manus. Tu scilicet unus
Et Deus atque opifex, quoscunque parentibus orbos
Auxilii et cassos injuria vexat amara.

5. Postquam media indicaverat propheta, per quae tendere Israel deberet ad gratiam consequendam, ne inundantibus miseriis, denuntiatis adversus contumaces Vs. 1. absorberetur, pergit jam exponere, quam laetus iis exitus foret morem gerentibus admonitioni propheticae. אֶרְפָּא מְשׁוּבָתָם *Sanabo*, inquit Deus, *aversionem eorum*, i. e. defectionem, rebellionem, idololatriam ceteraque peccata, quibus a me aversi sunt, XI, 7. Jerem. II, 19.; cum ipsius

rebel-

rebellionis morbo ſimul ſanabo plagas, quas ob impietatem eis eram inflicturus. Chaldaeus: אֲקַבְּלִנּוּן בִּתְיוּבְתְּהוֹן אֶשְׁבּוֹק לְחוֹבֵיהוֹן *recipiam eos in ſua converſione, condonabo eorum delicta.* R. Tanchum: اداوي لججهم وعصيانهم اي اعافيهم مما استحقّوه به *medebor rebellioni et obſtinationi eorum, i. e. ſervabo eos ab eo quod meruerunt per eam.* Alii, מְשׁוּבָה ſenſu bono accepto de *converſione* ad Deum, et abſtracto pro concreto, ſic vertunt: *ſanabo converſionem eorum,* i. e. ipſos converſos. Ita Syrus: ܐܐܣܐ ܠܬܝܒܘܬܗܘܢ *ſanabo converſionem eorum.* Graecus Alexandrinus: *ἰάσομαι τὴν κατοικίαν αὐτῶν*, מְשׁוּבָה male relato ad יָשַׁב *ſedit, habitavit.* אֹהֲבֵם נְדָבָה Qui prius eos oderam et reprobaram (ſupra IX, 17.), *diligam eos ſponte* (ſubaudita ante נְדָבָה particula בּ, quae ante hoc ipſum nomen exſtat Pſ. LIV, 8.), ultro, bona fide, prompta animi voluntate. *Amor voluntarius* qui ex puro affectu manat, nulla fictione tectus aut inquinatus. Hieronymus: „*Diligam eos ſpontanee,* quod LXX tranſtulerunt *ὁμολογουμένως*, *perſpicue* et *aperte,* vel *absque ulla dubitatione.*" Syrus: ܘܐܪܚܡ ܢܕܪܝܗܘܢ *et amabo vota eorum,* quod Hebraica foret אֶהַב נִדְבֵיהֶם. כִּי שָׁב אַפִּי *Quia averſa eſt ira mea* (ut Jerem. II, 35.), quae accenſa fuerat pervicacia eorum VIII, 5. מִמֶּנּוּ *Ab eo,* Iſraele, populo meo, ita ut non amplius recordaturus ſim peccata eorum; cf. Mich. VII, 18. 19. Maſorethae notant, codices Orientales, i. e. Babylonicos, exhibere מִמֶּנִּי abiit *a me ira* mea. Rittershuſius:

Jam demum mea, jam poenis ſatiata quieſcet
Ira; mei et populi curabo ego vulnera, factus
Aegrorum medicus; rurſum, quos oderam, amabo;
Inque meos veniet cultus ſpontanea turba.

6. Commemorat nunc variis ſimilitudinibus a plantis deſumtis amoris Jovani effectus. Res Iſraeliticae denuo efflorescent. אֶהְיֶה כַטַּל לְיִשְׂרָאֵל *Ero Iſraeli ſicut ros,* qui, ubi pluviae rariores, copioſe cadens, terram foecundat,

mar-

marcida germina recreat et creſcere facit. Efficiam, omnia eis floreant, ut agri irrorati. Cf. VI, 3. Deut. XXX 2. Jeſaj. XXVI, 19. יִפְרַח כַּשּׁוֹשַׁנָּה *Florebit* novis virib inſtructus *ſicut lilium*, Jeſaj. XXXV, 1. 2. Cant. II, 1. pulcherrime et copioſiſſime. *Lilio* enim *nihil foecundi eſſe*, ait Plinius, una radice quinquagenos ſaepe emitten bulbos, *Hiſt. Nat.* L. XXI. c. 5. וְיַךְ שָׁרָשָׁיו *Et incuti radices ſuas* in terram, i. e. defiget, altius immittet. M taphora a rebus, quae incutiendo altius penetrant, lo giusque mittuntur ac porriguntur. Nam הִכָּה non ſolu *caedere* et *percutere*, ſed aliquando *incutere* ſignificat, 1 Sam. II, 14. הִכָּה בַכִּיּוֹר, *incuſſit in labrum*. Et ibid. XI 10. וַיַּךְ אֶת־הַחֲנִית בַּקִּיר *Incuſſit haſtam in parieten* Idem igitur hic dicitur quod Jerem. XVII, 8. יְשַׁלַּח שָׁרָשָׁיו *mittet radices ſuas*. Graecisque ῥιζοβολεῖν idem ſignifica כַּלְּבָנוֹן *Sicut Libanus*, i. e., ut recte Chaldaeus, ſicut a bores Libani; per metonymiam. Cf. Jeſaj. XXXV, 2. LX, 1 Pſ. XCII, 13. Hieronymus: „Sicut arbores Libani, qua quantum in auras conſurgunt vertice, tantum radicem i ima demergunt, ut nulla tempeſtate quatiantur, ſed ſtabi mole conſiſtant.“ Alii: *radices ſuas jaciet ut Libanu* i. e. veluti mons Libani ita auxilio divino firmatus, ip ſtabit immotus, coll. Pſ. CXXV, 1. Rittershuſius:

Quod ros eſt plantis, cum plurimos irrigat agros,
Hoc idem ero a priſco genti Iſraele profectae.
Qualem diffundunt fragrantia lilia odorem,
Talis erit populus lectus mihi, ſuaveolensque;
Radices Libani diffundet ut arbor opaca.

7. יֵלְכוּ *Ibunt*, i. e. creſcendo pergent et longius pro gredientur, distendent ac diffundent ſe. *Ire* dicuntur ram cum longi et magni magis magisque fiunt, quomodo etia ſeſe extendunt. Cf. Jerem. XII, 2. יוֹנְקוֹתָיו *Surculi* ſ. *ram ejus* Iſraelis. Chaldaeus: יִסְגּוֹן בְּנִין וּבְנָן *multiplicabuntu* ſ. augeſcent *filiis et filiabus*, ſ. progenie. Alii cum Jarchi indicari exiſtimant quotidiana incrementa divinae benefi

centia

centiae postquam semel coeperit se ostendere liberalem erga populum Israeliticum. וִיהִי כַזַּיִת *Eritque sicut olea*, vel, *sicut oleae*, quae, ut Cyrillus ad h. l. ait, est ἀειθαλὴς καὶ εὔκαρπος, *semper viridis et fructibus referta.* Cf. Jerem. XI, 16. Ps. LII, 10. CXXVIII, 3. LXX: Ὡς ἐλαία κατάκαρπος. Sic Arabs quoque, et Syrus: مثل زيتونة ܐܝܟ ܙܝܬܐ ܕܫܦܝܪܐ ܒܦܐܪ̈ܘܗܝ *sicut olea fructibus suis decorata.* Chaldaeus longius a textu discedit, dum vertit: וִיהֵי כְּזִיו מְנָרַת קוּדְשָׁא זִיוְהוֹן *et erit splendor eorum, sicut splendor candelabri sancti*, quod procul dubio ex Levit. XXIV, 2. desumtum, ubi Israelitae jubentur *oleum purissimum* efferre ad lucernam sacram alendam. הוֹדוֹ *Gloria*, decor *ejus*, Job. XL, 10. Dan. X, 8. *Honor* autem sive decor olivae sunt multi fructus ejus, quibus decoratur et pulchra redditur, ob quos etiam laudatur. R. Tanchum comparationem cum olea illud spectare putat لانه لما فيه من الدهنية لا يجف ولا يسقط ورقه في الشتا مثل غيره من الاشجار فهو باق بنظرته صيفا وشتا *quod propter id, quod in ea est pinguedinis, ejus folia nec hyeme desiccantur et cadunt, ut aliorum arborum folia; sed suam pulchritudinem et aestate et hyeme servat.* וְרֵיחַ לוֹ כַּלְּבָנוֹן *Et odor ei* erit *sicut Libani*, cujus gratissimi odoris cum ex herbis et arboribus fragrantibus, quales *cedri*, tum ex floribus arborum et herbarum, et Cant. IV, 11. mentio facta. Cf. Celsii *Hierobot.* P. I. p. 242. Oedmanns *Vermischte Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der heil. Schrift*, P. II. C. 9. p. 197. vers. germ. Recte R. Tanchum: مثل به ايضا لمكثرة الاطياب والزهور العطرة *comparat eum etiam Libano ob abundantiam rerum aromaticarum et florum suaveolentium.* Chaldaeus: כְּרֵיחַ קְטֹרֶת בּוּסְמַיָּא *velut odor incensi aromatum*, quasi esset כַּלְּבֹנָה, ὡς λίβανος, Sirach. XXXIX, 14. Hieronymus: „ὁμωνύμως apud Graecos et Hebraeos et *mons* [Libanus] appel-

appellatur et *thus.*" Erravit, quod *et Hebraeos* addidi
iis enim לְבוֹנָה *thus,* לְבָנוֹן *Libanus* mons. Syris quoque
Arabibus *thus* vocatur ܠܒܘܢܬܐ, لبنان, *mons* ܠܒܢܢ
لبنان. Declaratur felix reipublicae ſtatus ſimilitudi
ſumta ab arboribus radicatis, patulis, ſpecioſis, odoriferi
quae omnia arbores commendant. *Radicatio* firmitate
ramorum diffuſio propagationem et civium frequentia
decor oleae pulchritudinem et gloriam, atque eam quide
conſtantem et continuam, *odor* jucunditatem et amabilit
tem notat. Rittershuſius:

Luxurians ramis patulis ſe exporget in auras,
Aeternumque decus certans retinebit olivae
Quae numquam amittit gratum rediviva virorem.
Qualis odor Libani celſis in ſaltibus halat,
Talem etiam Iſrael paſſim ſpirabit odorem.

8. Iſrael tandem in tam proceram et patulam e
creſcet arborem, ut omnes, qui ad ejus umbram ſe rec
perint, ſecure ſub ea ſint habitaturi. יָשֻׁבוּ, *Revertent*
alii interpretantur: *in patriam redibunt,* ut Chaldae
(יִתְכַּנְשׁוּן מִבֵּינֵי גָלְוָתְהוֹן *congregabuntur ex ſuis exiliis*
alii: *convertentur* ad Jovam ſcil. e gentibus exteris, q
conque ſub Iſraelis umbra confugerint. Sed verbum ש
redire, de Iſraelitis quidem, ad Jovae cultum, quem re
querant, revertentibus, recte dicitur, non item de exte
qui Jovam numquam antea coluerant. Neque vero de Iſr
litis in patriam reducibus commode haec verba intell
poſſunt. Qualis enim haec ſententia: *revertentur* Iſraeli
ſedentes in umbra ejus, Iſraelis? Quae quum ita ſint, ha
dubitamus iis inter Hebraeos interpretibus adſtipulari,
noſtrum יָשֻׁבוּ *redibunt* ſcil. ad ſe exponant, i. e. refocil
buntur, recreabunt ſe. Simili phraſi 1 Sam. XXX, 12.
juvene morbo et fame prope exſtincto, ſed cibo et p
recreato dicitur: וַתָּשָׁב רוּחוֹ אֵלָיו *rediitque ſpiritus ſ*
ad ipſum. Ita et Jud. XV, 19. תָּשָׁב רוּחוֹ וַיֶּחִי *rediit*
ſpiritus ejus et revixit. Thren. I, 11. לְהָשִׁיב נָפֶשׁ *ad r*
ciend

ciendam animam suam. Cf. not. ad eum loc. Vox יֹשְׁבֵי in forma regiminis posita, uti et alias factum ante particulas, veluti Ps. II, 12. חוֹסֵי בוֹ, *qui ad eum confugiunt.* Et LXXXIV, 7. עֹבְרֵי בְּעֵמֶק, *vallem transeuntes.* Pronomen suffixum in בְּצִלּוֹ *in umbra ejus*, haud dubie ad Israelem, cum arbore patula comparatum, referendum. Sed Chaldaeus: *habitabunt sub umbra Uncti sui* (מְשִׁיחֲהוֹן), cujus tamen in toto contextu nullum est vestigium. יְחַיּוּ דָגָן quidam vertunt: *vivificabunt frumentum*, i. e. producent frumentum per culturam agrorum. Alii post Vulgatum (*vivent tritico*): *vitam producent* s. sustentabunt *frumento.* Quod utrumque mirum quantum inter ceteras, quae hic leguntur, magnificas promissiones subsidet. Chaldaeus: וְיֵחוּן מֵתַיָּא *reviviscent mortui.* Nos subaudito ad יְחַיּוּ nomine זֶרַע ex Genes. VII, 3., et ante דָּגָן particula כ, ut in proximo כַּגֶּפֶן, sic vertimus: *vivificabunt*, producent semen *instar frumenti*, i. e. prole numerosa gaudebunt, augescent tanta copia, quanta frumentum provenit, dum ex uno grano multa solent provenire. Cui bene convenit, quod additur: וְיִפְרְחוּ כַגֶּפֶן *et florebunt sicut vitis*, „feminae erunt foecundae," exponit Grotius, coll. Ps. CXXVIII, 3., cui adde Zachar. VIII, 12. Drusius: „Vitis non floret perpetuo, sed tamen secus ac frumentum solet, quod post factam messem cessat, nec in agro amplius conspicitur; ejus stirps semper manet, quae post annum rursus virescit et fructum de novo edit." Chaldaeus: וְיִסְגֵּי טוּבָא בְּאַרְעָא *multum erit bonum in terra.* זִכְרוֹ כְּיֵין לְבָנוֹן *Memoria ejus sicut vinum Libani*, fama illius laudatissima erit, et gratissima ac jucundissima recordatio nominis illius, ut vinum Libani sapore et odore jucundissimum est. Id quod probat Kimchi testimonio cujusdam Asaphi Medici, qui scripsit, vinum Libani, Hermonis, Carmeli, montium Israelis et Hierosolymae et Caphtoris, odore, sapore, medicina, reliquis omnibus antecellere. Plinius etiam *Hist. Nat.* L. XIV. c. 7. *vinum Tripoliticum, Tyrium, Berytium* laudat, quae loca Libano vicina erant. Et qui recentioribus temporibus

terras istas adierunt, laudant vini Libanitici excellentiam Testimonia illorum attulit OEDMANN loco ad Vs. 7. laudat p. 193. Cf. libr. nostr. *Handb. der bibl. Alterthumskund* Vol. I. p. 240. Chaldaeus alludi putat ad sacrificia, i quibus vinum libari solebat. Sic enim exponit verba nostra *erit memoria bonitatis eorum proveniens, nec deficien quemadmodum memoria est clangori tubae super vin veteri oblato in libamen in domo Sanctuarii.* Nimiru *quia moris erat tubis cani ad libamina, dum cantic dicendo essent intenti Levitae,* prout Chaldaeum interpre tatur JARCHI. Praeterea *Libano* Chaldaeus opinatus e *templum* innui, ut Zachar. XI, 1. HIERONYMUS: „*Vinu Libani* possumus appellare mixtum et conditum thymiama [לְבֹנָה, cf. ad Vs. 7.], ut odorem suavissimum habeat. V *vinum Libani* est quod Domino libatur in Templo, de qu in Zacharia [I, 1.] sub Libani vocabulo legimus: *Ape Libane, portas tuas.*" Ritterahusius:

Confugietque ad eum grata sessurus in umbra
Certatim populus, sobolemque creabit amicam
Quale per aestatem frumentum crescit in agris,
Aut multa qualis pubescit vinea vite:
Quali per tractus Libani florescere odore
Vina solent; talem et mea gens servabit odorem.

9. אֶפְרַיִם nonnullis interpretibus appellandi Cas est, et verba מַה־לִּי עוֹד לָעֲצַבִּים ipsius Dei, hoc mod *o Ephraim, quid mihi amplius cum idolis?* quasi dic Deus; noli mihi illa adjungere amplius, ego namque su tibi solus Deus. Sed accentus *Sakeph gadol* nomini רַיִם impositus, qui incisum in sermone facit, aliquid abe arguit. Rectum vidisse itaque illos interpretes arbitror, q Ephraimi, de quo sermo adhuc institutus erat, verba a D referri existimant, quasi dicat, *Ephraimus* dicet, s. *Ephrai* hic sermo erit (prout concise sic loqui Hoseae familiare *quid mihi ultra ad idola* ut refugiam? Vel: valea nihil mihi cum illis rei amplius est. Juxta quod Versu

pr

promiserat: *operi manuum nostrarum posthac non dicemus: o Deus noster.* Ita Chaldaeus: ויימרון דבית ישראל מה לנא עוד למפלח לטעותא *dicent Israelitae: quid ad nos attinet ultra servire idolis?* Syrus quoque praemittit: ܘܢܐܡܪ, *et dicet* Ephraim. Recte Tarnovius: „Postquam Deus illas promissiones longe amplissimas absolvit, nunc demum Ephraim repetit prius (Vs. 3. 4.) factam obedientiae et fidei suae sponsionem, et Deus vicissim in posteriori hemistichio gratiam suam repromittit.“ Ad phrasin מה־לי לעצבים, *quid mihi commercii cum idolis?* cf. Jos. XXII, 24. Jud. XI, 12. 2 Sam. XVI, 10. Jerem. II, 18. Similiter Anacreon *Od.* XVII, 4. Τὶ *γὰρ μάχαισι κἀμοί*; scil. *κοινόν.* Respondet Deus: אני עניתי ואשורנו *Ego exaudiam et respiciam eum.* Ita Chaldaeus: אנא במימרי אקבל צלותהון דישראל וארחם עלוהי *ego per verbum meum recipiam ejus orationem, Israelis videlicet, eique me exhibebo propitium.* Nec aliter R. Tanchum Pocockio laudatus: „Quum dixerit Ephraim: *quid mihi amplius cum idolis?* tunc ego adnuam votis ejus.“ Alii ענה *humiliandi* significatione sumunt; ita LXX: Ἐγὼ *ἐταπείνωσα αὐτὸν* (ita et Syrus), *καὶ ἐγὼ κατισχύσω αὐτόν.* Recentiorum quidam: *ego adflixi iterumque respiciam eum.* Verum simplicior et concinnior sensus prodire videtur verbo ענה *respondendi, exaudiendi* notione accepto, ut saepius e. c. Jesaj. LXV, 24. *Antequam vocent* ואני אענה *ego respondebo.* אשורנו *Diligenter observabo,* intentis oculis adspiciam (cf. verbum שור supra XIII, 7. Num. XXIII, 9.) *eum,* Israelem, singularem curam ipsius habebo. Hujus oppositum Deut. XXXI, 17. הסתרתי פני מהם *Abscondam faciem meam ab eis.* Syrus: ܐܫܒܚܝܘܗܝ *gloriosum* s. *laudatum eum reddam.* Videtur verbum שור *cantandi, celebrandi* significatione (cf. Jud. V, 1. Ps. VII, 1.) accepisse, quomodo tamen cum *Dativo personae,* et cum *Accusativo rei* s. *cantici* construitur, vid. Exod. XV, 1. Ps. XXI, 14. XXXIII, 3. אני כברוש רענן *Ego tanquam abies virens* ero Israeli, sicut viridis et condensa arbor,

bumbrans et protegens eos. Jarchi: „Ego me demittam lli, ut prehendere me ejus manus queat, ficuti abies viridis efe in terram flectit, quo ramos ejus homo prehendat; ut enfus fit: facile ei inveniar.“ Quia vero abies, etfi femper iret, non tamen fert fructum, ideo addit: מִמֶּנִּי פֶּרְיְךָ נִמְצָא x *me fructus tuus,* quo indigebis, *invenietur,* praefto erit. Per *fructum* omnia neceffaria indicari, res ipfa docet. Pro פְּרִי לְךָ נִמְצָא dicitur brevius פֶּרְיְךָ נִמְצָא. Chaldaeus: אַעַבְדִנֵּיהּ כְּבְרוֹן שַׁפִּירָן דְּמִן קֳדָמַי סְלִיחַ לְחִיוּבַתְהוֹן מִשְׁתַּבְקָא *faciam eos ut pulchram abietem, quia a me remiffio* peccatorum *ob poenitentiam eorum invenietur.* Rittershufius:

Quorfum idola mihi, tribus Ephraimaea, quid ultra
Hisce vacas? quid eis jam cultum impendere prodeft?
Ipfe ego me faciles praebebo vocantibus aures,
Perpetuo et viridis celfaeque ego ero abietis inftar,
Quae procero altas fcapo confurgit in auras,
Unde tibi praefto eft aeterni copia fructus.

10. Conclufio, qua propheta hortatur bonos ad intelligentiam doctrinae fuae a fructu, quem inde percepturi fint, contraria illi quidem improborum hominum ruina illuftrato. Eft vero ifta hortatio eleganti exclamatione figurata, ut majorem vim habeat: מִי חָכָם וְיָבֵן אֵלֶּה נָבוֹן וְיֵדָעֵם *quis fapiens ut intelligat ifta?* quis *prudens, ut cognofcat* et perpendat *ea,* omnia quae in meis fermonibus prodidi monita. Ita hortantes et optantes aliquid fieri loquuntur. Cyrus apud Xenophontem *Cyropaed.* L. III, c. 28. Τίς ἐφέπεται; τίς ἀγαθός; τίς πρῶτος ἄνδρα καταβαλεῖ; Similem huic interrogationem habes Pfalm. CVII, 43. Jerem. IX, 11. Alii paucitatem eorum, qui falutaria prophetae confilia admitterent, hac interrogatione indicari exiftimant. Syrus vocem מִי ut pronomen relativum accepit: ܡܢ ܕܚܟܝܡ ܢܣܬܟܠ ܗܠܝܢ ܘܡܢ ܕܡܣܬܟܠ ܢܕܥ ܐܢܝܢ *qui fapiens eft, intelliget haec, qui prudens eft, cognofcet ea.* Sane מִי ita capitur Exod. XXIV, 14. Jud. VII, 3. Jefaj. L, 10. Prov. IX, 4. et alias,

alias, quibus locis tamen non ו sequitur, ut hic. Bene Jarchi: „Quis sapiens in vobis, qui animum ad isthaec advertendo providum se gerat, ut sese convertat ad me?" כִּי־יְשָׁרִים דַּרְכֵי יְהוָה *Nam rectae* sunt *viae Jovae*, consilia ejus justissima et aequissima sunt. *Viis Jovae* praecepta monitaque ejus, quibus quae hominibus agenda sunt praescribit, intelliguntur, cf. 2 Sam. XXII, 22. 23. 31. Jes. XXVI, 7. LVII, 14. Ezech. XVIII, 25. 29. וְצַדִּקִים יֵלְכוּ בָם *Et justi*, recti, probi, incedunt in iis, observant illa praecepta, et prospero rerum suarum successu gaudent, וּפֹשְׁעִים יִכָּשְׁלוּ בָם *sed praevaricatores corruunt per ea*, dum monita illa negligunt nihilque pensi habent, in gravissimas poenas incidunt. Chaldaeus: *Justi, qui in iis* (viis Jovae) *ambulant, vivent in illis in vita aeterna; impii vero tradentur inferno, propterea quod non ambulaverunt in iis.* Rittershusius:

Qui sapit, haec secum memori cum mente volutet:
Et cui non stolidum levae in regione papillae
Cor salit, attendat dictis animoque recondat,
Aurea perpetuâ vitâ dignissima dicta.
Nam verbo quaecunque suo vestigia signat,
Praeceptisque Dei quae impressa est orbita, recta est,
Omni errore vacans, anfractu et libera ab omni
Hanc justus teret, hoc semper se in calle tenebit,
Felicique gradu ad requiem contendat amicam.
At defectores videat impingere in iisdem,
Exitiumque sibi factis properare scelestis.

IN

IN JOELEM PROOEMIUM.

Joel ubinam vixerit, quo vitae genere fuerit usus, quo tempore denique sua vaticinia protulerit, quum neque in eo, qui nomen ejus gerit, libro, neque in ullo alio V. T. loco traditum sit, atque quum ne vestigia quidem satis certa usquam deprehendantur, unde illa cognosci possint; manifestum est, quaecunque ab interpretibus de Joelis genere, natalibus ac aetate sunt prolata, meras esse conjecturas. Rumoribus, quibus vix quicquam tribuendum, accensemus, quod Pseudo-Epiphanius [1]) tradit, Joelem e tribu Ruben oriundum fuisse, Bethchorone, quae est urbs in confiniis Ephraim et Benjamin [2]), natum et mortuum, atque in ejusdem urbis agro sepultum. Plures equidem *Joeles* in codice Hebraeo memorantur [3]), sed *Pethuelis filium*, quomodo Noster in libri sui limine appellatur, alias reperias nusquam. Judaeorum nonnulli, innixi incertae suae regu-

1) *De Vit. Prophetar.* C. XIV. T. II. *Opp.* p. 245.
2) Vid. Relandi *Palaest.* p. 633.
3) Vid. Simonis *Onomast. V. T.* p. 517.

regulae, quod ubique una cum propheta nominetur ejus pater, hic non vir tantum bonus, sed et propheta fuerit, Pethuelem Samuelemque pro uno eodemque habuere. Habuit sane Samuel filium, qui vocabatur Joel [4]); at, uti neque tempus, quo hic vixit, admittere videtur, ut cum Nostro eundem esse opineris; ita nec id, quod de Joele, Samuelis filio, memoriae proditum legimus, vero esse finit simile, prophetam fuisse hunc hominem pessimae vitae et morum insimulatum [5]). Quin nec ulla praeterea possit dari ratio, cur Pethuel iste Samuel esse existimetur. Illa enim, quem affert Jarchi, ratio nullius momenti esse videtur, nempe quod sic appellatus sit, quia פתה לאל בתפלתו *persuadebat*, vel *flectebat Deum precibus suis.* Nam ea ratione quilibet propheta, vel alius vir probus non minus atque Samuel sic nominari possit. Hoc tamen magna veri specie dici potest, Joelem in regno Judae vixisse. Quae enim apud eum ad poenitentiam sacerdotum adhortatio legitur [6]), quae domus Dei et montis Zion, quae Judae et Hierosolymae frequentissima sit mentio [7]), diserte ad regnum Judae spectant, et universus id loquitur prophetae contextus. Recte igitur Hieronymus [8]), „Quo-

4) 1 Sam. VIII, 2.
5) Ibid. Vs. 3.
6) I, 13. II, 15. seqq.
7) I, 14. II, 1. 15. 17. III, 5. IV, 2. 6. 16. 17. 20.
8) *Commentar. in Joel.* I, 1.

„Quomodo,“ inquit, „in Osee Propheta s
nomine Ephraim ad decem tribus confertur va
cinium, quae vel Samaria, vel Israel saepe mem
rantur; sic in Joel omne quod dicitur ad tribu
Judae et ad Hierusalem pertinere credendum e
et nullam omnino Israelis, id est, decem tribuu
in hoc fieri mentionem.“ Etsi vero Israelis n
men quoque vice una alterave occurrat [9]), n
tamen decem tribus et diversum a Juda regnu
sed quoscunque propheta intelligit veros Israe
posteros, trita alias quoque vocis significatione [1

Magis invicem dissentiunt interpretes circ
tempus, quo prophetia haec edita est. Sunt [1
qui Joelem floruisse ferant regnante Joram
Ahabi filio, cum septem annis ingens in ter
Israel fames esset [12]), de qua hunc propheta
loqui opinantur. Alii [13]) censent Joelem sua
prophetiam edidisse tempore Manassis, hoc maxim
argumento moti, quod quum nulla decem tr
buum fiat mentio in hisce oraculis, non nisi ill
in exilium abductis ea prodita essent. Alii [14]) va
cinatum autumant Nostrum tempore Josiae, reg
Judae, quum sub eo fames gravissima terra
oppr

9) II, 27. IV, 2. 16.

10) Veluti 1 Reg. XII, 17. 1 Macc. I, 21. 22.

11) Ut Kimchi.

12) 2 Reg. VIII, 1.

13) Ita Chronicon *Seder Olam* majus et minus, magn
utrumque auctoritatis inter Judaeos.

14) Tarnovius, Eckermannus aliique.

opprimeret, quae a Jeremia [15]) fere eodem, quo a Joele, modo defcribitur. Quae quidem fententiae quam infirmis nitantur rationibus, fatis patet. Nos vero nulli dubitamus, Joelem Hofeae et Amofo fuiffe aequalem, non fane regula illa moti, quam a Judaeis acceptam tradit Hieronymus [16]), *in quibus* Prophetarum fcriptis *tempus non profertur in titulo, fub illis eos regibus prophetaffe, fub quibus et hi, qui ante eos habent titulos, prophetaverunt,* in qua parum effe roboris, vel unius Jonae exemplum demonftrat; fed rationibus convicti, quas pro illa fententia Campegius Vitringa produxit [17]). „Noftra," inquit, „fententia eadem eft, quae Abarbenelis, vixiffe Joelem eodem tempore cum Amofo, et paullo ante eum hanc edidiffe prophetiam. Argumenta noftra funt, 1) quod inter hoftes Judaeorum *Aegyptii* et *Idumaei* tantum occurrunt, IV, 19., *Affyriorum* vero aut *Babyloniorum* nulla fit mentio. Locus enim II, 20. aeque ac fuperiora ad *plagam locuftarum* pertinet. 2) Quod eadem plane exprobret crimina *Tyriis, Sidoniis* et *Idumaeis* (qui captivos ex Judaea omnis fexus et aetatis multos abduxerant, inclementer habuerant et vendiderant exteris, et agros illorum invaferant atque occupaverant), quae Amofus; et fimile iis denunciet judi-

15) XIV, 1. 2.

16) *Prologo in XII Prophetas minores.*

17) In *Typo Doctrinae Prophet.* C. IV. p. 35. feqq.

judicium IV, 2—7. coll. Amos I, 9—11. 3) Quo tempore Joel concionatus est, sacra adhuc apud Judaeos suo stabant ordine, II, 15. 16. 17. 4) Laetiora etiam tempora in *Judaea* cum omnium rerum ubertate pollicetur II, 18. 19. 5) Quam Joel praedicit *Judaeis* instantem calamitatem famis et sterilitatis, Amos demonstrat *Israelitas* modo pressisse et adhuc dum premere IV, 6. 7. 6) Amos incipit suam prophetiam ea sententia I, 2., qua suam fere claudit Joel IV, 16.: *Jova e Sione rugiet* et quae sequuntur [18]).“

Prophetiae Joelicae argumentum proxime spectat ad calamitatem publicam, qua tum premebatur terra Judaica. Duplex illa erat, aquarum penuria, et locustarum pestis, quae per plures

18) Ad eandem sententiam accedere D. H. C. de Coelln, quippe qui in *Dissertat. exeget. critica de Joelis prophetae aetate*, Marburg. 1811. vatem hunc primis Usiae regis annis sua oracula edidisse probatum iverit, didici e Bertholdtii *Einleit. in die Schriften des A. u. N. T.* P. IV. p. 1604. Atque is quidem Vir Doctus Joelem vaticinia sua post sextum demum Hiskiae regis annum, abductis decem tribubus in exilium, arguere putat illud, quod IV, 2. (al. III, 7.) *Israelitarum* inter gentes dispersorum fit mentio. Sed iis totum Hebraeum populum utriusque regni significari, vix dubium est; vid. not. ad eum loc. Ad exilii Babylonici aetatem vatem nostrum referendum putat Steudel in *dem Archiv für Theologie u. ihre neueste Literatur* a Bengelio edito P. II. p. 232. contendens, Chaldaeos II, 20. *septentrionali* scil. hosti indicari, quo nos cum aliis interpretibus locustarum catervas, quae e plaga septentrionali venerint, intelligimus.

plures annos continuos, ut videtur, agros vastabant. Propheta communi dolore tactus hortatur populum, ut, conversis ad Deum animis, jejuniis, precibus et supplicationibus benignitatem ejus exorent, tum cessaturam calamitatem et placatum Numen nova felicitate et omnium rerum affluentia pristina mala compensaturum esse. Imo fore aliquando longe laetissimam aetatem, qua Deus eximia religionis cognitione et sensu imbuturus sit cultores suos, qui deletis hostibus sub ejus tutela perpetua felicitate fruituri sint. Hoc est simplex totius prophetiae argumentum, si demto poetico ornatu et imaginum varietate rerum summam teneamus. Verum Joel, ut est sublimis ingenii poeta, cui praeter Jesajam et Habacucum in omni vatum Hebraicorum numero vix invenias parem, miro ornatu et egregio artificio haec extulit. Incipit ab apostrophe, qua perterritos ac desolatos cives alloquitur, an quidpiam praesenti calamitati simile aut illi, aut majores illorum viderint? sciscitans. Tum tristissimam terrae, solis aestu et locustarum turmis devastatae faciem coloribus vividissimis depingit. Omnia jacent desolata, exaruit vitis, arida est ficus, emortua palma, quid quod? omnes arbores campi, et gaudium quodvis de terra evanuit. Ipsa ferta et libamina, summo Jovae debita, jamjam desunt, illius ministri sorditati in saccis sedent, cives omnes vestitu lugubri incedunt, animalia anxie suspirant, et ipsa terra moesta luget. Pausa aliqua interjecta picturam

ram ſuam elegiacam audaci allegoria continuat perficitque (II, 1 — 11.). Nova apoſtrophe convocari jubet univerſum populum ad ſupplicationem Jovae faciendam, imminere enim ingentem calamitatem, infeſtům locuſtarum innumerabilium agmen, quod omnia late vaſtaturum ſit. Harum adventum imaginibus ab exercitu hoſtili ductis, qui aurora ocior ſupra montes ſe diffundat, inundet terram, expugnet urbes, conſcendat muros, atque omnia quaſi igne et flamma miſere perdat. Hinc (II, 12.) transit vates ad cives adhortandos, ut ſincero errorum dolore atque ſerio virtutis ſtudio Jovae iram placare ſtudeant, ſpem faciens fore, ut Jova in populum ſuum ſemper benignus, in gratiam redeat, et everſas res larga manu reponat. Multum ſibi placet in deſcribenda futura illa, ſi ad frugem redierint, felicitate, quam ſuaviſſimis imaginibus et vario cum ornatu adumbrat. Quo vero numeris ſuis abſoluta foret aureae felicitatis delineatio, reſtabat, ut omnes beatae gentis hoſtes, illatas injurias luentes graviter plecterentur ac penitus evaneſcerent. Vindictam igitur a Jova in populos Judaeis infenſos exercendam illorumque cladem potior Capitis IV. pars imaginibus graviſſimis et formidoloſiſſimis depingit. Exſtirpatis ſic omnibus inimicis Iſrael ſumma tranquillitate et ſecuritate, imo omnigena felicitate fruetur. In medio ejus ipſe Altiſſimus thronum ſuum aeternum conſtituet, de quo illimis fons prorumpet, cujus aqua viva atque perennis

nis deſerta recreabit, et longe lateque ridentem florem ubertatemque diffundet (IV, 18—20.).

Subjicimus indicem eorum, qui Joelis vaticinia ſeorſim ſcriptis illuſtrarunt.

Sebastiani Tuscani, Eremitae Auguſtiniani, *Commentarius in Joelem*, Coloniae, 1556.

Joel, cum adnotationibus et verſione trium Rabbinorum expoſitus per Gilbert. Genebrardum. Pariſiis, 1563. 4.

Eliae Schadaei *Synopſis Joelis praecipuorum locorum et rerum.* Argentorati, 1588. 4.

Francisci Bunny *Enarratio in Joelem prophetam.* Londini, 1588. 1595. 8.

Jacobi Matthiae *Praelectiones in Joelem.* Baſileae, 1590. 8.

Simonis Simonidis *Commentarius in Joelem prophetam.* Cracoviae, 1593. 4.

Benjamini Boneri *Paraphraſis prophetae Joelis, belli Turcici importunitatem, poli gravitatem, ſoli pravitatem, proponens.* Francofurti ad Oderam, 1597. 4.

Jo. Wolderi Διέξοδος *prophetarum Joelis et Jonae*, Vitebergae, 1605. 4.

Salomonis Gesneri *Commentarius in Joelem*, Viteberg. 1614. 8.

Jo. Henrici Ursini *Commentarius in Joelem*, Francofurti, 1641. 8.

Jo. Stralii *Joeliſche Wunderzeichen in Erklärung dieſes Propheten.* Viteberg. 1650. 4.

Joel

Joel explicatus, in quo textus Ebraeus prophetae Joel variis modis per paraphrasin Chaldaicam, Masoram magnam et parvam, perque trium praestantissimorum Rabbinorum, R. Salom. Jarchi, R. Aben-Esrae, et R. Dav. Kimchi Commentaria, nec non per varias notas philologicas illustratur, cui in fine adjectus est Obadias eodem fere modo illustratus. Auctore Joa. Leusden, Ling. S. in Academ. Ultraj. P. O. Ultraj. 1657. 8.

Commentary on the Prophecy of Joel, by Ed. Pocock. Oxfort, 1691. fol. Latine redditus Lipſ. 1695. 4.

Cornelii Hasaei *Prophetia Joelis, analyſi et poſitionibus theologico-philologicis illuſtrata.* Bremae, 1697. 4.

Jo. Jac. Schurmanni *prophetiſche Schaubühne der göttlichen Gerichte, in Erklärung des Propheten Joel.* Weſel, 1700. 4. Poſtea ſuam explicationem edidit belgice translatam hac epigraphe: *Io. Jac. Schuurmanns,* Bedien. des h. Evangel. tot Cleve, *Prophetie des Propheten Joels, na een bequame Ontledinge, door kortbondige Verklaringe der Woorden, Sprekwyſen en krachtige Demonſtratien der prophetiſche waarheden opgeheldert; de Harmonie tuſſchen deſen en de andere Propheten aangehalt; die Vervullinge aangetoont, en eindelik ten gebruik gebragt.* Weſel, 1703. 4.

Theo-

Theodor van Toll, Predikant tot Woudenberg, *Uitlegginge van den Prophet Joel, waarin de Kracht der Grund-Woorden, Sprekwyſen en Oudheeden grondig verklaard worden. De letterlyke Sin word bloot gelegt, de geeſtelyke en verborgene Beteekeniſſe aangetoond, en door Aanmerkingen en Vertoogen, die tot de Kerkleyke Geſchiedeniſſe behoorden, opgehel-dert.* Utrecht, 1700. 4.

Hermannus von der Hardt expoſuit Joelem tam in *Tribus primis Joelis Elegiis Sacris*, Helmſtad. 1708., quam in *Joelis libellis ſeptem et Epiſtola una*, ibid. 1720. 8.

Der Prophel Joel, vom Ausgang des Alten und Anfang des Neuen Teſtaments, durch alle ſieben Zeitordnungen, bis ans Ende der Welt, aus dem Grund-Text deutlich überſetzt, durch eine Paraphraſin ordentlich erläutert, und aus der Emphaſi aller Ebräiſchen Wörter, Buchſtaben, Vocalium und Accenten gründlich erkläret, von Joh. Wilh. Zierold, Praepoſito und Paſtore Primario zu Stargard. Frankf. und Leipz. 1720. 4.

A Paraphraſe and critical Commentary on the Prophecy of Joel. By Samuel Chandler. London, 1735. 4.

Christ. Frid. Baueri, Theologi Viteberg., *Introductio in Prophetiam Joelis*, Viteb. 1741. 4. quam ſequuta *Expoſitio Prophetiae Joelis*, in quat. Diſſertatt. Viteb. 1741. et 1742. 4. editis.

Liber

Liber divinarum revelationum ad Joelem, filium Pethuelis, ad textum originalem translatus, animadverſionibusque philologicis illuſtratus, a GOTTLOB HENR. RICHTER. Viteb. 1747. 8.

SIEGM. JAC. BAUMGARTENS *Auslegung des Propheten Joels,* Halae, 1756. 4.

CAR. FRIDER. CRAMERI, Prof. Chilonienſis, *Commentarius in Joelem* vernacule ſcriptus exſtat in ejus libro quem inſcripſit: *Scythiſche Denkmäler in Paläſtina,* Kiel und Hamburg, 1777. 8. p. 143—245.

CAROL. PHIL. CONZ *Diſſertatio de charactere poetico Joelis cum animadverſionibus philologico-criticis.* Tubing. 1783. 4.

Joel, vates olim Hebraeus, cura JOA. BÜTTNERI. Coburg. 1784. 8.

Joel metriſch überſetzt, mit einer neuen Erklärung, von D. JAC. CHRISTOPH RUDOLPH ECKERMANN, Prof. der Theol. zu Kiel. Lübeck u. Leipz. 1786. 8.

Joel neu überſetzt und erläutert von CARL WILH. JUSTI. Leipzig, 1792. 8.

Joel latine verſus et Notis philologicis illuſtratus ab A. SVANBORG, Lingg. OO. Prof. in Academ. Upſal., in *ſex* Diſſertatt., quae Upſal. 1806. 4. prodiere.

J O E L.

Cap. I.

A R G U M E N T U M.

Praemissa inscriptione (Vs. 1.), et excitatis ad attentionem animis (Vs. 2. 3.), diram famem per siccitatem et perniciosum locustarum exercitum divinitus immittendam vaticinatur pluribusque describit Vs. 4 — 12., unde transit ad cives suos hortandos, ut poenitentia, jejunio, et seriis precibus avertere studerent mala, quae ipsis aut impendebant, aut jamjam eos invaserant, Vs. 13 — 20.

1. Inscriptio libri, qualis Hoseae aliorumque prophetarum vaticiniis praeposita. דְּבַר־יְהוָה *Verbum Jovae*, id est, ut Chaldaeus vertit, פִּתְגָם נְבוּאָה מִן קֳדָם יְיָ, *verbum prophetiae a Jova.* אֲשֶׁר הָיָה אֶל־יוֹאֵל *Quod fuit*, directum erat, *ad Joel*, quod nomen, inquit Hieronymus, „apud nos sonat: *incipiens*, vel, *est Deus*, dicente Apostolo [Paulo Phil. III, 13.]: *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse*, qua humilitate succrescens cum Moyse meretur audire [Exod. III, 14.]: *Qui est misit me.* Ad distinctionem enim eorum, qui non sunt, de quibus et in Esther [XIV, 11.] legimus: *Ne tradas sceptrum tuum his, qui non sunt*, Deus et Sancti ejus *esse* monstrantur." Sed יוֹאֵל vix dubium est contractum esse ex יְהוָה et אֵל, ut significet

vel: *Jova* eſt *Deus*, cf. 1 Reg. XVIII, 39. infra II, 27. al., vel: cui *Jova* eſt *Deus*, ut אֱלִיאֵל, 1 Chron. VI, 19. בֶּן־פְּתוּאֵל „Septuaginta Interpretes pro *Phatuel* verterunt *Bathuel* [Βαθουὴλ], quod apud Hebraeos omnino nibil reſonat. *Phatuel* antem in linguam noſtram vertitur *latitudo Dei*, vel *aperiens Deus*, ut in Marco [VII, 34.] legimus Salvatorem ad ſurdum mutumque dicentem: *Ephpheta*, quod eſt, *adaperire*. Quia enim cum Apoſtolo dici poterat [2 Cor. VI, 11.]: *Os noſtrum patet ad vos, o Corinthii, cor noſtrum dilatatum eſt*, et audiebat a Domino [Pſ. LXXXI, 11.]: *Dilata os tuum et implebo illud*; ipſa quoque oris adapertio non in hominis, ſed in Dei poteſtate eſt; idcirco *aperiens* dicitur *Deus*.“ Hieronymus. Sed poſterior ab eo tradita nominis יוֹאֵל explicatio, qua patris prophetae nomine ad filiī vaticinandi facultatem, divinitus ipſi conceſſam, alludi opinatur, plane concidit, ſi meminerimus, vocem Ἐφφαθὰ apud Marcum eſſe Aramaeum אֶתְפַּתַּח, *aperire te*, adeoque non ad פָּתַח, ſed ad פָּתָה *latus fuit* (vid. not. ad Geneſ. IX, 27.) eſſe referendam. Notat igitur פְּתוּאֵל *dilatatio Dei*, i. e. dilatatio familiae divinitus facta.

2. שִׁמְעוּ זֹאת *Audite hoc!* quod dicturus ſum. Apoſtrophe, ſive excitatio ad attentionem, ut Hoſ. V, 1. IV, 1. Amos III, 1. Pſ. XLIX, 2. Hieronymus: „Arte rhetorica ex rerum magnitudine attentum auditorem facit.“ הַזְּקֵנִים *Senes!* Vs. 14. II, 16., qui aetatis beneficio plura viderant atque audiverant, cf. Job. XXXII, 7. Deuter. XXXII, 7. וְהַאֲזִינוּ „Ubicunque,“ inquit Hieronymus, „haec duo verba, *audite* et *auribus percipite*, juncta ponuntur, non ad ſimplicem tantum verborum ſonum, ſed ad reconditum quoque dictorum intelligentiam pertinere, intelligendum eſt.“ Cf. Geneſ. IV, 23. Jeſaj. I, 2. כֹּל יוֹשְׁבֵי הָאָרֶץ *Omnes incolae terrae* Judaicae, Vs. 14. II, 1. הֲהָיְתָה זֹאת בִּימֵיכֶם *Num factum eſt hoc*, tale quicquam, *in diebus veſtris?* וְאִם בִּימֵי אֲבֹתֵיכֶם *Imo num patrum veſtrorum memoria* tale quid factum eſt? „Nulla haec,“ inquit, „aetas meminit, quae dictu-

dicturus ſum, nec veſtro, nec patrum veſtrorum atque majorum facta ſunt tempore." Hieronymus.

3. עָלֶיהָ *De eo,* 1 Reg. V, 13. לִבְנֵיכֶם סַפֵּרוּ *Filiis veſtris narrate,* quaſi dicat: tam ingens atque inauditum hoc eſt ſeveritatis divinae documentum, ut dignum ſit, de quo vos ac poſteri veſtri in omne aevum loquantur. Cf. Exod. X, 2. Deut. IV, 9. VI, 7. Pſ. XLIV, 2. וּבְנֵיכֶם לִבְנֵיהֶם וּבְנֵיהֶם לְדוֹר אַחֵר *Et filii veſtri* narrent *filiis ſuis, et horum filii* referant *generationi poſterae* ſ. ſequenti, Pſ. CIX, 13. Cf. Pſ. CII, 19. Hieronymus: „Patres autem avos atavosque cognoſce, et filios filiorum, omnem deinceps ſobolem, juxta illud Virgilianum [*Aeneid.* III, 98.]:

Et nati natorum, et qui naſcuntur ab illis."

4. „Exordium ſequitur narratio: ibi ut attentum faceret auditorem, magna et incredibilia ſe dicturum eſſe promiſit, quae nec vetus ſciret hiſtoria, nec praeſens aetas facta cognoſceret." Hieronymus. יֶתֶר הַגָּזָם *Reſiduum* (Ezech. XXXIV, 18.) *erucae,* i. e. id quod reliquit eruca ex plantis terrae, ut recte Kimchi et R. Tanchum a Pocockio allatus, explicant, non reſiduum ipſarum erucarum. אָכַל הָאַרְבֶּה *Comedit locuſta.* Animalium noxiorum recenſentur hoc Verſu ſpecies quatuor, quarum alia alii ſuccedit ita, ut poſteriori cedat, quod a priore relictum eſt; donec quaecunque fructuum terrae erant abſumta ſint omnia. Quatuor nominibus גָּזָם, אַרְבֶּה, יֶלֶק et חָסִיל totidem diverſas *locuſtarum* ſpecies ſignificari, ſententia eſt interpretum longe plerorumque, et ea quidem perquam veriſimilis, quum Levit. XI, 22. legatur: הָאַרְבֶּה לְמִינוֹ, *locuſta ſecundum ſpecies ſuas.* Quod vero eo Levitici loci totius locuſtarum generis eſt nomen, noſtro loco, uti et Pſ. LXXVIII, 46. certam illarum ſpeciem denotare, poſt Pocockium agnoverunt Oedmann in variarum obſervationum res naturales, quarum in V. T. mentio ſit, ſpectantium Sylloge (*Vermiſchte Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der heil. Schrift*) Faſc. II. Cap. 7. p. 91. 92. verſ. germ. et Ol. G.

Tychsen in Commentatione de locuſtis in V. T. memoratis, quae ſubjuncta eſt Ignatii de Aſſyo y del Rio libello de locuſtis, ex Hiſpanico a ſe germanice translato (Roſtoch. 1787. 8.) p. 88. Indicari nomine אַרְבֶּה, ubi certae locuſtarum ſpeciei tribuitur, *gryllum gregarium* Forskalii, cui illud nominis ſit inditum a רָבָה, *multus fuit*, quod hujus ſpeciei magna ſit copia, et gregatim migrent, arbitrantur Oedmannus et Tychſen ll. ll. Quam infirmum vero ſit hujusmodi e ſolo nominis etymo petitum argumentum, unusquisque intelliget ipſe. Nec alia eſt ratio trium reliquarum ſpecierum, hoc Verſu memoratarum, ratio, quae appellationes, quas gerunt, a diverſo laedendi modo obtinuiſſe videntur, quae in eo tamen conveniunt, quod omnes damnum inferant, atque terrae proventus exedant atque conſumant. Et גָּזָם quidem, et Amos IV, 9. obvium, a verbo גָּזַם, quod Talmudicis, Arabibus et Aethiopibus in uſu eſt *abſcindendi* et *amputandi* notione, locuſtis recte inditum eſt, quia praeacutis dentibus non ſolum gramen et ſegetes, atque arborum folia, ſed et cortices ipſosque arborum teneriores ramuſculos ita erodunt, ac ſi amputarentur. Chaldaeus pro גָּזָם poſuit זַחֲלָא, *locuſta repens*, ſeu ἄπτερος, i. e. bruchus, quo nomine ſignificatur foetus, ex ovo locuſtae excluſus, antequam alas habeat. Ita quoque Syrus, qui ܩܡܨܐ habet; vid. Bocharti *Hieroz.* P. II. L. IV. C. I. T. III. p. 254. edit. Lipſ. et ibid. Not. Recte vero גָּזָם a Chaldaeo et Syro *bruchum* redditum eſſe, veriſimile eſt inde, quod hoc loco reliquis locuſtarum nominibus anteponitur, quaſi illa ſpecies agros devaſtandi initium fecerit, quod optime brucho convenit. יֶלֶק, quae quod אַרְבֶּה fructuum reliquit, conſumſiſſe dicitur, memorata quoque Nah. III, 15. 16. Jerem. LI, 14., ex plerorumque interpretum ſententia proprie notat *linctorem* (verbo יָלַק adſcripta notione cognati לָקַק *lingere*), quia, ut Kimchi loquitur, locuſta herbas lambendo et lingendo devorat. Arabibus quoque, obſervante Bocharto (l. l. p. 258.), nomen لُحَسْ, *linctus*, de locuſta

custa dicitur, quae terrae proventum ut tinea lanam lingendo absumit. Alias multo incertiores conjecturas de illo nomine retulimus in Not. 10. ad Bocharti l. l., coll. p. 272. Quarta locustarum species, חָסִיל, nominata quoque Jesaj. XXXIII, 4., et inter locustas Aegyptias Ps. LXXVIII, 46., nomen nacta est a חָסַל, *consumsit*, Deut. XXVIII, 38., quod ipsum verbum Chaldaeus Nah. III, 15. pro hebraeo אָכַל posuit. Notat igitur proprie *exesorem*. Cf. Bochartum l. l. p. 256. et Not. nostr. 8. ibid. Has quatuor locustarum species Judaeam devastasse Hebraei putant quatuor annis continuis, ita ut גָּזָם primo anno, אַרְבֶּה secundo, יֶלֶק tertio, חָסִיל quarto anno saevierint. Cui opinioni recte opponit Bochartus (p. 290.), si singulae species singulis annis assignatae fuissent, non diceretur אַרְבֶּה comedisse residuum τοῦ גָּזָם, et יֶלֶק residuum τοῦ אַרְבֶּה, et חָסִיל residuum τοῦ יֶלֶק; neque enim hujus anni proventus sunt praecedentis reliquiae, nec quae futuro provenient in hujus anni reliquiis habere possunt. „Itaque," addit Bochartus, „sive annotina fuerit haec locustarum plaga, aut, quod ex Joel II, 25. videtur recte concludi, in plures annos propagata; non tamen singulas locustarum species singulis annis assignandas, sed omnes eodem anno in Judaeam puto ingruisse. Ita ut, uno agmine ex agro aliquo discedente alterum succederet, praecedentis reliquias, si quae essent, depasturum et consumturum: idque repetitum toties, ut nihil omnino, quo vel homines, vel bestiae vescerentur, in agro superesset." Ceterum sintne quae de locustis hic et in iis quae sequuntur legimus, proprie intelligenda, an vero allegorice locustarum imagine Judaeorum hostes describantur, gravis jam Hieronymi temporibus agitabatur quaestio. Et ipse quidem Hieronymus inter utramque sententiam ita fluctuat, ut ad posteriorem magis propendeat. Primo enim haec referri narrat ad quatuor imperia, quae singula temporis progressu in Judaeam irruerant. „*Erucam*," inquit, „quae Hebraice *Gazam*, Graece dicitur κάμπη, Hebraei Assyrios interpretantur, Babylonios atque Chaldaeos, qui de uno orbis climate

mate procedentes, tam decem tribuum, quam duarum, hoc est, Israelitici populi, cuncta vastarunt. *Locustam* autem Medos interpretantur et Persas, qui, subverso imperio Chaldaeorum, Judaeos habuere captivos. *Bruchum* [יֶלֶק] Macedonas et omnes Alexandri successores, maximeque regem Antiochum cognomento Epiphanem, qui instar bruchi sedit in Judaea, et omnes priorum regum reliquias devoravit. *Rubiginem* [חָסִיל] referunt ad imperium Romanum, qui, quarti et ultimi, in tantum oppressere Judaeos, ut de suis finibus eos pellerent." Haec ille, tanquam ex mente Hebraeorum, qui tamen, ipso fatente, agnoscunt, etiam ad literam contigisse, quae de locustis hic habentur. „Judaei," inquit, „putant, in diebus Joel tam innumerabilem locustarum super Judaeam venisse multitudinem, ut cuncta complerent; et non dicam fruges, sed ne vinearum quidem et arborum cortices ramosque dimitterent." Sed hanc Judaeorum sententiam ita refellit: „Hoc utrum factum nec ne sit, liquido affirmare non possumus. Neque enim Regum et Paralipomenon narrat historia. Quod utique si fuisset, numquam Scriptura tacuisset. Tantum dicimus, quod sub metaphora locustarum hostium describatur adventus." Deinde, quasi inter utramque sententiam ambiguus, „Ni fallor," inquit, „videor mihi in hoc propheta aliquid reperisse. Narratur impietas hostium sub figura locustarum. Et rursus sic de ipsis locustis dicitur, quasi hostibus compararentur; ut, cum locustas legeris, hostes cogites; cum hostes cogitaveris, redeas ad locustas." Hieronymo assentitur Cyrillus, qui per quatuor pestes hoc Versu indicatas, Salmanassarem, Nebucadnezarem, Antiochum et Romanos intelligit. Addit tamen: Ἀληθὲς μὲν οὖν τὸ χρῆμα, κἂν εἰ ἐπὶ ἀκρίδος τυχὸν νοοῖτο, βρούχου τε, καὶ κάμπης. *Verum quidem hoc est, etiamsi de locusta, bruchoque, et eruca accipiatur.* Theodoretus, postquam nonnullos tropice haec interpretari scripsit de quatuor Assyriae regibus, Tiglathpilassare, Salmanassare, Sennacheribo, et Nebucadnezare, Ἐγὼ δὲ, ait, ἀληθῆ μὲν ἡγοῦμαι καὶ ταῦτα· ὑπολαμβάνω δὲ καὶ τὰ

κατὰ

κατὰ τὸ ῥητὸν νοούμενα τῷ ὄντι γεγενῆσθαι. Ego vero vera quidem haec eſſe cenſeo; ſed et quae ad literam intelliguntur, re vera contigiſſe arbitror. Chaldaeus noſtro loco literalem ſenſum amplectitur, quaeque hic exſtant locuſtarum nomina vocibus illis in ſua lingua reſpondentibus reddit. Sed infra II, 25., ubi eadem, quae hic, nomina repetita leguntur, in myſticum ſenſum delabitur, et pro quatuor locuſtarum ſpeciebus ponit עַמְמַיָּא אוּמַיָּא וְלִישָּׁנַיָּא וְשִׁלְטוֹנַיָּא וּמַלְכְוָתָא פּוּרְעָנוּת *populos, nationes, linguas, imperatores atque regna vindictae,* id eſt, quibus Deus uſus eſt ad rebellium in populo ſuo ultionem. Ex Hebraeis Jarchi, Aben-Esra et David Kimchi, celebriores ſuae gentis interpretes, proprie de *locuſtis* exponunt, quae fructus terrae abſumebant, eoque cauſam praebebant ingentis famis, reique frumentariae inopiae, quae regioni incubuit. R. Tanchum non tantum quae hoc Verſu exſtant verba, ſed et quae ſequuntur Vs. 6. de locuſtis exponit, ita tamen, ut fateatur, non abſurdum eſſe dicere, quaecunque memorantur de natura locuſtarum earumque actionibus, parabolice intelligenda eſſe de hoſtium irruptione, eorumque multitudine atque terrae devaſtatione. Idque ex aliis loquendi modis, quae ſequuntur, conatur confirmare, praeſertim ex illo terrore, quo efficiebantur intuitu harum locuſtarum. Nec non ex eo, quod nulla liberatio ſuperfutura dicitur, niſi *in reſiduis, quos Jova vocaverit,* III, 5., unde difficili ſit creditu, tantam valuiſſe *locuſtarum* immiſſionem. Eo quoque tendere, quae adjunguntur de ſumenda vindicta de hoſtibus III, 7. Atque illis recentior Abarbenel, ſibi minime perſuadere poſſe dicens, de locuſtis ſermonem eſſe, illarum ſub imagine, plane ut Hebraei Hieronymo commemorati, quatuor regna Judaeis inimica, Babyloniorum, Perſarum, Graecorum et Romanorum, deſcribi exiſtimat. Ex noſtrae aetatis interpretibus Steudel et eo loco, quem ſupra (p. 426. not. 18.) laudavimus et in Programm. in noſtri vatis Cap. III. infra recenſendo (p. 13. not.) quae hoc Cap. de locuſtis legimus proprie intelligenda eſſe negat.

„Si,“

„Si," inquit, „propheta oracula inter se cohaerere sumserimus, vix, ut taceam alia argumenta, locustarum sese excipientium exercitus C. I. II. de quoquam alio quam de diversorum sibi subsequentium hostium copiis intelligemus; ex quibus unus, ut tum temporis quam maxime timendus *borealis* iste, scil. rex Assyriae nominatim refertur [II, 22.]." Sed *boreali* illo, הַצְּפוֹנִי, nihil obstare, quo minus locustas intelligamus, videbimus ad illum locum. Quum autem in tota hac descriptione nihil occurrat, quod non locustis optime conveniat, nos non dubitamus, illam plano suo ac simplici sensu accipere, cum Bochaʀᴛᴏ in *Hieroz.* P. II. L. IV. Cap. IV. T. III. p. 292. ed. Lips., ubi Abarbenelem refutavit. Calamitatem vero terrae Judaicae a locustis illatam jam aliquamdiu durasse, von difficile colligitur et ex ipso nostro Versu, et ex eo quod infra II, 25. legitur: *Et rependam vobis annos illos, quos absumsit locusta* etc. Et eandem, a qua Judaei nondum immunes fuerunt, plagam diutius duraturam pronunciat propheta, si in peccatis essent perseveraturi.

5. Excitat vates popularium suorum animos, ut ea qua par erat attentione adverterent, quae huc usque passi erant, quodque ipsis jam erat immissum malorum, eum in finem factum putarent, ut, quam graviter Deum provocassent, sentirent, quantaque opus esset movendi eum sedulitate, ut quodcunque adversi immorigeris obvenisset, benigniter velit ire compensatum. הָקִיצוּ *Expergiscimini,* 2 Reg. IV, 31. Prov. XXIII, 35., quo loco idem verbum usurpatur de homine se ipsum ex mentis stupore excitante. LXX: *ἐκνήψατε.* שִׁכּוֹרִים *Ebrii,* quibus longa compotatio somnum solet conciliare; cf. Jesaj. V, 11. 13. Verba quae his adduntur: וּבְכוּ וְהֵילִילוּ, *ac flete et ejulate,* indicant malorum, quibus oppressi erant, gravitatem. כָּל־שֹׁתֵי יָיִן *Omnes vini potores;* cf. Jesaj. XXIV, 9. Amos VI, 6. עַל־עָסִיס *Super musto.* Nomine hebraeo, et infra IV, 18., nec non Jesaj. XLIX, 26. Amos IX, 13. et Cant. VIII, 2. obvio, a verbo

a verbo עָסַס, *pressit, calcavit* (Mal. IV, 3.), derivato, significatur liquor, qui premendo et calcando ex uvis aut aliis fructibus exprimitur. Chaldaeus vertit עַל חֲמַר מֵרַת, *ob vinum merum.* Syrus: ܥܠ ܚܡܪܐ ܥܣܝܣܐ *ob vinum.* LXX: εἰς μέθην, non quod nomen עָסִיס *ebrietatem* significare putarent, verum quod vinum ad inebriandum aptum intelligerent (cf. Jesaj. XLIX, 26.), quemadmodum Vulgatus, dum *in dulcedinem* vertit, dulce et gratum vinum intellexit. Praeterea uterque interpres particulam עַל cepit pro *ad, in.* כִּי נִכְרַת מִפִּיכֶם *Quod excisum* et ablatum est mustum *ab ore vestro,* locustis omnes prorsus devastantibus uvas, ex quibus illud parabatur. Sic infra Vs. 9. הָכְרַת מִנְחָה, *excisum est fertum,* et Vs. 16. אֹכֶל נִכְרָת, *cibus excisus est,* nempe a locustis, quarum una species גָּזָם dicitur ab *excidendo,* vid. ad Vs. 4. Sed hic propheta utitur verbo כָּרַת, ut Nah. III, 15. תַּכְרִיתֵךְ, *exscindet te gladius, et absumet ut bruchus.* LXX: Ὅτι ἐξῆρται τοῦ στόματος ὑμῶν εὐφροσύνη καὶ χαρά.

6. Exponit calamitatem illam, qua vinum potoribus auferatur. כִּי-גוֹי עָלָה *Nam gens ascendit,* locustarum, Vs. 4. Nihil est, quod obvertit Abarbenel, de locustis non posse *gentis* nomen usurpari. Quum tamen non solum Paroemiastes Prov. XXX, 25. 26. de *formicis* et *choerogryllis* eodem nomine usus sit, verum et poetis exteris hac metaphora nihil sit frequentius. Ita Homerus *Iliad.* II. 87.

Ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἁδινάων,

ut sunt gentes apum frequentium. Idemque eadem ἐθνῶν appellatione utitur de volucribus, muscis, muribus, aliisque animalibus. Locorum tam ex Homero, quam ex aliis poetis Graecis Romanisque magnam copiam attulit Bochartus *Hieroz.* P. II. L. IV. C. IV. T. II. p. 293. seqq. edit. Lips., idemque ex Arabum Philologis observat, Arabicum أُمَّة, *gens,* de quorumcumque animalium multitudine dici. עַל-אַרְצִי *Super terram meam;* suffixum haud pauci hic ut Vs. 7.

IV,

IV, 2. ad Jovam referunt, coll. Hof. IX, 3. (אֶרֶץ יְהוָה). Verum quum totus orationis contextus arguat, loqui vatem, ad hunc fuffixum referendum effe, vix dubitari poteft. *Suam* vocare recte potuit terram Judaicam, in qua natus erat, et cujus erat incola. עָצוּם Adeo *numerofa*, *copiofa*, II, 2. 5. 12. Num. XXXII, 1. Jef. LX, 22. וְאֵין מִסְפָּר *Ut nullus* ejus fit *numerus*. Sic de Midianitis et Amalekitis dicitur Jud. VI, 5. *Venerunt ut locuftae multitudine*, *et ipforum atque camelorum fuorum nullus erat numerus*. Cf. ibid. VII, 12. Jerem. XLVI, 23. *Numerofiores locuftis*, *nec eis numerus*. שִׁנָּיו *Dentes ejus*, gentis locuftarum. שִׁנֵּי אַרְיֵה Sunt *dentes leonis*, quod Joannes Apocal. IX, 8. vertit: ὀδόντες αὐτῶν ὡς λεόντων ἦσαν, *dentes earum*, locuftarum, *ut leonum erant*, i. e. duri, validi, acuti. Plinius de locuftis *Hift. Nat.* L. XI. c. 29. *Omnia morfu erodentes et fores quoque tectorum*. וּמְתַלְּעוֹת לָבִיא לוֹ *Et molares* (Prov. XXX, 14.) *leaenae* (Jef. V, 29.), *illi* funt. Quae vis eft ftupenda prorfus in tam vili animalculo. Ut non immerito Hieronymus ad haec verba exclamet: „Quid *locuftis* fortius, quibus humana induftria refiftere non poteft?" Et Cyrillus: Ἄμαχον τὸ χρῆμά ἐστι, καὶ ἀκαταγώνιστος κομιδῇ τῶν τοιούτων ἡ ἔφοδος, ἱκανή τε ἄρδην ἀπολέσαι τὰ ἐν ἀγροῖς. *Res eft infuperabilis*, *et prorfus inexpugnabilis eft eorum impreffio*, *et ad perdendas ruris opes plane fufficit.* Cf. quae ad Vs. 7. de locuftis afferemus ex Ludolfo. Quod ab illis demorfum eft Arabes, Bocharto obfervante, نَاشِر vocant, id eft, *denticulatum in ferrae modum.* Nam أَشَرَ eft *ferra fecare.* Effe quandam inter maxillas locuftarum acutas et denticulatas, atque leonum maxillas fimilitudinem, quam vates in hac comparatione refpiciat, obfervat Jufti ad h. l. ex Fabricii *Generibus infectorum* p. 96.

7. שָׂם גַּפְנִי לְשַׁמָּה *Pofuit* gens illa locuftarum (Vs. 6.) *vitem meam*, i. e. vites patriae meae (de fuffixo vid. ad Vs.

Vs. 6.) *in desolationem*, depopulata est vites hujus terrae; usque adeo exedendo atque arrodendo eas perdidit, ut amplius non sint proficuae. Cf. Vs. 12. Hos. II, 14. Locustas vitibus perquam infestas esse, probavit Bochartus l. c. p. 295. Cf. *das alte u. neue Morgenl.* P. IV. p. 370. וּתְאֵנָתִי לִקְצָפָה *Et ficum meam* posuit *ad* s. *in confractionem*. LXX: *εἰς κλασμόν*. Arabice قصف est *frangere nimio onere*, et قصيف *fractus arboris ramus*. Nam summos arborum ramos locustae depascuntur, vel nimio insidentium onere frangunt. Hieronymus: *ficum meum decorticavit*. Alii cum Aben-Esra: *in spumam*, i. e. in rem nihili, coll. Hos. X, 7. חָשֹׂף חֲשָׂפָהּ *Nudando nudavit*, i. e. penitus nudavit *eam*, Genes. XXX, 37. Ps. XXIX, 9. Chaldaeus: מִקְלַף קְלַף, *decorticando decorticavit*. „Sed," inquit Bochartus l. l. p. 296., „ut *nudari* dicatur arbor, corticem adimi necesse non est. Sufficit enim, ut folia, et fructus, vel flores auferantur. Id Graece dixeris ψιλοῦν." וְהִשְׁלִיךְ *Et dejecit* in terram, Jerem. IX, 18. הִלְבִּינוּ *Albuerunt*, Jes. I, 18., vel detracto cortice, vel cum ipse cortex putrescit. שָׂרִיגֶיהָ *Palmites ejus*, vitis. שָׂרִגִים non arborum ramos, sed palmites notare, docet vocis usus Gen. XL, 10. 12. Abu-Walid, Pocockio referente, comparat hanc vocem cum Arabico سرع, quod usurpatur de frondibus et ramis اذا امتدت, *cum sese extendunt*. Praecipuus Arabum Lexicographus, auctor Lexici, cui *Camus* nomen (Firuzabadi) ait, nomen سرع significare قضب الكرم للغض لسنته, *teneros ramusculos vitis primi anni*, vel كل قضيب رطب *omnem ramum viridem*. Idem refert, السَّرْغ cum غ, *g*, quae litera sono ab hebraea non admodum differt, esse قضيب الكرم, *virgam*, i. e. palmitem *vitis*. Quae ceterum hisce duobus Versibus (6. 7.) de clade per locustas illata dicuntur, minime esse supra veritatem aucta, cognosci poterit

poterit ex iis, quae ex variis variorum itinerum commentariis ad Exod. X, 13. 15. attulimus. Eorum summam hic dabimus Ludolfi *Hist. Aethiop.* L. I. C. XIII. §. 16. seqq. verbis: „Longe exitiosiores [serpentibus] sunt *locustae*, quae non deserta et arenosa loca quaerunt; ut serpentes; sed arboribus consita atque frugibus culta. Ineffabili multitudine instar densae nubis solem obumbrant; non herbae, non frutices, non arbores intactae manent: quidquid herbidum aut frondosum, arroditur, quasi igne tostum esset. Etiam cortices arborum dentibus mandunt; et sic non in unum tantum annum nocent. Sequuntur hominum pecudumque mortes et vastitas regionum per aliquot annos, quia tantae calamitati tolerandae neque foenum, neque frumentum, convehere aut coacervare solent.“ Quae plurium, qui istas oras adierunt, testimoniis confirmavit Ludolfus in *Commentario ad suam Histor. Aethiop.* p. 173. seqq. Adde Oedmanni *Vermischte Samml.* Fasc. III. C. X. p. 84. vers. teuton.

8. אֱלִי *Ejula*, congregatio Israelis! ut Chaldaeus supplet. Quae exstant Vs. 5. verba sunt numeri pluralis, pariterque nomina, ad quae verba sunt referenda; sed hic verbum singularis numeri ac generis feminei, ejusdem rationis nomen requirit, quod quum non sit expressum, subaudiendum esse patet. Alii cum Aben-Esra subaudiunt אֲדָמָה, *regio*, alii נַפְשִׁי, *anima mea*, alii בַּת־צִיּוֹן, *filia Zion*, alii בְּתוּלַת בַּת־עַמִּי, *virgo, filia populi mei*, coll. Jerem. XIV, 17. Thren. I, 15. Simplicissimum, quod Chaldaeus posuit. אֱלִי ceterum est Imperativus femineus verbi אָלָה, hoc solo loco obvii, idem quod Aramaeum אֲלָא, *luxit, ploravit*, vid. e. c. Chaldaeum 2 Sam. III, 33. Convenit cum הֵילִיל supra Vs. 5. In Graeco Alexandrino legitur: *θρήνησον πρός με.* Recte Drusius duas hic interpretationes coaluisse notat. Nam אלי si legas, אֵלַי sonat *πρός με*, si אֱלִי sonat *θρήνησον.* כִּבְתוּלָה חֲגֻרַת־שַׂק עַל־בַּעַל נְעוּרֶיהָ *Sicut virgo accincta sacco s. cilicio*, habitu lugubri (vid. Jesaj.

Jeſaj. III, 24. XV, 3. XXII, 12.), quae luget *ſuper* mortuo vel erepto ſibi *marito juventutis ſuae*, cui nuper deſponſata fuit, quemque tenerrime adhuc diligit; cf. Jeſaj. LIV, 6. Prov. II, 17.

9. הָכְרַת *Excifum eſt* a locuſtis, Vs. 5., et deſiit, Num. XI, 33. מִנְחָה *Fertum*, cujus praecipua pars erat ſimila, vid. Levit. II, 1. ſeqq. VI, 14. Num. XV, 4. וָנֶסֶךְ *Et libamen*, quod fiebat ex vino, vid. Num. XV, 5. 7. XXVIII, 7. 14. מִבֵּית יְהוָה *E domo Jovae*, i. e. templo, Vs. 14. 16., quod igitur adhuc exſtitit, non vero, ut vult Abarbenel, exciſum fuit. Cf. Prooemium. אָבְלוּ הַכֹּהֲנִים Unde *lugent ſacerdotes*, Vs. 13. מְשָׁרְתֵי יְהוָה *Miniſtri Jovae*, II, 17. LXX: Οἱ λειτουργοῦντες θυσιαστηρίῳ Κυρίου. Nempe de frumento, vino et oleo primitiae Deo offerebantur et decimae, Num. XVIII, 8. 12. 20. Deut. XIV, 23. XVIII, 3. 4.; ſed et ferta ac libamina ex iisdem fiebant. Itaque quum illa deeſſent, a locuſtis abſumta, ut Verſu proximo dicitur, non erat, unde ſolitae fierent oblationes, de quo lugent ſacerdotes. LXX אִבְלוּ pro Imperativo ceperunt, nam πενθήσατε verterunt. Hieronymus: „Ob locuſtarum, ſive hoſtium multitudinem, qui ſub earum ſpecie deſcribuntur, vaſtatis omnibus atque conſumtis, periit ſacrificium et libatio de domo Domini; quorum alterum de ſimila, alterum de vino offerre ſoliti erant. Idcirco luxerunt ſacerdotes, qui ſunt miniſtri Domini, nec ſacrificiis nec libamentis rite celebratis; maxime quia et decimae, quas accipere conſueverant, nequaquam oblatae ſunt.“

10. שֻׁדַּד שָׂדֶה *Vaſtatus eſt ager*, in quo laeta fuerat ſeges, II, 3., cf. Jerem. IV, 20. אָבְלָה אֲדָמָה *Terra luget*, ut quaecunque deſolata ſunt et in deterius mutata, Jeſaj. XXIV, 4. Hoſ. IV, 3. כִּי שֻׁדַּד דָּגָן *Nam vaſtatum eſt triticum*, a locuſtis abſumtum. Cf. *das alte u. neue Morgenl.* I. I. p. 371. ſeqq. הוֹבִישׁ *Erubuit* tanquam pudore adfectum, Vs. 12. 17. Jeſaj. XXXIII, 9. Hoſ. XIII, 15. תִּירוֹשׁ *Muſtum*, quod hominum exſpectationi reſpondere non poſſit. Ut Jeſaj.

Jeſaj. XXIV, 7. אָבַל תִּירוֹשׁ, *luget muſtum.* אֻמְלַל יִצְהָר *Languet oleum,* II, 19. Chaldaeus: בְּחָרוּ זֵיתַיָּא *defluxerunt olivas.* Frumentum autem, muſtum et oleum memorantur potiſſimum reſpectu ad templum habito, Vs. 9., quia ex illis primitiae, decimae ac ferta cum libaminibus danda erant.

11. Hinc ſpe ſua deſtituti et הֹבִישׁוּ, *pudore ſuffuſi ſunt,* Vs. 10. Jeſaj. XXX, 5. Alii cum Chaldaeo vertunt in Imperativo: *erubeſcite,* אִכָּרִים *vos, o agricolae!* ob incaſſum deperditam operam veſtram. הֵילִילוּ *Ejulant,* Jerem. XLVII, 2. Alii: *ejulate,* ut ſequ. Vs. 13. כֹּרְמִים *Vinitores,* 2 Reg. XXV, 12. עַל־חִטָּה וְעַל־שְׂעֹרָה *Propter triticum et propter hordeum.* Bochartus: „Ordo eſſet: *Erubeſcite, agricolae, propter triticum et hordeum; ejulate, vinitores,* quia *vitis erubuit* (Vs. 12.). Sed haec transponuntur per figuram, qualis χιασμός." כִּי אָבַד קְצִיר שָׂדֶה *Quoniam periit meſſis agri.* Neque enim, obverſante Bocharto ex Muffeti *Theatro Inſectorum,* morſu ſolum locuſtae ſegetibus, paſcuis, hortis pomariisque nocent; ſed ſtercore item nigro, viridi, mordaci, gravi; bilioſaque inprimis atque acri ſaliva, quam multam ex ore inter rodendum fundunt.

12. Vinitores vero (Vs. 11.) ejulabunt, quia הַגֶּפֶן הוֹבִישָׁה *vitis* a locuſtis eroſa (Vs. 7.) *erubeſcit,* ſucco ſuo et fructu ſpoliata, ut erubeſcere pudore homines ſolent, cum illis mali aliquid praeter opinionem accidit, vel cum ſpe ſua, qua aluntur, excidunt. Alii cum LXX, Chaldaeo et Syro *exaruit* vertunt, coll. Joſ. II, 10. IV, 23. Sed iis locis verbum uſurpatur transitive de Deo Jordanis aquas exſiccante. וְהַתְּאֵנָה *Et ficus,* Vs. 7. Habac. III, 17. אֻמְלָלָה *Languet,* Vs. 20. 1 Sam. II, 5. רִמּוֹן *Malus punica,* cujus ferax illa regio, Habac. II, 19. גַּם־תָּמָר *Etiam palma,* vegeta alioquin arbor, Pſ. XCII, 13. וְתַפּוּחַ *Et malus,* Cant. II, 3. VIII, 5. כָּל־עֲצֵי הַשָּׂדֶה *Imo omnes arbores agri,* Vs. 19. Ezech. XVII, 24. יָבֵשׁוּ *Aruerunt,* propter detractum corticem, Vs. 7. Cf. Amos I, 2. IV, 7. Hieronymus:

mus: „Quid loquar de frumento, vino, oleoque et hordeo, quum etiam arborum poma ficcata fint, ficus elanguerint, et malogranatum et palma, et malum, et omnia ligna, vel infructuofa, vel fructifera, locufta vaftante confumta fint." כִּי־הֹבִישׁ *Quia erubuit*, in pudorem verfum et ablatum eft, Vs. 10. 11. שָׂשׂוֹן *Gaudium*, quo homines adficiuntur in meffe et vindemia, et quum arborum fructus colliguntur; cf. Pf. IV, 8. Jefaj. IX, 3. Alii *gaudium* μετονυμικῶς pofitum volunt pro illis rebus, ex quibus gaudium capiebatur. LXX: ἤσχυναν χαρὰν οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων. Videntur הֹבִישׁ paffive accepiffe, quafi verborum hebraeorum fenfus hic effet: *gaudium pofitum eft in pudorem ab hominibus.* Vulgatus: *confufum eft gaudium a filiis hominum.* Chaldaeus: פְּסַקַת חֶדְוְתָא מִבְּנֵי אֱנָשָׁא *defiit gaudium a filiis hominum.* Ita et Syrus.

13. חִגְרוּ Quare *circumcingimini* faccis, f. habitu luctuofo, ut Vs. 8., et jam fequitur. וְסִפְדוּ *Et plangite*, Jerem. IV, 8. הַכֹּהֲנִים *Sacerdotes!* Veftrum enim eft, exemplo ad poenitentiam ceteris praeire, in communi praefertim calamitate, Vs. 9. הֵילִילוּ *Ejulate*, Vs. 5. מְשָׁרְתֵי מִזְבֵּחַ *Miniftri altaris.* Cf. 1 Cor. IX, 13. Οὐκ οἴδατε ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν; Οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται; בֹּאוּ *Ingredimini* templum. Id enim intelligendum effe et res ipfa, et altaris mentio arguit. לִינוּ בַשַּׂקִּים Et *pernoctate* etiam *in faccis*, 2 Reg. XIX, 1. 2. Jon. III, 8. Non definete lugere, et Jovam adire fupplices. מְשָׁרְתֵי אֱלֹהָי *Miniftri Dei mei*, Vs. 9. II, 17. כִּי־נִמְנַע *Nam prohibetur*, ceffat, Job. XXXVIII, 15. Cf. Jerem. III, 3. V, 25. Amos IV, 7. מִבֵּית אֱלֹהֵיכֶם מִנְחָה וָנֶסֶךְ *A domo Dei veftri fertum et libamen*, cf. not. ad Vs. 9.

14. קַדְּשׁוּ־צוֹם *Sanctificate jejunium*, fancte celebrandum indicite, II, 15. 16. Mich. III, 5. עֲצָרָה *Proclamate coetum* folennem, ad publicas preces in templo faciendas, quibus moveatur forfan Jova, ut calamitatem iftam averteret.

teret. עֲצָרָה Chaldaeus כְּנִישָׁא, Jarchi אֲסִיפָה, Kimchi קָהָל interpretantur, quae voces omnes *congregationem* notant. Denominationis rationem in Lexico Kimchi dicit hanc, לפי שנעצרים ומתעכבים במקום אסיפתם, *quia detinentur et morantur in eo loco, ubi una ſunt congregati.* Symmachus quoque *σύνοδον*, et Aquila *ἡμέραν συλλογῆς* vertit. Alias ejus nóminis interpretationes vid. ad Jeſ. I, 13. אִסְפוּ זְקֵנִים *Congregate ſenes*, „quorum aetas vicina morti, maturaeque ſententiae, magis timorem et cultum Dei ſuſcipit," uti ait Hieronymus. Alii *ſenioribus* magiſtratus intelligunt. Alii vero latiſſime eam vocem accipiunt utraque ſignificatione cum pro eis qui aetate provecti, tum pro illis, qui dignitate ſeniorum nomen adepti erant, quos utrosque ad poenitentiam agendam moneri quidam hic putant praecipue aetate quidem provectiores, eo quod magis Deum offendiſſent, illorumque reatus eſſet gravior; auctoritate vero eminentes, quod eorum exemplo alii ad peccata illecti eſſent. כֹּל יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ Et vos, *omnes terrae* Judaicae *incolae;* cf. Eſr. X, 7. 9. Alii haec verba in Accuſativo capiunt: congregate, vos ſeniores, *omnes terrae incolas.* בֵּית יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם *In domum Jovae, Dei veſtri,* i. e. in templum, Vs. 13. Cf. Jeſaj. LVI, 7. 1 Reg. VIII, 37. ſeqq. וְזַעֲקוּ אֶל־יְהוָה *Et clamate ad Jovam,* ardentiſſimas ad eum fundite preces. LXX addunt *ἐκτενῶς*, Luc. XXII, 44. Syrus vero addit: ܘܐܡܪܘ *et dicite*, quaſi in ſequentibus praeſcriberetur a propheta, quid clamandum eſſet. Sed nil obſtat, quo minus Verſu ſequenti ſub ſua ipſius perſona miſeram impoenitentis populi conditionem lugeat.

15. אֲהָהּ לַיּוֹם *Ah diem!* i. e. o infauſtum et triſtiſſimum illum diem! de quo nimirum in antecedentibus dixerat. Vocem אֲהָהּ Kimchi recte ait eſſe exclamationem propter angorem et ſollicitudinem, vid. 2 Reg. III, 10. Ezech. XXX, 2. כִּי קָרוֹב יוֹם יְהוָה *Nam propinquus eſt dies Domini,* quo nonnulli eum intelligunt diem, quo Jova ſe ſtiturus ſit tanquam judex, ut in Judaeos animadvertat,

locu-

locustarum agmine in eos immisso. Sed ex loco infra III, 3. 4. (al. II, 30. 31.) patet, *die Domini* intelligi diem multo graviorum malorum, quae huic terrarum orbi ruinam adferent, cujus praenuncia summa illa a locustis illata vastatio credebatur; cf. not. infra ad loc. laudat. Eodem sensu יוֹם לַיהוָה usurpatur Jesaj. II, 12., ad quem loc. vid. not. וּכְשֹׁד מִשַּׁדַּי יָבוֹא *Et sicut vastatio ab Omnipotente veniet*, ita ut nemo ei resistere possit. Particulam כ quidam redundare existimant. Sed minime carere illa videtur sua emphasi, quippe qua significetur, mala ventura fore plane insolita, et infligenda exspectatione citius a tanta potestate, cui resistere aut effugere nemini foret integrum. Ceterum in nominibus שֹׁד et שַׁדַּי observa elegantem Hebraeis paronomasiam, quae ipsa et Jesaj. XIII, 6. exstat, ad quem loc. cf. not.

16. Rationem addit, cur supremam orbis diem instare credat. הֲלוֹא *Nonne* enim? Verba interrogandi forma prolata evidentius validiusque affirmant, et rerum dicendarum veritatem probant. נֶגֶד עֵינֵינוּ *Coram oculis nostris*, nobis cum maximo aegritudine spectantibus, ut Ps. XXIII, 5. נֶגֶד צֹרְרָי, *spectantibus adversariis meis*. Hieronymus: „Ante oculos alimenta pereunt peccantium, quando jam speratae fruges e manibus auferuntur, et praevenit locusta messorem.“ אֹכֶל נִכְרָת *Cibus excisus est*, Vs. 9., i. e. fruges, quae alimenta nobis praebent, absumtae sunt a locustis. *Sufficiunt quippe*, inquit Plinius *Hist. Nat.* XI, 29., *locustis vires; et tanquam parum sit, maria transiisse, immensos tractus permeant, diraque messibus nube contegunt, multa contactu adurentes, omnia vero morsu erodentes, et fores quoque tectorum.* מִבֵּית אֱלֹהֵינוּ *E domo Dei nostri* scil. נִכְרָת ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum. Unde rursus apparet, agi de templo adhuc stante, non a Chaldaeis everso, uti vult Abarbenel. Cf. II, 17. שִׂמְחָה וָגִיל *Gaudium et exaltatio*, ut Jesaj. XVI, 10. נֶאֱסַף שִׂמְחָה וָגִיל *ablatum est gaudium et laetitia.* Intelligitur *gau-*

dium, quando facrificiis euchariſticis et primitiis in templo oblatis hilares vefcebantur, lege ita jubente Deuter. XII, 6. 7. XVI, 10. 11. 1 Paral. XXIX, 21. 22. Ceffat autem hoc gaudium, cum defunt oblationes; eae autem deerant, quia locuſtae nihil intactum reliquerant. Cf. not. ad Vs. 9.

17. Hactenus hoc Capite de *locuſtis*, fequitur nunc conqueſtio de *ſiccitate*, locuſtas et antecedente, et comitante ac promovente, coll. infra II, 3. et not. ad Vs. 19. עָבְשׁוּ *Computruerunt*, emortua f. *evanida perierunt*, propter immodicos aeſtus et ficcitatem, Vs. 19. 20. Verbum עָבַשׁ hoc folo loco obvium quidam conferunt cum Arabico عبس *ſiccae evaſerunt in manu fordes.* Rectius tamen illuſtrari videtur ex Chaldaico עֲפַשׁ, *mucefcere*, *mucidum fieri*, *putreſcere*, ut infra II, 8. בֶּצַע idem eſt quod פֶּצַע. Chaldaeus interpres h. l. אִתְמְסִיאוּ *computruerunt*, vertit, eodemque verbo Latino ufus eſt Hieronymus. Alias et Veterum et recentiorum interpretationes vid. in Bocharti *Hieroz.* P. II. L. IV. C. IV. T. III. p. 299. edit. Lipf. et in Nott. noſtr. ibid. פְּרֻדוֹת *Sparſa* grana, coll. Syriaco ܦܪܕܬܐ, quod in Pefchito, i. e. verſione Syriaca literali Matth. XIII, 31. Joh. XII, 24. 1 Cor. XV, 37. de *granis frumenti* dicitur. תַּחַת מֶגְרְפֹתֵיהֶם *Subter glebis ſuis.* מֶגְרָפוֹת plerique recte *glebas* interpretantur, coll. Arabico جُرْفٌ, *gleba terrae*, *quam aqua convolvit et ſecum abducit* (cf. רֶגֶב Job. XXI, 33.), unde pro quavis gleba uſurpatum. Cf. quae de hac voce Arabica notavit Silv. de Sacy in *Chreſtom. Arab.* P. II. p. 138. Radix גָּרַף Jud. V, 21. obvia Arabibus fignificat *avehere*, et nomina inde deducta *fluxum aquae terram aſportantem.* Alias nominis מֶגְרָפוֹת interpretationes examinavimus ad Bocharti l. l. p. 301. Not. 8. Corrumpitur autem femen fub glebis non

non ſolum cum nimii ſunt imbres, ſed etiam ex ſumma ſiccitate, qua, ſi proprie loqui velimus, ſemina non tam putreſcere, quam *vaneſcere* dicuntur. Plinius *Hiſt. Nat.* XVIII, 24.: *Sationem locis humidis celerius fieri, ratio eſt, ne ſemen imbre putreſcat; ſiccis ſerius, ut pluviae ſequantur, ne diu jacens atque non concipiens evaneſcat.* Sic Hesiodus in *Scuto Herculis* Vs. 153. de cadaverum oſſibus:

Σειρίου ἀζαλέοιο κελαινῇ πύθεται αἴῃ,

Sic arido Sirio in nigra putreſcunt terra. Quaſi etiam ſiccitas ſit cauſa putredinis. נָשַׁמּוּ *Vaſtata ſunt*, Amos VII, 9. אֹצָרוֹת *Horrea*, 2 Paral. XXXII, 27. נֶהֶרְסוּ *Deſtructa ſunt*, corruerunt, Proverb. XXIV, 31. מַמְּגֻרוֹת *Granaria*, Hagg. II, 19. Hieronymus: „Quia, ſi frumenta et vina non fuerint, fruſtra horrea et torcularia praeparantur." כִּי הוֹבִישׁ דָּגָן *Nam exaruit frumentum.* LXX: Ὅτι ἐξηράνθη σῖτος. Alii: *pudefactum et triticum*, quod hominum exſpectationi non reſponderet. Eadem ambiguitas ſupra Vs. 10., ad quem vid. not. Cf. Amos IV, 7. 8. Hagg. I, 11.

18. מַה־נֶּאֶנְחָה בְהֵמָה *Quam ingemiſcunt* (cf. verbum Jeſaj. XXIV, 7. Ezech. XXI, 11.) *jumenta*, deficiente pabulo. נָבֹכוּ *Perplexa ſunt*, perturbata angore et moeſtitia, ut Eſth. III, 15. הָעִיר שׁוּשָׁן נָבוֹכָה *Urbs Suſan perplexa erat.* Cf. Exod. XIV, 3. עֶדְרֵי בָקָר *Armenta boum*, Geneſ. XXIX, 2. 3. כִּי אֵין מִרְעֶה לָהֶם *Nullum enim paſcuum eſt eis*; cf. Geneſ. XLVII, 4. Jeſaj. XV, 6. Ideo gemunt et mugiunt; ſecus quam ſolent, quando neceſſaria non deſunt. Job. VI, 5. *Numquid rugit onager ad herbam? Aut mugit appoſita farragine bos?* גַּם־עֶדְרֵי הַצֹּאן *Etiam greges ovium* et caprarum, Cant. I, 7. נֶאְשָׁמוּ *Deſolati ſunt*, deſtructi ſunt. LXX: ἠφανίσθησαν, Hieronymus: *diſperierunt.* Verbum אָשַׁם Aben-Eſra et Kimchi recte monent mutuari ſignificationem a שָׁמֵם, ut Hoſ. XIV, 1. Jeſaj. XXIV, 6. Alii retenta uſitatiore verbi illius notione, *de-*

Ff 2 *liquit,*

liquit, reus peractus fuit, vertunt: *greges ovium culpae obnoxii facti ſunt*, i. e. iis ſuppliciis, qualia poſſeſſores peccatis ſuis a Deo in ſe provocaverant; ob hominum reatum plectuntur.

19. אֵלֶיךָ יְהוָה אֶקְרָא *Ad te, Jova, clamo,* tuam opem imploro. Sunt, qui hisce cenſeant continuari verba ſacerdotum (Vs. 13.), quibus propheta velit, ut lamententur propter immiſſas plagas. Rectius vero alii haec pro verbis prophetae capiunt, quibus quid in tantis miſeriis illis faciendum ſit, ſuo exemplo declaret: nimirum preces et ſupplicationes fundendas eſſe ad Deum, ut miſericordia motus removeat ea mala, quae denuo per partes exponit. כִּי־אֵשׁ *Nam ignis* ſolis, II, 3., et immodicus aeſtus, cf. Amos VII, 4. Jeſaj. IX, 17. 18. אָכְלָה נְאוֹת מִדְבָּר *Conſumſit paſcua deſerti*, Vs. 20. II, 22. Pſ. XXIII, 2. Hieronymus: „*Specioſa* autem *deſerti*, quae Hebraice dicuntur *Naoth*, intelligamus aut plana camporum, aut pratorum florentia, aut virentia herbis loca, quae paſcua praebuere jumentis.“ וְלֶהָבָה לִהֲטָה כָּל־עֲצֵי הַשָּׂדֶה *Et flamma aduſſit* (II, 3. Mal. III, 19.) *omnes arbores campi*, ſ. regionis, ut Hieronymus vertit. Deſcribitur ſumma ſiccitas, quae ipſa et cauſa fuit, cur locuſtae uberius provenirent. De iis enim ita Plinius *Hiſt. Nat.* XI, 29. *Vernis aquas intereunt ova, ſicco vere major proventus.* Itaque, ut locuſtarum ova deſtruantur, docet Muſſetus, Bocharto laudatus, in eorum loca derivari primo vere torrentes, qui totam terrae ſuperficiem, aut maximam ejus partem abunde humectent. Siccitatem favere locuſtarum proventui, docet etiam multis exemplis Ignatius de Aſſo in libro de locuſtis, p. 9. 15. verſ. germ.

20. גַּם־בַּהֲמוֹת שָׂדֶה Ipſae *etiam* ferae *beſtiae agri*, II, 22. Cf. Hoſ. IV, 3. תַּעֲרוֹג אֵלֶיךָ *Clamant ad te*, inopia preſſae vehementibus clamoribus pabulum poſcunt. Verbum עָרַג, quod et hic et Pſalm. XLII, 2. recentiores fere *clamare* vertunt, proprie videtur *auxilium circumſpicere* indi-

indicare, collato Arabico عرج ascendit, in specie *circumspiciendi causa*; hinc in secunda Conjug. cum على junctum *intentus fuit*. Vid. not. nostr. ad Bocharti *Hieroz.* T. II. p. 241. edit. Lips. LXX: Ἀνέβλεψαν. Hieronymus: *suspexerunt*. Chaldaeus: מְסַבְּרָא קֳדָמָךְ *spectant coram te*, i. e. in te sperant. כִּי יָבְשׁוּ *Quia aruerunt*, exsiccati sunt, Genes. VIII, 14. אֲפִיקֵי מָיִם *Alvei aquarum*, IV, 18. Ps. XLII, 2., imo lacus magno aestu absumti dicuntur Amos VII, 4., ut etiam pisces interirent. Hos. IV. 3. נְאוֹת אָכְלָה נְאוֹת הַמִּדְבָּר Vid. Vs. 19. et Jerem. XXIII, 10.

Cap.

Cap. II.

ARGUMENTUM.

Poſt iteratam cladis a locuſtis illatae deſcriptionem (Vs. 1—11.), populares ſuos vates denuo adhortatur ad poenitentiam et preces (Vs. 12—17.), quibus Jovam benigne aures praebiturum promittit (Vs. 18—20.), ita ut accepta detrimenta abunde ſint reſarcienda (Vs. 21. ſeqq.).

---

1. Inducitur Deus, jubens, ut ſigno tuba dato univerſus populus ad attentionem et poenitentiam excitetur. תִּקְעוּ שׁוֹפָר *Clangite buccina* ad convocandum populum, Num. X, 2. ſeqq. בְּצִיּוֹן *In Sione*, quem ſtatim הַר קָדְשִׁי, *montem ſuum ſanctum* appellat (cf. Pſ. II, 6.), qui quum eſſet congregationis ſolennis Iſraelitarum locus, declarat, quanti momenti res ſit, ut ad unum omnes ejus ſint conſcii et admoneantur. וְהָרִיעוּ *Et ſonum edite*, ſignum tubae ſono date, Hoſ. V, 8. יִרְגְּזוּ *Contremiſcant*, commoveantur, Pſ. IV, 5. כֹּל יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ *Omnes incolae terrae* Judaicae, I, 2. Cf. Amos III, 6. *An buccina clanget, quin populus trepide accurrerit?* quo audito communiter de quodam ingenti malo imminenti admonebantur. כִּי־בָא יוֹם־יְהוָה *Nam venit dies Jovae*, Vs. 11., dies ultionis et vindictae, de quo I, 15. כִּי קָרוֹב *Nam propinquus eſt*, quod addit ad peccatores admonendos, ut, ſi velint ſe ſecuros reddere ab imminenti periculo, ſine mora ad frugem redeant atque ad preces confugiant.

2. Exponit jam, quae diem illum terribilem appropinquare arguant, eumque appetentem annuncient; innumeras

meras locuftarum greges, quae terras late vaftant. Ex Noſtro fumtum, quod Joannes inter calamitatem fupremam orbis diem praegreffurus et horrenda locuftarum agmina recenfet, Apocal. IX, 3. feqq. יוֹם חֹשֶׁךְ *Dies tenebrarum* ingruit. Ut *lux* res fecundas, ita *tenebrae* adverfas notant; vid. Amos V, 18. Efth. VIII, 16. Sunt, qui *tenebrarum* mentionem hic non figurate, fed proprie capiendam cenfeant, quum in defcriptione locuftarum plagae Aegypto immiffae, ingens illorum multitudo *terram obfcuraffe* dicatur (וַתֶּחְשַׁךְ הָאָרֶץ) Exod. X, 15. De illis Plinius quoque Hift. Nat. XI, 29. *Solem obumbrant, follicitis fufpectantibus populis, ne fuas operiant terras.* וַאֲפֵלָה *Et caliginis*, Jefaj. VIII, 22. Zephan. I, 15. יוֹם עָנָן וַעֲרָפֶל *Dies nubium* (Ezech. XXX, 3.) *et obfcuritatis*, 2 Sam. XXII, 10. Jerem. XIII, 16. Shaw, Anglus, praeftantiffimis Itinerum Commentariis celebris, de locuftarum agminibus, quae dum ipfe iftis in oris verfaretur, terras populabantur, haud multo aliter quam vates nofter p. 331. verf. gall. *Vers le milieu d' Avril elles s' étoient fi prodigieufement augmentées, qu' au plus fort du jour elles formoient des efpeces de nuées, qui obfcurciffoient le foleil.* כְּשַׁחַר פָּרֻשׂ עַל־הֶהָרִים *Sicut aurora* (Jefaj. LVIII, 8.), quae *fefe expandit* (Hof. , 1. Pf. CV, 39. Job. XXXVI, 30.) *fuper montes*, in quibus lux primum apparet. Significatur fore, ut hoc malum et late et cito diffundatur. Utrumque enim eft aurorae proprium, cujus lumen ubique fpargitur puncto temporis. Cf. Jefaj. LVIII, 8. Pf. CXXXIX, 9. Alii hoc referunt ad ravefcentem fplendorem, qui appropinquantibus locuftarum agminibus in coelo apparet; vid. *das a. u. n. Morgenl.* . IV. p. 374. עַם רַב וְעָצוּם *Populus multus et numerofus,* validus, Vs. 5. 11., ut fupra I, 6. locuftas vocavit *gentem validam et innumerabilem.* Sic etiam Prov. XXX, 25. 26. כָּמֹהוּ לֹא נִהְיָה *Qualis*, vel: *cui fimilis* antea *non fuit* in Palaeftina. Cf. Exod. IX, 18. X, 14., et not. fupra ad I, 2. מִן־הָעוֹלָם *Ab aeternitate*, i. e. inde ab antiquiffimis temporibus; vid. de hoc vocis עוֹלָם ufu not. ad Pf. CXXXIX, 24., et

et cf. Pf. CXLIII, 3. Jefaj. XLIV, 7. XLVI, 9. Ezech. XXVI, 20. וְאַחֲרָיו לֹא יוֹסֵף *Et poft eum non addet* fcil. effe, vel fieri, i. e. nec iterum erit. Cf. Nah. II, 1. עַד־שְׁנֵי דּוֹר וָדוֹר *Ad annos cujuscunque aetatis* futurae, ut Deut. XXXII, 7.

3. לְפָנָיו *Ante eum*, venturum locuftarum populum, f. *ante adventum ejus*; ita de tempore haec vox ufurpatur quoque Amos I, 1. Habac. III, 5. אָכְלָה אֵשׁ Omnia ferme jam *confumfit ignis*, fumma ficcitas, I, 19. וְאַחֲרָיו *Et poft eum*, poft difceffum ejus, ut Zachar. VII, 14. תְּלַהֵט לֶהָבָה *Flamma exuret* reliqua, I, 19. Haec Oedmann (Fafc. VI. Cap. 8. p. 77.) eo refert, quod loca a locuftis vaftata vere tanquam igne adufta appareant, referente Mariti in *Itineris per Cyprum infulam facti Commentariis* P. I. p. 258., quum locuftae non fegetes tantum et gramina, fed radices etiam confumant. כְּגַן־עֵדֶן *Sicut hortus Edenis.* LXX: *ὡς παράδεισος τρυφῆς*, cf. Genef. II, 8. הָאָרֶץ לְפָנָיו *Terra* fuit *ante eum*, locuftarum adventum et ficcitatem. Terra Canaan cum amoeniffimo horto, primorum hominum fede, confertur, ut Aegyptus et Sodomorum ager ante cladem a Deo immiffam Genef. XIII, 10. Cf. Ezech. XXXVI, 35. וְאַחֲרָיו *Sed poft difceffum ejus.* מִדְבַּר שְׁמָמָה *Defertum vaftitatis*, i. e. vaftum, incultum et horrendum defertum; ut IV, 19. וְגַם־פְּלֵיטָה לֹא־הָיְתָה לּוֹ *Et etiam evafio* (III, 5.) *non eft ei*, locuftarum agmini. Omnia ita abfumunt, ut de terrae proventui nihil refiduum maneat.

4. כְּמַרְאֵה סוּסִים *Qualis adfpectus equorum*, cf. Ezech. I, 26. מַרְאֵהוּ *Adfpectus ejus*, agminis locuftarum, ut Apocal. IX, 7. Καὶ *τὰ ὁμοιώματα τῶν ἀκρίδων ὅμοια ἵπποις ἡτοιμασμένοις εἰς πόλεμον.* Hanc locuftarum cum equis comparationem Hebraei referunt ad curfus aut volatus velocitatem, qua fint equis prope pares; fed Bochartus *Hieroz.* T. III. p. 307. recte obfervat, fpectari ea comparatione infuper ad caput aut faciem, equinae non abfimilem, a qua locuftae ab Italis vocantur *cavallette.* Theodo-

RETUS

RETUS ad h. l.: Εἴ τις ἀκριβῶς κατίδοι τὴν κεφαλὴν τῆς ἀκρίδος, σφόδρα τῇ τοῦ ἵππου ἐοικυῖαν εὑρήσει. *Locustae caput si quis attente consideret, id equi capiti reperiet valde simile.* Similia ex Arabicis scriptoribus profert Bochartus l. c. Cf. NIEBUHRII *Descript. Arab.* p. 173. et *das a. u. n. Morgenl.* P. IV. p. 375. וְכְפָרָשִׁים כֵּן יְרוּצוּן *Et sicut equites currunt*, Vs. 9. HIERONYMUS: „Non, quod Babylonii equitibus compararentur, sed quod locustae per translationem hostium quasi equites dicantur huc illucque discurrere.“

5. כְּקוֹל מַרְכָּבוֹת *Tanquam strepitus curruum*, „sic erit sonitus locustarum,“ recte addit Hieronymus. Apocal. IX, 9. Καὶ ἡ φωνὴ τῶν πτερύγων αὐτῶν ὡς φωνὴ ἁρμάτων. *Transeuntes grylli super verticem nostrum sono magnae catarrhactae fervebant*, ait FORSKAL in *Descript. Animall. quae in Itinere Orientali observavit*, p. 81. עַל־רָאשֵׁי הֶהָרִים *Super cacumina* etiam *montium*, Ezech. VI, 13. יְרַקֵּדוּן *Saliunt*, Jes. XIII, 21. Nah. III, 2. כְּקוֹל לַהַב אֵשׁ *Tanquam strepitus flammae ignis*, Jes. XXIX, 6. אֹכְלָה קָשׁ *Stipulam consumentis*, ut Cohel. VII, 6. *Sicut strepitus spinarum* accensarum et conflagrantium *sub olla*. „Hoc quoque,“ inquit Bochartus, „locustis prorsus convenit, quae magno strepitu volant, et in agros decidunt, et segetes dentibus commolunt.“ PLINIUS *Hist. Nat.* XI, 29. *Tanto volant pennarum stridore, ut aliae alites credantur.* CYRILLUS ad h. l.: Φασὶ γὰρ οὐ δίχα κτύπου πράττεσθαι παρ' αὐτῶν ἐν ἀγροῖς τὴν κατάπτωσιν· ἠχὼ δέ τινα τῶν ὀδόντων ἀποτελεῖσθαι βληχρὰν, περιθραυομένων αὐταῖς τῶν πεπτωκότων, ὡς ἀνέμου φλόγα διαῤῥιπίζοντας. *Eas non citra strepitum in agros decidere ajunt. Sed et tenuem quendam sonum dentibus edere, dum prostratos fruges mandendo comminuunt, tanquam venti flammam agitantis.* כְּעַם עָצוּם Vs. 2. 11. „Notandum,“ inquit BOCHARTUS, „hunc qualemcunque exercitum non jam dici *populum*, sed *ut populum*. Itaque cum *gentem* et *populum* supra Vs. 2. vocavit, loquebatur meta-

metaphorice, *populum* vocans eas copias, quae revera populus non sunt, sed *ut populus* ad pugnam instructus. Quale est, quod easdem addit Vs. 7. *currere sicut strenuos milites*, atque *ut viros bellatores murum conscendere:* ne quis hic veros milites et bellatores sibi fingeret. Sed utut milites non sint, merito tamen cum iis conferuntur, cum ratione numeri et virium, tum ratione ordinis, quem in volatu et in incessu servant." עֱרוּךְ מִלְחָמָה *Instructus* s. *paratus* (Jerem. VI, 23.) *ad pugnam.* Cf. Apocal. IX, 9. *Καὶ εἶχον θώρακας ὡς θώρακας σιδηροῦς.*

6. מִפָּנָיו יָחִילוּ עַמִּים *A conspectu ejus contremiscunt* (ita חול Jerem. LI, 29. Ps. CXIV, 7.) *populi. Sollicite suspectantibus populis, ne suas operiant terras,* ut loquitur Plinius XI, 29. כָּל־פָּנִים קִבְּצוּ פָארוּר *Omnes facies contrahunt pallorem.* פָארוּר plerique idem esse putant cum פָּרוּר, Num. XI, 8., *olla, cacabus,* cujus nigrori conferri existimant luridum colorem, quo vultus magno metu correpti afficitur. Sic LXX: *Πᾶν πρόσωπον ὡς πρόσκαυμα χύτρας.* Hieronymus: *omnes vultus redigentur in ollam.* Chaldaeus: *Omnes facies coopertae sunt* אִכְרוּם אוּכְמִין כְּקִדֵירָא *fuligine,* ut sint *atri instar ollae.* Syrus: *omnis facies erit nigra sicut* ܩܘܡܪܐ ܕܩܕܪܐ *nigredo ollae.* Alii vero melius cum Aben-Esra פָארוּר ad פְּאֵר, *elegantia, nitor* referunt, vertuntque: *omnes facies contraxerunt* in se, i. e. retraxerunt, removerunt *pulchritudinem,* collato כּוֹכָבִים אָסְפוּ נָגְהָם infra Vs. 10. IV, 15. Ita et Abu-Walid et R. Tanchum: جمعت جمالها وقبضته *collegerunt pulchritudinem suam et contraxerunt eam.* Legitur haec ipsa nostra phrasis et Nah. II, 11., ad quem locum Hieronymus: „Prae magnitudine metus facies in ollarum similitudine videntur exustae, tabidae, et pallore deformes." N. G. Schroederus (laudatus Everardo Kreenen in Notis ad Nahumum) nomen פָארוּר derivatum existimans a specie Pihlel verbi פֵּאר (quasi pro פְּאֵרוּר) *micare,* exponit *colorem flammeum,* qui sit pallor luridus et intensior, qualem homi-

homines faepe contrahunt vel ex morbo diurno, vel ex conſternatione ſubita, prout Jeſajas XIII, 8. iis, qui vehementer conſternati ſunt, *facies* tribuit *flammarum*, id eſt, referentes flammeum colorem.

7. כְּגִבּוֹרִים יְרוּצוּן *Sicut ſtrenui* milites *currunt*, non fatigantur, cf. Pſ. XIX, 6. כְּאַנְשֵׁי מִלְחָמָה *Ut viri bellatores*, Num. XXXI, 28. Hieronymus: „haud dubium, quin *locuſtae*.“ יַעֲלוּ חוֹמָה *Aſcendunt murum*, „ut murorum ſublimitas impetum fortium prohibere non valeat, et nequaquam per portas, ſed per muros ingrediantur,“ ait Hieronymus. Horti ſepimentis circumdati aeque locuſtarum vaſtationi ſunt ſubjecti, quam campi patentes. Cf. Vs. 9. וְאִישׁ *Quisque enim*, ut Ezech. I, 9. VII, 16. IX, 1. בִּדְרָכָיו יֵלֵכוּן *In viis ſuis*, ſ. *per vias ſuas incedunt*, non eſt, quod eorum curſum vel impediat, vel immutet. וְלֹא יְעַבְּטוּן אֹרְחוֹתָם *Nec pervertunt ſemitas ſuas*; ita recentiorum plerique vertunt, verbo עָבַט collato cum cognato עָבַת *intorquere, pervertere*, Mich. VII, 3. Tam firmo ordine, quaſi ad aciem inſtructi, procedunt per ſuam viam, ut peracto itinere nullus eam aliquo modo pervertiſſe dici poſſit. LXX: Καὶ οὐ μὴ ἐκκλίνωσι τὰς τρίβους αὐτῶν. Hieronymus: *non declinabunt a ſemitis ſuis*, et eodem plane modo Syrus. Sed Chaldaeus: וְלָא מְעַכְּבִין אָרְחָתְהוֹן, *nec morantur vias ſuas*, vel, *moram faciunt in viis ſuis*. Quam *morandi, tardandi* ſignificationem verbo Hebraeo vindicare ſtudent ex notione vocis עֲבוֹט, *pignus*, quia quod pignori datum, vel in depoſitum traditum eſt, inhibetur et retinetur, donec pretium, quo oppigneratum eſt, ſolutum ſit. Verbum עָבַט in Cal denotat *mutuum accipere*, et in Hiphil *mutuo dare*, Deuter. XV, 6. 8. XXIV, 10. Unde fortaſſis verti poſſit: *neque permutant ſemitas ſuas*, inſtar ordinatiſſimi militis procedunt, non evagantur extra ordines. Quod quam apte de locuſtis dictum ſit, Hieronymus, teſtis αὐτόπτης, ediſſerit, ita ſcribens in Commentario ad h. l.: „Hoc nuper in hac provincia (Palaeſtinae) vidimus. Cum enim

enim locuſtarum agmina venirent, et aerem, qui inter coelum et terram eſt, occuparent, tanto ordine ex diſpoſitione jubentis Dei volitant, ut inſtar teſſerularum, quae in pavimentis artificis figuntur manu, ſuum locum teneant, et ne puncto quidem, ut ita dicam, ungueve transverſo, declinent ad alteram."

8. וְאִישׁ אָחִיו *Alter etiam alterum*, Geneſ. XXXVII, 19. Exod. X, 13. לֹא יִדְחָקוּן *Non premunt*, ſ. premendo repellunt; cf. verbum Jud. II, 18. LXX: Ἕκαστος ἀπὸ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ οὐκ ἀφέξεται, quod Arabicus interpres ſic expreſſit: وكل واحد من اخيه لا يهرب, *et quisque eorum non fugiet a fratre ſuo*, i. e. non ſeparabunt ſe unus ab altero. גֶּבֶר Sed *ſinguli*, *quisque*, Thren. III, 39. Proprie de hominibus dicitur, hic vero de locuſtis, quia easdem cum viris et ſtrenuis militibus comparavit Vs. 5. et 7. בִּמְסִלָּתוֹ יֵלֵכוּן *In calle* ſ. *tramite ſuo* (1 Sam. VI, 12. Jeſaj. LIX, 7.) *incedunt*. Laudatur ordo in locuſtis et Proverb. XXX, 27., ut merito eas *exercitum ſuum magnum* vocet Deus infra Vs. 25. וּבְעַד הַשֶּׁלַח *Etiam in tela* ruentes (יִפֹּלוּ), 2 Paral. XXXII, 5. Job. XXXIII, 18. לֹא יִבְצָעוּ *Non ſauciant* tela illas. בָּצַע h. l. idem eſt quod יִפְצָעוּ, 1 Reg. XX, 37., quemadmodum בָּכָה et פָּכָה, Ezech. XLVII, 2., עָבַשׁ et עָפַשׁ ſupra I, 17. ſignificationibus conveniunt. Significat vates, eſſe locuſtas moleſtiores et graviores quam hoſtes ex hominibus, quia nec gladii nec clauſae portae eas arcent. „Reliqua animalia," uti Bochartus ait, „viſo homine fugiunt; ſed haec hominem ultro impetunt. Proinde cum nubes locuſtarum ingruit, omnes in aedibus latent, ne, ſi prodeant, eas provocent." Sunt, qui retenta verbi בָּצַע notione uſitata, *reſecuit*, verba לֹא יִבְצָעוּ vertant: *non abſcindunt*, abrumpunt, ſcil. curſum ſuum. Veteres in alia omnia abeunt. LXX: Καὶ ἐν τοῖς βέλεσιν αὐτῶν πεσοῦνται, καὶ οὐ μὴ συντελεσθῶσι. Similiter Syrus: ܡܢ ܡܚܘܬܐ ܕܙܝܢܝܗܘܢ ܢܦܠܘܢ ܘܠܐ ܢܫܬܠܡܘܢ ܠܚܪܒܐ *prae armorum ſuorum*

rum pondere cadunt, et rem ad exitum non perducent. Ceperunt verbum בָּצַע *perficiendi* ſignificatu, quem Jeſaj. X, 12. Thren. II, 17. obtinet. Hieronymus in Commentar. ad h. l.: „Quod nos interpretati ſumus: *per feneſtras cadent, et non demolientur,* LXX tranſtulerunt: *aggravati in armis ſuis ibunt, et in jaculis ſuis cadent, et non conſumentur,* quod nequaquam mihi videtur expoſitionis ordini convenire, ſed in eo errorem eſſe generatum, quia *Sala* [שֶׁלַח] verbum Hebraicum illi *jacula,* nos *feneſtras* intelleximus.“ Sed *feneſtrarum* Verſu ſequ. nomine חַלּוֹנִים ſit mentio; nec שֶׁלַח eam ſignificationem unquam habuiſſe conſtat. Chaldaeus: לְאֲתַר דְּאִנּוּן שְׁלִיחִין קָטְלִין וְלָא מְקַבְּלִין מָמוֹן *in locum* (procedunt) *quo mittuntur, trucidant, nec recipiunt pecuniam.* Apparet interpretem verbum בָּצַע ſumſiſſe notione *quaeſtum faciendi,* ut Habac. II, 9. Prov. XV, 27.

9. בָּעִיר יָשֹׁקּוּ *Per urbem gradiuntur,* Jeſaj. XXXIII, 4. Nah. II, 7. בַּחוֹמָה יְרֻצוּן *In muro discurrunt,* Vs. 4. 7. בַּבָּתִּים יַעֲלוּ *In domos aſcendunt,* ut Pharaoni etiam praedixit Moſes, Exod. X, 6. בְּעַד הַחַלּוֹנִים *Per* ipſas etiam *feneſtras,* Jerem. IX, 20. יָבֹאוּ כַּגַּנָּב *Ingrediuntur tanquam fur;* cf. Matth. XXIV, 43. Joh. X, 1. „Nihil enim,“ inquit Hieronymus, „locuſtis invium eſt, quum et agros, et ſata, et arbores, et urbes, et domos, et cubiculorum ſecreta penetrent.“ Theodoretus: Οὐ πετέμεναι γὰρ μόνον, ἀλλὰ καὶ κατὰ τῶν τειχῶν ἀνερποῦσαι, διὰ τῶν Φωταγώγων εἰς τοὺς οἴκους εἰσίασι. *Non ſolum enim volando, ſed et ad muros irrependo per feneſtras in domos penetrant.*

10. לְפָנָיו רָגְזָה אֶרֶץ רָעֲשׁוּ שָׁמָיִם *Coram eo,* locuſtarum agmine, *contremiſcit terra, et coeli moventur.* Hieronymus: „Non quod locuſtarum tanta vis ſit, ut poſſint movere coelos, et terram concutere; ſed quod adverſa patientibus prae terroris magnitudine *coelum ruere* et *terra fluctuare* videatur.“ שֶׁמֶשׁ וְיָרֵחַ קָדָרוּ *Sol et luna obſcurantur.* Similia, ſed ex alia cauſa, vid. Jerem. IV, 28. Ezech.

Ezech. XXXII, 7. Mich. III, 6. Jefaj. L, 3. וְכוֹכָבִים אָסְפוּ *Et ftellae retrahunt,* ut 1 Sam. XIV, 19. אֱסֹף יָדֶךָ *Collige,* retrahe, *manum tuam.* Vel: *auferunt* hominibus, cf. IV, 15. Genef. XXX, 23. Pf. LXXXV, 4. נָגְהָם *Splendorem fuum,* Proverb. IV, 18. Hieronymus: „Prae multitudine locuftarum, obtegentium coelum, fol et luna convertentur in tenebras, et ftellae retrahent lumen fuum; dum lumen pofita in medio nubes locuftarum ad terram non finit pervenire.“ Plinius quoque XI, 29. *locuftas folem obumbrare* fcribit. Et Elmacinus *Hiftor. Saracen.* p. 98. refert, anno Hegirae 317. tantam in Aegypto locuftarum multitudinem fuiffe, ut impediret radios folis, ne terram attingerent. Plura vid. apud Bochartum T. III. p. 314.

11. וַיהוָה נָתַן קוֹלוֹ *Jova enim,* velut imperator, *dedit,* edidit, *vocem fuam,* IV, 16. Pf. XVIII, 14. לִפְנֵי חֵילוֹ *Ante exercitum fuum,* locuftarum a fe immiffarum, Vs. 25., cf. not. ad Vs. 8. כִּי רַב מְאֹד מַחֲנֵהוּ Quem recte fic dico, *nam magna valde* funt *caftra ejus,* cf. Vs. 2. כִּי עָצוּם עֹשֵׂה דְבָרוֹ *Nam fortis* eft *qui exfequitur verbum fuum,* juffa fua (cf. Pf. CIII, 20. CXLVIII, 8.), i. e. qui mandati fui exfequendi eos dedit miniftros, atque hoc onus illis impofuit, is etiam inftruit eos virtute ac fortitudine, ut nihil tam firmum fit, quod eos vel cohibeat, vel remoretur in mandatis ejus obeundis. כִּי־גָדוֹל יוֹם־יְהוָה *Nam magnus,* gravis (cf. Hof. II, 2.) erit *dies Domini* (I, 15. Zephan. I, 14. Mal. III, 23.), qua fummus judex terras invifet, ut hominum crimina ulcifcatur, cujus appropinquantis diei praecurfores funt horrenda illa locuftarum agmina, atque extrema ficcitas, cf. not. ad Vs. 1. וּמִי יְכִילֶנּוּ *Et quis fuftinebit eum?* Mal. III, 1.

12. Minas excipiunt iteratae hortationes ad poenitentiam. וְגַם־עַתָּה *Attamen etiam nunc,* q. d. fi vel nunc faltem, poft tot irritas admonitiones, refipueritis, extremam perniciem evadendi aliqua fpes erit. Cf. Jerem. XVIII, 7. 8. נְאֻם יְהוָה *Dictum Jovae,* cf. ad Hof. XI, 11. שֻׁבוּ עָדַי *Conver-*

Convertimini ad me, לְפוּלְחָנִי *ad cultum meum,* ut Chaldaeus recte. Vid. Hoſ. XIV, 1. et cf. Zach. I, 4. בְּכָל־לְבַבְכֶם *Toto corde veſtro,* Deut. VI, 5. 1 Sam. VII, 3., i. e. ſerio ac bona fide. Cf. Jerem. III, 10. וּבְצוֹם וּבִבְכִי *Et cum jejunio et fletu,* I, 14. Jerem. XXXI, 9. וּבְמִסְפֵּד *Et cum planctu* ad conteſtandum dolorem ex peccatis conceptum. Hieronymus: „Senſus eſt: omnia, quae ſermone praeterito continentur, propterea ſum loquutus, ut vos comminatione mea terrerem. Unde *convertimini ad me in toto corde veſtro,* et animi poenitentiam *jejunio, et fletu et planctibus* indicate; ut nunc jejunantes poſtea ſaturemini, nunc flentes poſtea rideatis, nunc plangentes conſolemini.“ Ad hunc locum reſpici nonnulli exiſtimant Jeſaj. XXII, 12., ubi Jova dicitur Judaeos vocaſſe *ad fletum et planctum* (לִבְכִי וּלְמִסְפֵּד). Ita Vitringa in *Typo Doctr. Prophet.* p. 36. „Jeſajam,“ inquit, „hanc vidiſſe prophetiam, ex collatione utriusque prudentibus liquebit. Nec obſtat, plagae a Joele denunciatae [deſcriptae] in hiſtoria illius temporis nullam exſtare memoriam, magis, quam quod *ingens* quoque *terrae motus* ſub Uſia in eadem ſit praetermiſſus, cujus tamen liquidiſſima mentio Amos I, 1. Zach. XIV, 5.“

13. וְקִרְעוּ לְבַבְכֶם *Et ſcindite, ſ. lacerate cor veſtrum,* i. e. acerbiſſimo ob commiſſa peccata dolore concepto ex corde veſtro vitia omnia abrumpite. Chaldaeus: וְאַעְדּוּ רִשְׁעָא לִבְּכוֹן *et auferte impietatem cordis veſtri.* Cf. Deut. X, 16. Pſ. LI, 19. Rom. II, 28. 29. וְאַל־בִּגְדֵיכֶם *Nec veſtimenta veſtra,* ut alioquin in magnis malis et in luctu faciebant, vid. e. c. Joſ. VII, 6. Kimchi: „Si laceraveritis cor veſtrum, et ab eo malam omnem cogitationem abstuleritis, non neceſſe habebitis ſcindere veſtes veſtras, ut fieri ſolet tempore afflictionis, et anguſtiae.“ וְשׁוּבוּ אֶל־יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם *Et redeatis ad Jovam, Deum veſtrum.* Jerem. IV, 1. Hoſ. XIV, 2. 3. Zach. I, 3. Mal. III, 7. כִּי־חַנּוּן וְרַחוּם הוּא *Quia benignus et miſericors eſt,* Exod. XXXIV, 6. Jon. IV, 2. Pſ. CIII, 8. CXLV, 8. Hieronymus: „Quia magna peccata magna

magna delebit misericordia." אֶרֶךְ אַפַּיִם *Tardus ad iram*, Num. XIV, 18. Nah. I, 3. Chaldaeus: מַרְחִיק רְגַז *differt iram.* וְרַב־חֶסֶד *Et multus*, abundans, *probitate*, clementia, Ps. LXXXVI, 5. Chaldaeus: וּמַסְגֵּי לְמֶעְבַּד טַבְוָן וּקְשׁוֹט *et multiplicat beneficia et veritatem.* וְנִחָם עַל־הָרָעָה *Quemque poenitet mali*, quod comminatus est, idque si peccator serio resipiscat. Exod. XXXII, 14. 2 Sam. XXIV, 16. Jerem. XVIII, 8. Jon. IV, 2. *Malum* intelligendum de calamitate in poenam immissa, ut Amos III, 6. Chaldaeus: וּמְתִיב מֵימְרֵיהּ מִלְּאַיְתָאָה בִּישָׁא *et revocat verbum suum ab inducendo malum.* Hieronymus: „Ut si nos egerimus super peccatis poenitentiam, et ipsum poeniteat comminationis suae, ut mala, quae comminatus est nobis, non inferat, nostraeque mutatione sententiae, et ipse mutetur."

14. מִי יוֹדֵעַ *Quis scit?* Est bene sperantis in re difficili, ut Jon. III, 9., ubi rex Ninives ad resipiscentiam excitasse legitur populum his verbis: *Quis scit, an reversurus sit, et poeniteat Deum, ut reverso eo ab aestu irae suae non pereamus?* Cf. 2 Sam. XII, 22. „Ne forsitan," ut Hieronymus scribit, „desperarent scelerum suorum magnitudine, aut magnitudo clementiae divinae faceret negligentes." Bene Lutherus ad h. l.: „In nostra lingua phrasis haec: *Quis scit?* negative, seu potius dubitative sonat. Sed est aptissima poenitentis vox. Utrumque enim complectitur, et *sensum peccati*, qui facit, ut statuamus, Deum juste irasci, ac nos plectere; et *spem liberationis*, siquidem Deus natura benignus et placabilis est." יָשׁוּב וְנִחָם *Revertetur* Deus (ut Jesaj. LXIII, 17. Mich. VII, 9.) *et poenitebit* eum mali, quod minatus est, Vs. 13. Aliter, sed minus bene, haec verba construunt et accipiunt Hebraei, Chaldaeum sequuti, qui sic vertit: *Qui scit, penes se esse peccata, abscedat ab eis, tum miserebitur ejus.* Pro quo Abendana mavult: *et poeniteat eum* peccatorum. Salomo Ben-Melech: *Qui novit vias poenitentiae, convertatur; tum poenitebit Dominum hujus mali.* Ad *homines* referunt

verbum

verbum יָשׁוּב. Sed planior eſt magisque perſpicua verborum ſententia, ſi interrogandi forma legantur, et verba יָשׁוּב et נִחַם ad Deum referantur. וְהִשְׁאִיר אַחֲרָיו *Et relinquet* Deus *poſt illud,* locuſtarum agmen, Vs. 11. Alii, relato ſuffixo ad Deum: *relinquet poſt ſe,* i. e. poſt ea, quae perpetraverat, ira depoſita. בְּרָכָה *Benedictionem,* ubertatem, Jeſaj. LXV, 8., ut locuſtae non omnia pen... ıa abſumant. Ita ut offerre poſſitis מִנְחָה וָנֶסֶךְ לַיהוָֹה אֱלֹהֵיכֶם *fertum et libamen Jovae Deo veſtro,* i. e. tantam fructuum ubertatem relinquet, ut oblationes praeſcriptas iterum exhibere poſſent, quas hactenus, in ſumma rerum omnium penuria, offerre non potuiſſe, queſtus erat vates ſupra I, 9. 13.

15. תִּקְעוּ שׁוֹפָר בְּצִיּוֹן Quare *clangite buccina,* ad populum convocandum, Vs. 1. Num. X, 7. קַדְּשׁוּ צוֹם *Sanctificate,* indicite, *jejunium,* Vs. 16. IV, 9. Vid. not. ad I, 14. קִרְאוּ עֲצָרָה *Convocate coetum,* I, 14.

16. אִסְפוּ־עָם *Congregate populum* ad publicas ſupplicationes, I, 14. קַדְּשׁוּ קָהָל *Sanctificate,* indicite, *congregationem* ſolennem, cui omnes mundi et rite praeparati adeſſe debuerunt, Exod. XIX, 10. 14. קִבְצוּ זְקֵנִים *Congregate ſenes,* vid. not. ad I, 14. אִסְפוּ עוֹלָלִים וְיוֹנְקֵי שָׁדָיִם *Congregate* etiam *infantes et ſugentes ubera* (Pſ. VIII, 3.), perſuaſum enim erat antiquis, citius ſe poſſe impetrare veniam, ſi ſupplicantibus ſibi una adjungerent infantes; cf. Judith IV, 7. 8. יֵצֵא חָתָן *Exeat* etiam *ſponſus,* qui alioqui a publicis exemtus erat officiis, veluti a diſciplina militari, Deut. XXIV, 5. מֵחֶדְרוֹ *E conclavi ſuo,* nuptiali, Jud. XV, 1. ad publicam ſupplicationem, jejunium ac preces. וְכַלָּה *Et ſponſa,* Jeſaj. LXI, 10. מֵחֻפָּתָהּ Egrediatur *e thalamo ſuo,* Pſ. XIX, 6. Omnis nuptiarum pompa in hoc publico luctu inſuper habeatur, feſtiva quaeque atque laetitiae ſigna evaneſcant, cf. Jeſaj. XXII, 12. 13.

17. בֵּין הָאוּלָם וְלַמִּזְבֵּחַ *Inter veſtibulum* templi *et altare* holocauſtorum, quod 2 Paral. VIII, 12. a Salomone

exftructum dicitur ante portam in atrio interiore. Significatur atrium facerdotum, five interius, in quo facrificia praeparare folebant, proxime ante templum. ut Ezech. VIII, 16. Unde patet, referenda haec effe ad illud tempus, quo templum, veftibulum et altare adhuc falva et integra erant. יִבְכּוּ הַכֹּהֲנִים מְשָׁרְתֵי יְהוָה *Fleant facerdotes, Jovae miniftri,* I, 9. 13. חוּסָה *Parce,* Ezech. XX, 17. Nehem. XIII, 22. עַל־עַמֶּךָ *Populo tuo,* Vs. 18. 26. IV, 2. Deut. IX, 26. וְאַל־תִּתֵּן נַחֲלָתְךָ *Ne des haereditatem tuam,* populum tibi peculiarem, IV, 2. 1 Reg. VIII, 51. Jefaj. LXIII, 14. לְחֶרְפָּה *In opprobrium,* Vs. 19. Pf. XLIV, 14. לִמְשָׁל־בָּם גּוֹיִם *Ut dicterio in eos* utantur *populi,* cf. Deut. XXVIII, 37., ubi Ifraelitae a Jova defcifcentes dicuntur fore לְשַׁמָּה לְמָשָׁל וְלִשְׁנִינָה בְּכֹל הָעַמִּים *in ftuporem, in parabolam, et in dicterium inter omnes populos.* Ita et 1 Reg. IX, 7. Jerem. XXIV, 9. Job. XVII, 6. מָשָׁל, *proverbium,* malo fenfu ufurpatur pro *dicterio, convitio.* Sed veteres omnes משל h. l. *dominatus* notione capiunt, quam verbum obtinet Deuter. XV, 16. Pf. CVI, 41. Thren. V, 8., vertuntque: *ut dominentur iis gentes.* Qua adfcita interpretatione fenfum hujus loci exponit Petrus a Figueiro apud Pocockium hoc modo: „*Parce populo tuo,* auferendo ab eo locuftarum iftam plagam, quae fi amplius defaevierit et graffata fuerit, extremam inducet famem, atque ita cogetur populus tuus ad levandam famis neceffitatem, in aliarum gentium regiones transfugere, et apud eas pro pane fervire, et imperium earum, nec non opprobria, fuftinere, non fecus ac olim in Aegyptum confugerunt et fervi facti funt." לָמָּה יֹאמְרוּ בָעַמִּים *Ne forte dicant inter populos,* ut Exod. XXXII, 12. Pf. LXXIX, 10. אַיֵּה אֱלֹהֵיהֶם *Ubi eft Deus eorum?* ubi eft Deus ille, quem a fe unis nofci et coli jactitabant? Hieronymus: „quem fibi praefulem, quem defenforem effe jactabant." Cf. Mich. VII, 10. Pf. CXV, 2.

18. וַיְקַנֵּא יְהוָה *Tum* utique *aemulabitur,* zelum fuum demonftrabit *Dominus,* Ezech. XXXIX, 25. Zachar. I, 14. Verbum

Verbum ob praepofitum Vau, quod *converfivum* Grammaticis dictum, proprie in Praeterito vertendum. Loquitur enim vates de futuris in Praeterito, ut in vifione. Sic etiam fub verbis praeteritis enunciantur futura 2 Paral. XV, 4. לְאַרְצוֹ *Pro terra fua,* „quam prius quafi alienam contemferat, et paffus fuit locufta vaftante populari," ut ait Hieronymus. Cf. Num. XI, 29. הַמְקַנֵּא אַתָּה לִי *Num zelo commotus es pro me?* mei cauffa? Noftrorum verborum fenfus igitur hic erit: Jova magno affectu afficietur, ita ut quod noxiofum et damnofum populo fuo, procul fit remoturus, quodque in bonum ejus cedat procuraturus. *Zelotypum effe* h. l. indicare, benevolentia atque favore terram profequi, manifeftum eft ex eo quod additur: וַיַּחְמֹל עַל־עַמּוֹ *miferebitur populi fui,* quo innuit Deus, fe pro jufta fua feveritate, quam commeriti erant, eos non effe tractaturum, fed ferio poenitentibus commiffa condonaturum. Cf. Amos VII, 2. 6.

19. וַיַּעַן יְהוָה *Et refpondebit Jova,* nec tacebit ad ferias populi fui preces. Hieronymus: „Et in tantum pepercit poenitentibus, ut eos dignos fua refponfione faceret, diceretque: quoniam omnes fruges veftras locufta, bruchus, rubigo vaftavit, ideo dabo vobis frumentum, et cetera, quae propheta defcribit." הִנְנִי שֹׁלֵחַ לָכֶם *Ecce! miffurus,* daturus fum, *vobis,* cf. Deut. XXVIII, 12. Hof. II, 10. אֶת־הַדָּגָן *Frumentum,* cf. Hof. II, 11. 14. וְהַתִּירוֹשׁ *Et muftum,* in oppofitione ad I, 10. וְהַיִּצְהָר *Et oleum,* Vs. 24. וּשְׂבַעְתֶּם אֹתוֹ *Et fatiabimini eo,* Vs. 26. Oppofitum vid. I, 16. 18., et fimilem verbi conftructionem Proverb. XXV, 16. וְלֹא־אֶתֵּן אֶתְכֶם עוֹד חֶרְפָּה בַּגּוֹיִם *Nec dabo vos amplius opprobrium inter gentes,* non amplius aliis gentibus contemtui eritis, tanquam populus indigens, cujus Deus non par effet ei fuccurrendo, vel quem plane deferuiffet. In hunc fenfum Chaldaeus: *neque dabo vos amplius* חִסּוּדֵי כַּפְנָא *opprobria famis inter populos.*

20. וְאֶת־הַצְּפוֹנִי *Septentrionalem* autem illum hoftem, locuftarum exercitum, Vs. 10. Recte Aben-Efra et Kim-

 chi

chi notant, locuſtas vocari *ſeptentrionales*, quia a plaga ſeptentrionali venerunt. Sic et Lightfoot in *Chronol. V. T. Opp.* T. I. p. 94. „Irruperant," inquit, „locuſtae ea parte terrae, quae *ſeptentrioni* obvertitur, qua Syriam atque Hamatham ſpectat, et velut ordinata acie pergentes (Vs. 5.) devorarunt, quidquid obvium erat, procedentes verſus partem meridionalem: illic vero, ubi deflectebant, deſcendentes infra extrema maris mortui, ſterilitas regionis fame adflixit illas, quae regionem totam fame adflixerant." Alii *aquilonares hoſtes*, Aſſyrios, vel Chaldaeos intelligunt. Sic Hieronymus: „Et Aſſyrium atque Chaldaeum, qui ab aquilone eſt. Saepe commonui, ſub translatione locuſtarum deſcribi impetum Chaldaeorum, quo Judaea vaſtata eſt. Itaque ſervat metaphoram in reliquis, et juxta ſitum provinciae ſic loquitur, quaſi non de hoſtibus, ſed de locuſtis referre videatur." Sed cf. not. ad Vs. 5. 9. 11. et I, 4. אַרְחִיק מֵעֲלֵיכֶם *Removebo a vobis*, IV, 6. וְהִדַּחְתִּיו *Et impellam* ſ. *propellam eum*, 2 Sam. XV, 4. אֶל־אֶרֶץ צִיָּה *Ad terram ſiccitatis* ſ. ſiticuloſam, Hoſ. II, 5. Pſ. LXIII, 2. וּשְׁמָמָה *Et ſolitudinis*, ſ. deſolatam, i. e. in Arabiae deſerta. Cf. Deut. VIII, 15. אֶת־פָּנָיו *Facies* nimirum *ejus*, i. e. primam illius partem, quae ad mundi faciem, ſ. ortum converſa eſt. Drusius: „Frontem exercitus innuit, ſive primum agmen, quod Graeci ſimiliter *πρόσωπον* vocant." אֶל־הַיָּם הַקַּדְמֹנִי Propellam *in mare orientale*, i. e. mortuum, ad orientem Hieroſolymae ſitum. Hieronymus: „Illud intellige, in quo fuit quondam Sodoma et Gomorrha, Adama et Seboim, quod nunc *mortuum* nominatur, eo quod nulla ibi vivant animantia." Vid. Ezech. XLVII, 18. Zachar. XIV, 8. וְסֹפוֹ *Et extremum ejus*, tergum agminis, vel poſtremum agmen. אֶל־הַיָּם הָאַחֲרוֹן *In mare poſterum*, i. e. occidentale, mediterraneum; vid. not. ad Deut. XI, 24. et ad rem cf. Exod. X, 19. et ad eum loc. not. Plinius *Hiſt. Nat.* XI, 29. *Gregatim ſublato vento, in maria aut ſtagna decidunt. Forte hoc caſuquè evenit.* Auſtralium locuſtarum, obſervante Bocharto, non meminit, quia quum Jeruſalem ſita fuerit

in

in extremo fere austro terrae Canaan, australes paucae fuerunt respectu urbis, et sub aliis comprehensae. וְעָלָה בָאְשׁוֹ *Et adscendet foetor ejus*, Jesaj. XXXIV, 3. Amos IV, 10. וְתַעַל *Ascendet*, inquam, „in nares praetereuntium," ut Kimchi addit. צַחֲנָתוֹ *Putor ejus;* id enim notare vocem hebraeam, hoc solo loco obviam, docet non solum contextus, verum et Syriacum ܨܢܐ, *impudicus, sordidus, contaminatus fuit*, cui cognatum Arabicum صنخة *spurcitia, sordes*. Vid. N. G. Schroederi *Observatt. ad Origg. Hebrr.* Cap. V. §. IV. V. §. 73. seqq. כִּי *Quia*, alii: *postquam*, coll. Job. I, 5. הִגְדִּיל לַעֲשׂוֹת *Magnum fecit se faciendo*, Vulgatus: *quia superbe*, Syrus: ܡܛܠ ܕܐܣܓܝ ܠܡܣܥܪ *quia insolenter egit*. Chaldaeus: אֲרֵי אַסְגֵּי לְמֶעְבַּד בִּישִׁין *quia multiplicavit facere mala*, i. e. plurima et maxima damna vobis intulit; cf. similem loquutionem 2 Reg. XXI, 6. Dan. VIII, 4., et ex opposito hic sequentem Vs. 21., ex quo tamen collato et Vs. 26. haec verba non male de Deo accipi poterunt: *quia magnus est in suis operibus* Jova. Grotius refert quae hoc Versu leguntur ad exercitum Sanheribi peste deletum, 2 Reg. XIX, 22. Jesaj. XXXVII, 20. Sed quam apte haec omnia locustis conveniant, liquebit cum ex iis, quae hactenus annotavimus, tum ex ipsius Hieronymi verbis ad h. l.: „Etiam nostris temporibus," inquit, „vidimus agmina locustarum terram texisse Judaeam, quae postea misericordia Domini — vento surgente — in mare primum et novissimum [mortuum et mediterraneum] praecipitata sunt. Quumque littora utriusque maris acervis mortuarum locustarum, quas aquae evomuerant, implerentur, putredo earum et foetor in tantum noxius fuit, ut aerem quoque corrumperet, et pestilentia tam jumentorum, quam hominum, gigneretur."

21. אַל־תִּירְאִי אֲדָמָה *Ne* igitur *time* tibi, *o terra!* Propheta concludit laetis promissis pluviae post siccitatem, et florentium arborum et agrorum post vastationem a locustis

ſtis illatam. Hieronymus: „Omnibus, quae ſupra fuerat comminatus, nunc contraria pollicetur.“ גִּילִי וּשְׂמָחִי *Exulta* potius *et laetare*, Vs. 23. Zephan. III, 14. Cf. ſupra I, 10. כִּי־הִגְדִּיל יְהוָה לַעֲשׂוֹת *Quia magnificavit Jova facere*, 1 Sam. XII, 24. Jeſaj. XXVIII, 29. Pſ. CXXVI, 2. 3. Chaldaeus: אֲרֵי אַסְגֵּי יְיָ לְמֶעְבַּד בִּיךְ שָׁבִין לְעַמֵּיהּ *quia magnifice egit Jova faciendo in te bona populo ſuo.* Kimchi: „Oppoſitum hoc ei, quod Vs. 20. dictum de locuſtis, quae plurima et graviſſima mala intulerant.“

22. אַל־תִּירְאוּ בַּהֲמוֹת שָׂדַי *Ne* etiam *timeatis beſtiae agri*, oppoſitum ei quod dictum I, 18. 20. כִּי דָשְׁאוּ *Nam germinarunt*, vel *herbuerunt*, Cal hoc ſolo loco occurrit; cf. Hiphil Geneſ. I, 11. נְאוֹת מִדְבָּר De quibus I, 19. 20. dixerat: *ignis exuſſit paſcua deſerti.* כִּי־עֵץ *Nam arbor*, i. e. collective: omnis generis arbores, ut Geneſ. I, 11. נָשָׂא פִרְיוֹ *Ferunt* poma ſ. *fructus ſuos*, Ezech. XXXIV, 27. XXXVI, 8. תְּאֵנָה וָגֶפֶן *Ficus et vitis*, I, 7. 12. נָתְנוּ חֵילָם *Dant vim ſuam*, i. e. varios fructus ſuos; cf. ſimilem loquutionem Geneſ. IV, 12. Hieronymus: „Haec autem, quia a Domino repromiſſa ſunt, credimus juxta literam accidiſſe, et ſterilitatem praeteritam novis frugibus compenſatam, ut quicquid locuſta, bruchus et rubigo et eruca conſumſerat, annis ſequentibus impleretur.“

23. וּבְנֵי צִיּוֹן *Et vos, filii Zionis*, i. e. vos incolae Hieroſolymae, cujus pars erat aedificata in monte Zion. גִּילוּ וְשִׂמְחוּ בַּיהוָה אֱלֹהֵיכֶם *Exultate et laetamini in* ſ. *de Jova Deo veſtro*, cujus favorem reſipiſcentia vobis iterum conciliaſtis; Pſ. XXXII, 11. כִּי־נָתַן לָכֶם אֶת־הַמּוֹרֶה *Nam dabit vobis pluviam tempeſtivam*, ut mox altero hemiſtichio, et Pſ. LXXXIV, 7. Alii cum Chaldaeo et Hieronymo vertunt *doctorem*, quem ſane vox hebraea denotat Jeſaj. IX, 14. Habac. II, 18. Job. XXXVI, 22. Hoc vero loco, inter promiſſa reſarciendorum a locuſtis illatorum damnorum, *doctoris* mentio plane aliena. Nec de eo cogitaſſet quis-

quisquam, nisi additum legeretur לִצְדָקָה, quod ad *justitiam* vertendum arbitrati sunt. Vidit tamen jam Calvinus, hunc sensum: *dabo vobis doctorem ad justitiam*, non ferre *circumstantiam loci*, monuitque Livelеus, לִצְדָקָה hic esse: *justâ mensurâ*, i. e. pluvia (מוֹרֶה), quae frugibus maturandis et abunde proferendis satis sit, ut nihil desit, quod opus est, vel abundet ultra quod sat est; horum enim utrumque frugibus nocet. Hac ratione pondera integra vocantur *justa*, et mensurae, quibus ad perfectionem nihil deest, aut superest, dicuntur *justae* Levit. XIX, 36. וַיּוֹרֶד לָכֶם גֶּשֶׁם *Et descendere faciet vobis pluviam*, Ezech. XXXIV, 26. Nomen גֶּשֶׁם in genere *pluviam* significat, quum duo quae sequuntur, מוֹרֶה, *tempestiva s. matura pluvia*, et מַלְקוֹשׁ, *serotina pluvia*, eas in specie denotent, quae certo decidunt tempore; prior quidem post jactam sementem, quae efficit, ut frumentum crescat, posterior, cum seges in culmos et spicas succrevit, et grana turgescunt, qua efficitur, ut seges ad justam maturitatem perveniat. Cf. Deut. XI, 14. et ad eum loc. not. בָּרִאשׁוֹן *In primo* statim *tempore*, i. e. quam primum erit tempestivum aut necessarium. Vel: *in primo mense*, Ezech. XXIX, 17. XLV, 28., quo matura vel seria pluvia opus est; cf. ex Plinio not. supra ad I, 17. Chaldaeus: מְטַר בְּכִיר בְּעִדָּנֵיהּ וּלְקִישׁ בְּיַרְחָ נִיסָן *primam pluviam tempore suo, et serotinam in mense Nisan.* Nempe pluvia *prima* descendit in mense *Marchesvan*, sive Octobri, *serotina* vero in mense *Nisan* s. Martio. Alii verbis מוֹרֶה וּמַלְקוֹשׁ בָּרִאשׁוֹן rem plane novam et inauditam promitti existimant; fore nimirum, ut utraque pluvia, prima et serotina, uno mense primo cadat, adeo ut quam alias nonnisi sex mensium spatio fruges adepta erant maturitatem, eandem unius mensis decursu adepturae sint. Sunt praeterea, quia בָּרִאשׁוֹן capiant pro כְּבָרִאשׁוֹן, *sicut in priore tempore*, sicut in prioribus temporibus. Ita LXX: *καθὼς ἔμπροσθεν.* Vulgatus: *sicuti in principio.* Syrus: ܐܝܟ ܕܡܢ ܠܘܩܕܡܝܢ *ut antea.*

24. וּמָלְאוּ הַגֳּרָנוֹת *Et implebuntur areae*, 1 Sam. XXIII, 1. בָּר *Frumento*, Geneſ. XLI, 35. Amos V, 11. Cf. ſupra I, 10. 17. וְהֵשִׁיקוּ *Et redundabunt*; ita hoc verbum, praeter hunc locum infra tantummodo IV, 23. obvium, veteres omnes vertunt, rei et contextui ſatis convenienter. Pocockius illud illuſtrat ex Arabico ساق (pro سوق), *impellere*, in Conjug. VI. *ſe invicem ſequi*, *et tam arcte ire*, *ut alius alium premat* vel *trudat*, et in VII. *duxit* et *progreſſus eſt*, quo denotetur abundantia, qua res rebus ſuccedunt. הַיְקָבִים *Lacus torcularium*, Jeſaj. XVI, 10. תִּירוֹשׁ וְיִצְהָר *Muſtum et oleum*, Vs. 10. Cf. Prov. III, 10. Hisce tribus, quae hoc Verſu commemorantur, *tritico*, *muſto* ſ. *vino*, et *oleo*, comprehenduntur omnia ad hominis uſum neceſſaria. Quemadmodum illorum defectu fames et omnium rerum ad vivendum neceſſariarum inopia deſcribitur, ita contra ex eorum abundantia fertilitas omniumque rerum copia innuitur.

25. וְשִׁלַּמְתִּי לָכֶם *Et compenſabo vobis*, Jeſ. LVII, 18. אֶת־הַשָּׁנִים אֲשֶׁר אָכַל הָאַרְבֶּה וגו׳ *Annos quos comederunt*, i. e. fruges quas annis ſuperioribus conſumſerunt *locuſtae*, de quarum nominibus vid. ſupra ad I, 4. חֵילִי הַגָּדוֹל *Exercitus meus magnus*, Vs. 2. 11. אֲשֶׁר שִׁלַּחְתִּי בָּכֶם *Quem miſi contra vos*, ad vos caſtigandos.

26. וַאֲכַלְתֶּם אָכוֹל וְשָׂבוֹעַ *Et comedetis comedendo, et ſaturando* ſcil. ſaturabimini, Vs. 19. Habebitis quod edatis abunde, nec inopia laborabitis. וְהִלַּלְתֶּם אֶת־שֵׁם יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם *Et laudibus celebrabitis nomen*, famam, *Jovae, Dei veſtri*, Jeſaj. LXII, 9. אֲשֶׁר עָשָׂה עִמָּכֶם *Qui egit vobiscum*, cum puniendo, Zachar. I, 6., tum benefaciendo reſipiſcentibus, Num. X, 32. לְהַפְלִיא *Ad miraculum usque*, mirifice, Jeſaj. XXIX, 14. Pſ. XXXI, 22. Nonnulli arbitrantur miraculum in eo conſiſtere, quod jam uno anno illis velit reſtituere, quantum quatuor praeterlapſis annis redundaſſet, ni a locuſtis fuiſſet abſumtum. וְלֹא יֵבֹשׁוּ עַמִּי לְעוֹלָם *Nec erubeſcent*

ſcent populus meus in aeternum, nunquam in poſterum aliis gentibus opprobrio exponetur, ut queſtus eſt ſupra Vs. 17. Eadem formula repetita Vs. 27.

27. וִידַעְתֶּם *Et ſcietis*, beneſiciis maximis in vos collatis experiemini, cf. IV, 17. כִּי בְקֶרֶב יִשְׂרָאֵל אָנִי *Quod in medio Iſraelis ego*, me iis ſoſpitatorem atque ſalutis defenſorem adeſſe, cf. Hoſ. XI, 9. Deuter. XXXI, 17. וַאֲנִי יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם *Et ego Jova Deus veſter*, Hoſ. XIII, 4. וְאֵין עוֹד *Et nullus adhuc*, praeter me nullus, cf. Jeſaj. XLIII, 11. 12. XLIV, 6. 8. וְלֹא יֵבֹשׁוּ עַמִּי לְעוֹלָם Vid. Vs. 26.

Cap.

Cap. III.

Argumentum.

Pergit vates in promissis laetis faciendis, polliceturque, fore aliquando felicissimam aetatem, qua non solum omnes Israelitae divino beneficio summo religionis studio, divinorumque institutorum intelligentia perfundantur, verum et omnes ex quacunque gente veri numinis cultores in ejusdem beneficii partem esse venturos (Vs. 1. 2. 5.). Illam vero ingentem rerum vicissitudinem, quacum hostium nominis Judaici interitum conjunctum fore intelligitur ex Cap. IV., praegressura denuntiat ostenta atque prodigia horrenda, Vs. 3. 4.

Peculiaribus commentationibus hoc vaticinium illustrarunt Frid. Guil. Dresde, Theologus quondam Vitebergensis, in Programmatibus duobus, quae inscripta sunt: *Comparatur Joelis de effusione Spiritus Sancti vaticinium cum Petrina ejusdem vaticinii interpretatione*, Viteberg. 1782. 1783. 4., Thom. Christ. Tychsen, Philologus Gottingensis, in Programmate Pentecostali: *Inest illustratio vaticinii Joelis C. III.*, Goett. 1788. 4, atque J. Chr. Fr. Steudel, Theologus Tubingensis, in Programmate *Pentecostali, inscripto: Disquiritur in Joelis Cap. III.* Tubing. 1820. 4.

---

1. וְהָיָה אַחֲרֵי־כֵן *Fiet etiam postea*, post ea, quae in superioribus praenunciata sunt, post restitutam terrae Judaicae foecunditatem, et post reductos ab exilio populares;

lares, coll. IV, 1. 2. 20. LXX: Μετὰ ταῦτα, pro quo Petrus Actor. II, 17. *ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις* dixit, quocum Kimchi convenit, qui h. l. אַחֲרֵי־כֵן idem esse affirmat, quod בְּאַחֲרִית הַיָּמִים, *extrema aetate*, qua formula tempora Messiana intelligi vel patet ex Jesaj. II, 2.; permutaturque ea phrasis cum אַחֲרֵי־כֵן Jerem. XLIX, 6., coll. XLVIII, 47. אֶשְׁפּוֹךְ *Effundam*, effuse dabo. Potest quoque verti: *perfundam*, seu *imbuam*, quia cum עַל construitur. Hieronymus: „Verbum *effusionis* ostendit muneris largitatem." Bene Abarbenel: „Significat, abundantem fore cognitionem et notitiam Dei." Eam enim *spiritu divino*, רוּחִי, indicari, non dubium. *„Spiritus Jehovae*, רוּחַ יְהוָֹה," inquit Tychsen, „non prophetis tantum tribuitur, qui divino afflatu sive impulsu loquuntur, Jesaj. LXI, 1. [cf. not. nostr. ad Jesaj. XI, 2.]: sed etiam artificibus, heroibus, poetis, et omnibus omnino, qui insolito impulsu, vi atque virtute aliquid efficiunt, 1 Sam. X, 6. XVI, 13. Genes. XLI, 38., ut omnino notet *vim* et *virtutem divinam*, adnexa saepe augendi et instaurandi notione, Jesaj. XXXII, 15. XLIV, 3. Ezech. XXXIX, 29. Quomodo hic quoque capiendum esse videtur, ita tamen, ut inprimis ad instaurandam religionem rerumque divinarum intelligentiam referatur." עַל־כָּל־בָּשָׂר *Super omnem carnem*, quod recte Arabs vertit: عَلَى كُلّ ذِي لَحْمٍ *super omnem carne praeditum*, i. e. super omnes homines, non super Judaeos solos, aut super Israelitas. Recte Abarbenel: „Certissime haec phrasis complectitur *omnes homines*, cujuscunque sint nationis, ut Jesaj. LXVI, 23. Ps. CXLV, 21." וְנִבְּאוּ בְּנֵיכֶם וּבְנוֹתֵיכֶם *Et prophetabunt filii vestri filiaeque vestrae.* „נִבָּא est *prophetico modo* et *auctoritate loqui*, sive omnino, prophetae loco esse, posito eximio officii prophetici actu pro universa dignitate prophetae. Haec autem non ad oracula solummodo edenda revocari debet. Prophetae enim apud Hebraeos ministri erant et familiares Jehovae, divinae voluntatis interpretes, legum divinarum statores, qui non modo im-

impulſu divino oracula edebant, ſed etiam ſummo cum ſtudio legibus Moſaicis operam dabant, ad easque obſervandas populares ſuos cohortabantur, quae omnia comprehendit prophetae nomen atque officium. Igitur hic non tam praedicere videbitur Noſter, fore, ut omnes oracula edant, quam potius hoc, fore tempus, quo non, ut alias ſolitum, paucos quosdam prophetas familiaritate ſua dignetur Jehova, ſed quo omnes eo honore, et cum ſummo numine commercio, ea divinarum rerum intelligentia fruantur, quibus alias prophetae. Eundem ſenſum exhibent ſequentia: זִקְנֵיכֶם חֲלֹמוֹת יַחֲלֹמוּן *Senes veſtri ſomnia ſomniabunt*, ſcilicet divinitus miſſa [cf. Job. XXXIII, 15. 16.], בַּחוּרֵיכֶם, חֶזְיֹנוֹת יִרְאוּ *juvenes veſtri viſiones videbunt.* Sunt haec alia revelationis, ſive commercii divini genera, quibus prophetas ſaltim, aut alios paucos per eximium favorem dignari putaretur Jehova, quos ſive per ſomnum (2 Sam. VII, 3. Dan. IV, 1. VII, 1. Zachar. I, 8.), ſive per viſum aliquod de voluntate ſua certiores redderet. Ceterum haec genera antiquitus erant ſolennia (Num. XII, 6.), unde Samuelis aetate a *videndo* dicti viri divini (1 Sam. IX, 9.), et ſermones eorum חָזוֹן, ipſumque verbum חָזָה cum דָּבָר conjungitur Amos I, 1. Jeſaj. II, 1., ducta a potiori denominatione. Utrumque igitur nihil aliud erit, niſi, intimiore eos familiaritate dignabitur Jehova, atque omnes divinorum virorum loco erunt. Notanda autem hic orationis concinnitas, et poetae in jungendis verbis delectus, quod *ſenibus ſomnia* tribuat, quae debiliori aetati magis conveniunt, *juvenibus viſiones*, utpote vividioribus ingeniis ad concipienda phantaſmata promtioribus.“ TYCHSEN.

2. וְעַל־הָעֲבָדִים וְעַל־הַשְּׁפָחוֹת *Etiam ſuper ſervos et ſuper ancillas.* „Tenendum eſt, totum locum poetice eſſe enunciatum. Quod primo dixerat כֹּל, *omnes*, mox per partes eundo amplificat: *ſenes, juvenes, ſervi, ſervae*, quae manifeſtum eſt, nihil aliud eſſe, niſi diſtributionem poeticam. Idem de praedicatis tenendum. Quum enim

plures

plures essent prophetiae, sive revelationis modi; sive per adflatum aliquem, et impulsum ad loquendum, sive per somnia et visiones, haec iterum distribuit poeta et singulis subjectis conjungit." Tychsen. בַּיָּמִים הָהֵמָּה *In illis diebus* Messianis, vid. not. ad Vs. 1. init. אֶשְׁפּוֹךְ אֶת־רוּחִי *Effundam spiritum meum,* vid. ad Vs. 1. „Videmus igitur, hoc Joelis vaticinium eandem continere de instauranda olim religione praedictionem, quam aliis verbis alii prophetae passim describunt, cum tempora canunt, quibus omnes divinitus edocti futuri sint, Jesaj. LIV, 13., et novas leges laturus sit Jehova, animis civium inscribendas, Jer. XXXI, 33., novamque mentem habituri sint Israelitae, Ezech. XXXVI, 27. adde Jesaj. XI, 5. LIX, 21." Tychsen. Ceterum, si quae h. l. praedicit Joel, unquam impleta fuerint, eventus omnino erit referendus ad ea, quae Actor. II. narrata leguntur, ad quae et Petrus ibidem Vs. 17. seqq. illa refert.

3. Ad temporum, quae Vs. 1. 2. canunt felicitatem, potissimum pertinet, ut populus Jovae dilectus ab hostium vexationibus securus reddatur. Quod ita praestiturum Deum promittit Noster, ut gentes Judaeis inimicas ille horrenda strage sit perditurus. Eam vero dira praesagient prodigia, quae Vs. hoc et sequenti describit. וְנָתַתִּי מוֹפְתִים *Et dabo prodigia, τέρατα*; ut LXX h. l. vertunt, Deuter. VI, 22. Jerem. XXXII, 21. Quae vero hic ostenta Dei judicis, de hostibus Judaeorum poenas sumturi adventum praecessura enumerantur, semper magnarum calamitatum praenuncia esse existimata sunt. Veluti דָּם וָאֵשׁ *sanguis et ignis,* quibus nonnulli horrendas caedes, seditiones et intestina bella significari volunt, nos vero illa proprie intelligenda arbitramur, quemadmodum Livius *Hist.* L. XXII. Cap. 1. inter prodigia, quae ante pugnam ad Thrasimenum contigerunt, narrat *litora crebris ignibus fulsisse, et scuta duo sanguine sudasse; et milites quosdam ictos fulminibus, et solis orbem minui visum, et Praeneste ardentes lampades coelo decidisse, et Arpis parmas in coelo visas, pugnantemque*

temque in luna folem; et Capenae duas interdiu lunas ortas, et aquas Caeretes fanguine mixtas fluxiffe, fontemque ipfum Herculis cruentis manaffe fparfum maculis, et in Antiati metentibus cruentas in corbem fpicas cecidiffe. Initio belli Marfici *fimulacra deorum fudaviffe, et fanguinem fluxiffe,* narrat Cicero de *Divinat.* L. I. c. 44. Claudianus *in Eutropium* L. I. init.

Semiferos partus, metuendaque pignora matri,
Et lapidum duras hyemes, nimboque minacem
Sanguineo rubuiffe Jovem, puteosque cruore
Mutatos tandem mirari definat orbis.

Lucanus *Pharfal.* L. I. 524. feqq. monftra enumerans, quae bellum civile praeceflerunt:

. . . . Superique minaces
Prodigiis terras implerunt, aethera, pontum.
Ignota obfcura viderunt fidera noctes,
Ardentemque polum flammis, coeloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Sideris, et terris mutantem regna cometen.
Fulgura fallaci metuerunt crebra fereno,
Et varias ignis denfo dedit aere formas.

Quod in fine noftri Verfus legitur, תִּמְרוֹת עָשָׁן, obvium quoque Cantic. III, 6., alii *elationes fumi* vertunt, nomine priore ad יָמַר, *efferre,* relato; alii vero, Jod pro adventitio habentes, ut idem fit quod תִּמֹרוֹת, *palmae,* 1 Reg. IV, 29. 32. 35. 36., noftram dictionem interpretantur *palmas* feu *columnas fumi,* i. e. fumum in altum ductum, feu palmae vel columnae inftar recte afcendentem. Cui quidem fententiae favet et phrafis plane fimilis, עַמּוּד עָשָׁן, *columna ignis,* Jud. XX, 40., et Chaldaei interpretis auctoritas, qui pro תִּימְרוֹת h. l. עַמּוּדִין, *columnas,* pofuit. Cf. Lightfooti *Horr. Hebrr.* ad Act. II, 19., ubi locus ex Tractatu Talmudico *Joma* adducitur, quo fumus thuris facri dicitur עשן מתמר ועולה כמקל *fumus columnans, et afcendens inftar baculi. Columnis fumi* autem noftro loco non tam fumi intel-

intelliguntur excitati incenſis ignibus coeleſtis corporibus, nec fumi incenſarum urbium, ſed craſſi et atri vapores, qui inſolito modo e terra eſcendent, hominibusque terrorem et metum incutient.

4. הַשֶּׁמֶשׁ יֵהָפֵךְ לְחֹשֶׁךְ *Sol convertetur in tenebras*, i. e. eclipſi, quae calamitatum venientium praenuncia credebatur, ejus lumen deficiet. LUCANUS *Pharſ.* L. I. Vs. 540. ſeqq. de oſtentis bellum civile praenunciantibus:

Ipſe caput medio Titan cum ferret Olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, gentesque coëgit
Deſperare diem. . . . .

VIRGILIUS *Georg.* I. Vs. 466. de ſolis defectu ſub obitum Caeſaris tumultus illorum temporum praemonſtrante:

Sol etiam exſtincto miſeratus Caeſare Romam,
Cum caput obſcura nitidum ferrugine texit,
Impiaque aeternam timuerunt ſecula noctem.

וְהַיָּרֵחַ לְדָם *Et luna* convertetur *in ſanguinem*, i. e. in ruborem, ut in lunae obſcuratione per eclipſin fieri ſolet. OVIDIUS *Metamorphoſ.* L. XV. Vs. 785. ſeqq. ſimiliter loquitur:

Signa dabant luctûs ſuperi haud incerta futuri;
Saepe faces viſae, ſolis quoque triſtis imago.
Caerulus et vultum ferrugine Lucifer atra
Sparſus erat, ſparſi lunares ſanguine currus.

לִפְנֵי בּוֹא *Antequam veniat*, 1 Sam. IX, 15. 2 Sam. III, 35. Ezech. XXXIII, 22. יוֹם יְהוָֹה *Dies Jovae*, quo populos ad judicium coget, deque iis, qui Judaicum populum oppreſſerunt atque vexarunt, ſupplicia ſumet, IV, 2. ſeqq. Cf. not. ad Ezech. XXX, 3. הַגָּדוֹל וְהַנּוֹרָא *Magnus ille et horribilis*, cf. II, 11. „De hoc die," inquit DRESDE in Programmatum, quorum in Argumento mentionem fecimus, priore p. 22., „vehementer inter ſe diſſentiunt. Alii 1) *everſionem Hieroſolymorum per Chaldaeos*; alii 2) *diem, quo reſurrexit Do-*

Dominus, aut *misit coelitum promissum Spiritum*; alii 3) *destructionem reipublicae Judaicae per Romanos*; alii 4) *exitum hujus universi*; alii 5) denique *duos*, aut etiam *tres postremos eventus conjunctim* innui existimant. Nec videntur per historiam et ipsius vaticinii indolem plures eventus commode sumi posse. Qui *ultimam* amplectuntur sententiam, coguntur tamen *comma sequens* de *solo eventu primo*, aut *secundo*, intelligere, quod nimis coactum videtur. Qui *quartae* favent, ii se habent quidem, quo *comma sequens* referant. Qui *secundam* tuentur, habent quidem *prodigia*, sed non nisi secundae classis, seu *coelestia*. Qui *primam* defendunt, *terrestria* quidem habent *prodigia*, quae proferant, sed nulla vera *coelestia*. Qui *tertiae* denique patrocinantur, pares quidem non sunt solvendis omnibus hic obviis difficultatibus; videntur tamen laborare multo minoribus, quam reliquae omnes. Nam *primo* vix dubitari potest, quin hic idem dies significetur, qui etiam Malach. III, 23. praedicitur; nam eadem sunt utrobique verba, nec leguntur in scripturis sacris alibi. Apud Malachiam autem neque sermo potest esse de *exoidio Hierosolymorum per Chaldaeos*; vaticinatus enim est post jam solutam captivitatem Babylonicam, neque de *fine universi*; id enim non permittunt sequentia, ex quibus potius, fatente ipso Grotio, manifestum est, ingens et horrendum praedici exitium, quod Judaei a Romanis experti sunt [?]. *Deinde* hoc exitium multa manifesta in ipso coelo antegressa esse prodigia, Josephus *de Bello Jud.* L. IV. c. IV. §. 5. et L. VI. c. V. p. 3. edit. Haverc. ita testatur, ut vanissimus sit, qui ea de re dubitare velit. Ad quod accedit, sic quoque *comma* vaticinii *ultimum* locum habere, qui historiae optime respondeat. Laborat tamen et haec sententia *difficultate duplici*, prima quidem, quod ipse Petrus videtur Actor. II, 22. docere, praedicta a Joele prodigia ex parte saltim jam ante mortem Domini accidisse; altera autem, quod prodigia a Josepho commemorata praedictis a Joele exacte non conveniunt. Sed utraque difficultas apparens magis, quam

vera

vera mihi videtur. Etenim quod *primam* attinet, quid impedit, quominus ad notata a Joele prodigia ea quoque referamus, quae Matth. XXVII, 51—53. accidiſſe dicuntur? Cur autem his ſimilium in prodigiis a Joſepho traditis non diſerta fiat mentio, id vel propterea non mirandum videtur, quod idem illis adeo, quorum memoriam Matthaeus citato loco ſervavit, ſilentio praetermiſit, et praetermittere quoque ſuo jure potuit, ſi ipſe, quod etiam Joſephi allegata loca paene ſuadent, tales eventus pro non inſolitis, aut veris prodigiis, haberet.“ Verum urbi Hieroſolymitanae a Romanis exciſae et everſae nullo modo aptari poſſunt, quae mox Vs. 5. de Zione et Hieroſolymis, ut locis, ad quae confugientes ſalvi ſint futuri, atque IV, 1. ſeqq. de reducendis illo ipſo tempore (בַּיָּמִים הָהֵמָּה וּבָעֵת הַהִיא) Judam et Hieroſolymam Judaeis, congregandisque in valle Joſaphat gentibus Judaeis inimicis, praenunciantur. Fruſtra igitur laborant, qui quonam tempore ea, quae hic praedicuntur, evenerint, inquirunt. Eichhorn *die bibl. Propheten* Vol. I. p. 14.) Verſus 3. 4. 5., ſubaudita voce נָתַתִּי Conjunctione conditionali אִם ſeu כִּי, conjungit hac ſententia: equidem *ſi* portenta exhibuero in coelo et in terra, ſanguinem, incendia, fumum alte ſublatum, ſol *ſi* in tenebras, in ſanguinem *ſi* luna ſe mutaverit, antequam adfuerit Jovae dies magnus et horrendus; ſalvus tunc erit, qui Jovam invocat rel., q. d. quamvis rerum futurarum triſtium ſuſpicio portentis miris moveatur, Judaei tamen non erunt anxii; horum civitatem ejusmodi prodigia non tangent, quippe quae ſedes ſit veri cultus divini, eademque ſecuritatis et tranquillitatis ſedes, ad quam percipiendam quemvis cultorum ſuorum Deus invitat. Ad quam interpretationem Steudel, V. S. V., in Programmate ſupra in Argum. hujus Cap. laudato p. 6. vere monet, Jovae diem iſtum magnum *revera* adfore vatem annunciare, „cujus adventus ſi ſimpliciter praedicitur, ea, quae eundem antecedent, haud hypothetice tantum annunciari videntur. Ceterum non tam *ominoſa* modo quam miras rerum viciſſitudines et ruinas ipſas Vs.

3. 4. ſignificari putaverimus. Scilicet iis, quibus hic vates utitur, imaginibus, magnas rerum terreſtrium converſiones, clades terrasque expugnatas deſcribi, probe Jahn notavit (*Erklär. der Weiſſagungen Jeſu von der Zerſtör. Jeruſalems* in Bengelii *Archiv* Vol. II. p. 133. ſeqq.): quae cum evenerint animorumque attentionem moverint, quippe ſingularem prorſus et unicam Dei virtutum manifeſtationem exſpectantium; tunc adfore diem Jovae. גָּדוֹל hicce vocatur et נוֹרָא." Quo epitheto Steudel non id ipſum fore, ut pavorem terroremque injiciat, deſignari exiſtimat, ſed id potius, fore, ut eodem reverentia in Deum augeatur, quo ſenſu Deo נוֹרָאוֹת tribuuntur, e. g. Deut. X, 21., id quod ſynonymum eſt τῷ נִפְלָאוֹת, vid. Pſ. CXXXIX, 14. *Diem* vero *iſtum Jovae magnum ſtupendumque* tempus Meſſianum eſſe obſervat, iisdem verbis deſcriptum a Malachia III, 21. Id temporis momentum nonniſi poſt ſummas rerum converſiones inſtare vates dicit.

5. Docet, quinam a malis iſto tempore ingruentibus ſalvi intactique manſuri ſint. וְהָיָה כֹּל אֲשֶׁר־יִקְרָא בְּשֵׁם יְהוָֹה *Et fiet,* ut *quicunque invocet nomen Jovae*, i. e. eum pro Deo vero agnoſcat, ejusque auxilium imploret, vid. 1 Reg. XVIII, 24. 36. Jeſaj. LXIV, 6. LXV, 1. Zachar. XIII, 9. Pſ. LXXIX, 6. יִמָּלֵט *Eripietur* e calamitatibus, quas prodigia Vs. 4. enumerata praeſagiebant, *ſalvus erit*, uti recte Hieronymus vertit. LXX σωθήσεται. Geneſ. XIX, 17. Jeſaj. XLIX, 25. Pſ. CXXIV, 7. Dan. XII, 1. כִּי בְּהַר צִיּוֹן וּבִירוּשָׁלַםִ *Nam in monte Zion et Hieroſolymis*, ubi erat Jovae templum et cultus Jovani praecipua ſedes. Quo ſenſu vero ibidem dicatur תִּהְיֶה פְּלֵיטָה *futura ereptio*, dubitari poſſet, inquit Steudel l. l. p. 7., „quod inde pendet, an vero פְּלֵיטָה *liberationem*, an *liberatione gaudentes*, liberatos, an *liberationis auctorem* ſumſeris. Primum itaque Hieroſolyma ut locus deſcriberetur, ad quem ſi confugeris, ſalvus fueris; quae urbs ſi ceu veri Jovae cultus ſedes recenſeri putetur, ſenſus erit: qui verorum Dei cultorum numero adſcriptus

fuerit,

fuerit, hoc ipſo quodvis damnum effugiet. Ita altera haec phraſis idem fere moneret, quod comma antecedens. Deinde, ſi פְּלֵיטָה deſignaverit *liberationis participes*, verba valerent: profecto Hieroſolymis *quoque* erunt, qui liberabuntur; ubi ſequentia verba dicerent: ex quo Jova definiverit. Denique huic phraſi ineſſe ſignificatio poſſet: profecto Hieroſolymis is eſt, qui liberationem praebet, uti ſemper Jova promiſit. Non itaque neceſſe fuerit ſumere, ad incolas Hieroſolymorum reſtringere prophetam ſpem evadendi. Sed aut ex evadentium numero Hieroſolymitanos etiam eſſe poſſe praedicit, alios haud excludens; aut Deum, cujus cultus ſedes eſt Hieroſolyma, liberationem eſſe praebiturum, ex ſuo decreto, non certae cuidam modo hominum claſſi, ſed cujuscunque generis hominibus." כַּאֲשֶׁר אָמַר יְהוָה *Quemadmodum dixit*, promiſit, *Jova*, qualis promiſſio Jeſaj. IV, 3. *Qui in Sione et Hieroſolymis reliqui ſuperfuerint, ii ſancti dicentur, videlicet omnes Hieroſolymis ad vitam adſcripti.* וּבַשְּׂרִידִים *Et inter reſiduos*, ſuperſtites, vid. de hac voce not. ad Jeſaj. I, 9. אֲשֶׁר יְהוָה קֹרֵא *Quos Jova vocavit*, revocabit e terris exteris. Chaldaeus: וּמְשֵׁיזְבַיָּא דַּייָ זַמִּין *et liberabuntur illi, quos Jova deſtinat.* Quod ſequutus Grotius, קָרָא, *vocare*, hic loci idem, quod *deſtinare* eſſe perhibet. Jarchi ſimilitudinem vult deſumtam eſſe ab iis, qui ad convivium invitentur. Senſum hujus Verſus Tychsen in hunc modum expoſuit: „*Sed qui Jovam colit tutus erit ab his rerum converſionibus. Salus enim erit Sione et Hieroſolymis, promittente Jova, atque apud omnes, quos ipſe adducturus eſt.* Verba haec, וּבַשְּׂרִידִים nolim ita jungi, ut אֲשֶׁר referatur ad verbum יִהְיֶה ſupplendum: *inter liberatos erit quemcunque advocat Jehova*, aut ad alia confugere non minus contorta. Simpliciſſimum eſt, repetere ex ſuperioribus פְּלֵיטָה, quo valde augetur ſententia, non Hieroſolymis tantum ſecuritatem fore ab imminentibus malis, ſed apud exſules quoque, qui erepti hoſtium gladio inter gentes diſperſi adhuc eſſent, ſive de Iſraelitis cogitaverit in Medos et Aſſyriam deportatis, ſive de Judaeae ci-

 vibus,

vibus, quorum jam tum poterant aliqui per Affyriorum et Chaldaeorum incurfiones abducti effe. *Vocare* (קָרָא) eft revocare ab exfilio, ut Jefaj. XLI, 9. Jam arctiffime cohaerent fequentia: tum enim, cum reducam exules Hierofolymorum, poenas repetam ab hoftibus et oppreffonibus gentis meae." Aliter tamen Steudel, qui, „haud nos quidem," inquit, „affenferimus eorum fententiae, qui ex fuperioribus פְּלֵיטָה repetendum cenfentes, fecuritatem affirmari putant exfulibus quoque, qui erepti hoftium gladio inter gentes adhuc effent difperfi. Namque, ne illud urgeam, quod hicce propheta in praecedentibus difperfionem Judaeorum inter populos non memorarit, שְׂרִידִים nequaquam funt reliqui ii, qui funt praeter Judaeos, Hierofolymitanos, fed *fuperftites ex clade*, atque iidem, qui פְּלֵיטָה vocari poffunt. Non eft, unde norimus, exules ex terra Judaeorum hic a propheta fpectari, et fi fpectarentur, haud optime verba inter fe jungerentur. Si enim פְּלֵיטָה fignificat *ereptionem, evafionem*, velut e ftrage et perfequente hofte effugientis [ut Genef. XIV, 13.], quae inveniatur in monte Zion; non fane apte diceretur, eandem inveniri in fuperftitibus e clade, quos Jova in patriam revocet. Loco locus, qui praebeat effugium, rectius refponderet. Si vero verteris: *in monte Zione et Hierofolymis erunt* פְּלֵיטָה *liberati* (ut abftractum fit loco concreti), altera phrafis haec fere effe deberet: בִּפְלֵיטָה יִהְיוּ הַשְּׂרִידִים *in liberatorum numero fuperftites etiam ifti erunt.* Praeterea de fignificatione ifta verbi קָרָא *advocare ex exilio*, dubitari facile poterit, quum idem קָרָא fignificare: *definire, eligere ad aliquid*, plura loca fatis probent," ut Jefaj. XLII, 5. XLVIII, 12. LI, 2. Hinc verba וּבַשְּׂרִידִים אֲשֶׁר יְהוָה קֹרֵא Steudel fic interpretatur: *fcilicet in numero fuperftitum erunt, quoscunque vocarit Jova.* Nec illicitum fore, addit, fic vertere: *qui a Jova fe vocari permiferit*, qui confilio ejus obfequentem fefe praeftiterit; ita ut comma Verfus tertium plane congrueret commati Verfus primo, unde lux effunderetur medio ejusdem commatis. Triplex fcilicet parallelismus

lismus idem effaretur: salus et liberatio Jovae praesidio et numine iis erit, qui eum colunt, eique duci obsequuntur. Licet ab insita ista sibi popularibusque idea, ex qua veri Dei cultus sedes esset urbs Hierosolyma, phrases mutuaretur propheta et imagines; id tamen innuit, quicunque verus Jovae cultor sit (nequaquam Judaeos solos aut Hierosolymitanos), salutis a Deo praebitae fore compotem. En tibi dignam reique ipsi accommodatissimam Messianorum temporum imaginem: quae si aetatis, qua fuit composita, vestigia impressa sibi tulerit, haud haerebis; sed evehet mentem recreabitque idea numinis afflatu sacratis viris formâ quamvis nondum satis idoneâ et perfectâ obversata, et verbis, licet rudioribus forte, expressa tamen plane et perspicue!"

Cap. IV.

ARGUMENTUM.

Poſtquam pluribus deſcripſiſſet vates poenas et caſtigationes, quibus a Jova plectendae ſint atque perdendae gentes Hebraeo populo infeſtae (Vs. 1 — 17.), claudit ſua vaticinia imagine feliciſſimi aevi, quo Judaea rerum omnium abundantia, ſecuritate ab hoſtibus, et alta atque ſempiterna pace fruetur (Vs. 18 — 21.).

---

1. כִּי *Nam*, ut ſuperius (III, 5.) promiſſis fidem faciam, et oſtendam ſalvos futuros eſſe, qui ad Jovam atque ſedem cultus ejus ſeſe receperint. Steudel vero hac Conjunctione hunc Verſum cum ſuperioribus hoc ſenſu conjungi cenſet: „*nam*, ut monſtretur, facile olim ex Judaea ejusmodi rerum divinarum ſtudium ſeſe propagaturum eſſe, quum miſera, quae civitati inſtet, conditio deſitura, ejusdemque ad alias civitates ratio magnam paſſura ſit mutationem.“ הִנֵּה *Ecce!* particula attentionem excitans, quae ſimul confirmat, quamvis gravia videntur atque dubia, quae jam praenunciat vates, attamen certo eſſe futura. בַּיָּמִים הָהֵמָּה *In diebus illis* noviſſimis, III, 1. 2. וּבָעֵת הַהִיא *Et tempore illo*, feliciſſima illa aurea aetate, de qua eaedem, quae hoc loco, dictiones uſurpantur quoque Jerem. L, 4. 20. אֲשֶׁר אָשִׁיב *Quando*, ſ. *quibus reducam*, Jerem. XXXII, 44. XXXIII, 11. Quod in textu exſtat, אָשׁוּב, idem notat, vid. Pſ. CXXVI, 1. et ad eum loc. not. אֶת־שְׁבוּת יְהוּדָה וִירוּשָׁלִָם *Captivitatem*, i. e. turbam captivorum *Judae et Hieroſolymorum*,

morum, ut Ezech. XXXIX, 25. coll. XVI, 53. Videntur a Tyriis et Sidoniis, nec non a Philiſthaeis, Aegyptiis et Idumaeis, qui Hebraeos vexaſſe et oppreſſiſſe ſatis clare innuuntur Vs. 4. et 19., plures Judaei belli capti in exteras terras deportati fuiſſe. Sed poſſit *reductione captivitatis Judae et Hieroſolymorum* et omnino *rerum Judaicarum collapſarum reſtauratio* indicari, ut Job. XII, 10., ad quem loc. vid. not.

2. וְקִבַּצְתִּי *Et colligam*, congregabo, cf. Jeſ. LXVI, 18. Mich. IV, 12. Zephan. III, 8. אֶת־כָּל־הַגּוֹיִם *Omnes gentes*, eas praeſertim, quae populum meum male tractarunt, uti mox ſequitur. וְהוֹרַדְתִּים *Et deducam eas*, quaſi ad judicii et ſupplicii locum, Deut. XXI, 4. Jerem. LI, 40. אֶל־עֵמֶק יְהוֹשָׁפָט *Ad vallem Joſaphat*, cujus praeter hunc locum et infra Vs. 12. alias in V. T. nulla facta reperitur mentio. Quidam hanc vallem volunt eandem eſſe cum ea, quae 2 Chron. XX, 26. dicitur vallis בְּרָכָה, *benedictionis*, quia Jovae benedicebat ibi Joſaphat et ejus populus, ob inſignem cladem, qua Deo operante hoſtes cadebant. Alii exiſtimant eſſe vallem Hieroſolymis propinquam, urbem inter et montem olivarum, ita dictam a ſepulchro Joſaphati ibi ſito, quod parum probabilitatis habet, eo quod 2 Paral. XXI, 2. Joſaphatus ſepultus dicitur in civitate Davidis cum patribus ſuis, quorum ſepulchra non niſi in monte Zionis intra civitatem fuerunt. Cf. *Anſichten von Palaeſtina* P. II. p. 5., et *Handbuch der bibl. Alterthumskunde* Vol. II. P. I. p. 155. Sed vix dubium eſt, nomen eſſe allegoricum, a vate fictum, quo ſignificaret locum, quo *judicium exerciturus ſit Jova* (יְהוָֹה שָׁפָט *Jova judicat*), et ultionem ſumturus de populi ſui hoſtibus. Hinc Chaldaeus recte vertit: לְמֵישַׁר פְּלַג דִּינָא, *ad vallem diremtionis judicii.* וְנִשְׁפַּטְתִּי עִמָּם שָׁם *Ubi disceptabo cum illis,* ſicuti quis eum, a quo injuria eſt affectus, in jus vocat, Jeſaj. LXVI, 16. Jerem. XXV, 31. Zeph. III, 8. Chaldaeus: וְאֶתְפָּרַע מִנְּהוֹן *vindictam de iis ſumam.* Cf. Jeſaj. XXXIV, 8. XXXV, 4. Pſ. LXXIX, 20. עַל־עַמִּי *Propter popu-*

populum meum, propterea quod populum mihi carum vexarunt et oppresserunt. וְנַחֲלָתִי יִשְׂרָאֵל *Et* propter *haereditatem meam Israelem*, cujus peculiarem curam et rationem habeo, quam mihi in perpetuum vindicabo, II, 17. Jesaj. XIX, 25. XLVII, 6. אֲשֶׁר פִּזְּרוּ בַגּוֹיִם *Quem disperserunt inter gentes*, dum captivos Israelitas in exteras terras abduxerunt. וְאֶת־אַרְצִי *Et terram meam*, i. e. terram populi mei, adeoque meam, cf. not. ad I, 6. חִלֵּקוּ *Diviserunt*, tanquam suam sibi vindicantes, Jos. XIII, 7. Mich. II, 4.

3. וְאֶל־עַמִּי יַדּוּ גוֹרָל *Et super populo meo jecerunt sortem*, ut de captivis fieri mos erat, vid. Nah. III, 10. Obad. Vs. 11. Significatur simul, Judaeos a suis hostibus summa contumelia affectos fuisse, dum captivos sorte dividebant, nulla alterius prae altero ratione habita, quasi plane indigni essent ullo delectu. וַיִּתְּנוּ הַיֶּלֶד בַּזּוֹנָה *Et dederunt puerum* Hebraeum *pro meretrice*, id est, uti recte Chaldaeus et Syrus, בְּאַגַר זָנִיתָא, *pro mercede meretricis*. Illud ב enim nomini זוֹנָה praefixum, *pro* esse vertendum, indicat hemistichium alterum, et sensus est, pueros Judaeos meretricibus pro sui corporis prostitutione datos esse vice pecuniae. LXX: Ἔδωκαν τὰ παιδάρια πόρναις. Aliene Vulgatus: *et posuerunt puerum in prostibulo*, quod Hieronymus explicat, „ut virilem cogerent mutare naturam," coll. Rom. I, 26. 27. וְהַיַּלְדָּה *Et puellam*, sive collective *puellas*, ut LXX et Syrus verterunt. Occurrit id nomen praeter hunc locum bis tantum, Genes. XXXIV, 4. Zach. VIII, 5. מָכְרוּ בַיַּיִן *Vendiderunt pro vino*, vili pretio; cf. Amos II, 6. וַיִּשְׁתּוּ *Et biberunt* animo levissimo; cf. Ps. XIV, 4.

4. Postquam in genere dixisset Jova, se in judicium vocaturum esse gentes, ob eas quibus populum suum affecerunt injurias, jam nominatim quasdam illarum commemorat, quibus litem sit moturus. וְגַם *Et etiam*; quod vos attinet, qui amicitiae et auxilii loco, cui ferendo ex jure viciniae eratis obligati, populum meum oppressistis. מָה־אַתֶּם

לִי

לִי *Quid vos ad me?* quid vobis mecum negotii eſt? Cf. Joſ. XXII, 24. Quid vobis mecum rei eſt, quod populo mihi caro, adeoque mihi ipſi, ita averſamini? Sed Chaldaeus: וְאַף מָא אַתּוּן חֲשִׁיבִין קֳדָמַי *et quoque quanti aeſtimati eſtis apud me?* quocum prorſus convenit Syrus. Quo ſenſu adſcito exprobrarit Tyriis et Sidoniis ſtultitiam, qui ſibi viderentur ſatis idonei ad reſiſtendum a Deo, quaſi non eſſet par vindictae ſumendae de ignominia, qua ipſum afficiunt, qui populum ſuum laedunt. Sed praeſtat prior explicandi ratio, qua ſignificat Deus, ſe cum illis expoſtulare velle propter nefas in populum ſuum citra ullum meritum admiſſum. צֹר וְצִידוֹן *Tyrus et Sidon?* Vid. de his not. ad Ezech. XXVI, 2. XXVIII, 20. וְכֹל גְּלִילוֹת פְּלָשֶׁת *Et omnes termini Palaeſtinorum,* de quibus vid. not. ad Ezech. XXV, 15. coll. not. ad Jeſaj. XIV, 29. LXX: *καὶ πᾶσα Γαλιλαία ἀλλοφύλων.* Nomen גְּלִילוֹת pro nomine proprio regionis habuerunt, et Galilaeam reſpici putarunt. Sed ea regio vocatur גְּלִיל הַגּוֹיִם, vid. Jeſaj. VIII, 23. Recte noſtro loco Chaldaeus: וְכָל תְּחוּמֵי פְּלִשְׁתָּאֵי *et omnes termini Palaeſtinorum.* Hieronymus: *et omnis terminus Palaeſtinorum.* Cf. Joſ. XIII, 1. XVIII, 17. הַגְּמוּל אַתֶּם מְשַׁלְּמִים עָלָי *Num retributionem rependitis mihi?* Nomen גְּמוּל eſt *ἐκ τῶν μέσων*, et *beneficium* collatum, ut Jud. IX, 16., et *injuriam* illatam, ut Pſ. CXXXVII, 8. ſignificans, quemadmodum verbum גָּמַל *bene* vel *male de aliquo mereri* denotat; eandem igitur vim habet, quam Latinum *meritum.* Cum עַל conſtruitur, ut h. l., ita et Jeſ. LXV, 6. Pſ. XIII, 2. 2 Paral. XX, 11., ſaepius vero cum לְ, ut Jeſaj. III, 9. LIX, 18. Jerem. XXV, 14. וְאִם־גֹּמְלִים אַתֶּם עָלַי *At ſi talia vos confertis,* vel *committitis adverſus me* priores; nam גָּמַל hic ſecunda vice uſurpatum notat *priorem malum inferre,* ut Geneſ. L, 15. וְהָשֵׁב יָשִׁיב לָנוּ אֵת כָּל־הָרָעָה אֲשֶׁר גָּמַלְנוּ אֹתוֹ *Et omnino rependet nobis illud malum, quod intulimus priores ipſi.* LXX illo loco et heic utuntur verbo *μνησικακεῖν.* קַל מְהֵרָה *Cito et velociter.* Jeſaj. V, 26. אָשִׁיב גְּמֻלְכֶם Ego *meritum veſtrum rependam,* Jeſaj. LXVI, 15, Proverb.

XII,

XII, 14. בְּרֹאשְׁכֶם *In caput veſtrum*, Vs. 7. Obad. Vs. 15. Senſus noſtri loci huc redit: populum meum affligentes utrum cogitatis mihi, i. e. populo meo, referre, aut inferre injuriam? Si referre; quid ego vobis feci, cui nihil ſane rei eſt cum quoquam veſtrum? Quodſi inferre cogitatis, is ſum, qui efficere facile poſſim, ut injuria, quam mihi inferetis, e veſtigio redeat in caput veſtrum.

5. אֲשֶׁר *Propterea quod*, Vs. 19. Deut. III, 24. LXX: Ἀνθ' ὧν. כַּסְפִּי וּזְהָבִי לְקַחְתֶּם *Argentum meum et aurum meum cepiſtis. Suum* vocat Deus argentum et aurum a populis iſtis e terra Judaica direptum, non quod in templo erat, ſed quod populi ſui erat, ut modo Vs. 4. *ſibi* dixit factam injuriam, quod populo illata fuerat. וּמַחֲמַדַּי *Et pretioſa mea*, i. e. populi mei, 1 Reg. XX, 6. Hoſ. IX, 6. XIII, 15. הַטֹּבִים *Optima*, ut 1 Sam. VIII, 14. 16. 1 Reg. XX, 3. הֲבֵאתֶם לְהֵיכְלֵיכֶם *Intuliſtis in delubra* (ita LXX et Vulgatus), alii *in palatia veſtra*, ut Jeſ. XIII, 22. Amos VIII, 3. Prov. XXX, 28.

6. וּבְנֵי יְהוּדָה וּבְנֵי יְרוּשָׁלַם מְכַרְתֶּם לִבְנֵי הַיְּוָנִים *Judaeos autem et Hieroſolymitanos vendidiſtis Graecis*, quibus magnum ab omni aevo cum Phoenicibus commercium fuit, vid. Ezech. XVII, 13. Tale quid factum videtur ſub Ahaſo, ut colligere licet ex 2 Paral. XXVIII, 17. 18., ubi Idumaei et Philiſthaei impreſſione in Judaeam facta multos captivos ſecum abduxiſſe leguntur. Cf. Amos I, 6. לְמַעַן הַרְחִיקָם מֵעַל גְּבוּלָם *Ut procul abigeretis eos a termino ſuo*, quo minor eſſet facultas eos redimendi.

7. הִנְנִי מְעִירָם מִן־הַמָּקוֹם אֲשֶׁר־מְכַרְתֶּם אוֹתָם שָׁמָּה *En! ego excitaturus ſum eos e loco, quo eos vendidiſſet.* Chaldaeus: *Ecce ego palam reducturus ſum eos inde, quo vendidiſtis eos.* וַהֲשִׁבֹתִי גְמֻלְכֶם בְּרֹאשְׁכֶם *Et reducam meritum veſtrum in caput veſtrum*, poenas promeritas vobis reponam, ut ſequentia explicant. Quoad phraſin cf. Vs. 4. Thren. III, 64. Jud. IX, 57. Obad. Vs. 15.

8.

8. ומכרתי את־בניכם ואת־בנתיכם ביד בני יהודה *Vendam enim filios vestros et filias vestras per Judaeos*, cf. Jud. II, 14. ומכרום לשבאים *Qui venumdabunt eos Sabaeis*, Arabiae populo, de quo vid. Prolegomena ad Jobum p. 27. not. 13. Arabicus interpres ineditus a Pocockio laudatus: لاهل اليمن *populo Jemen*, i. e. Arabiae felicis. Cf. 1 Reg. X, 1. Sed LXX: *και αποδωσονται αυτους εις αιχμαλωσιαν*. Vocem לשבאים habuerunt pro nomine a שבה *captivum abduxit*, ut Job. I, 15. אל־גוי רחוק *Ad gentem* a vobis *remotam* abducendos. כי יהוה דבר Chaldaeus: *qui per verbum Domini decretum est*, adeoque certissimum. Cf. Jesaj. I, 20.

9. קראו־זאת בגוים *Proclamate hoc inter gentes!* Dixerat Vs. 2., *se omnes gentes congregaturum esse in vallem Josaphati*. Hic igitur ministris suis id faciendi mandatum dat. Jubet eos gentes inimicas Hebraeo populo cogere ad bellum, ut ita congregatas Deus profliget et perdat. Similis locus est Zach. XIV, 2. 3. *Deum congregaturum omnes gentes ad bellum contra Hierosolymam, et contra illas congregatas pugnaturum esse*. Item Ezech. XXXVIII, 4. 16. 17. hostes populi Judaici contra eum a Deo adductos et collectos deletum iri. Eadem similitudine, sumta a bello, quo potentissimi imperatores suos hostes proterunt et consumunt, et Noster hic utitur. Ex una parte statuuntur gentes universae suis viribus instructae, Vs. 9. 10., ex altera Deus cum bellatoribus suis, in fine Vs. 11. קדשו מלחמה *Sanctificate bellum*, i. e. praeparate, ut recte Chaldaeus et Hebraei interpretes exponunt. „Similitudo," inquit Grotius, „a sacrificiis, quae multae egent praeparationis." Cf. Jerem. VI, 4. LI, 27. 28., nec non supra I, 14. העירו הגבורים *Suscitate robustos*, ut Vulgatus vertit. LXX: *Τους μαχητας*, ut II, 7. יגשו *Accedant*, Jesaj. XLI, 1. Jerem. XLVI, 3. יעלו *Ascendant*, veniant ad oppugnandum, Vs. 12. Jesaj. VII, 1. 1 Sam. VII, 7. „Objectum bello oppetendum Hebraeis concipitur ut *fastigium*," ab oppugnante superandum;

dum; indeque fit, ut qui regi, populo, regioni, urbi, bellum inferunt, *adſcendere adverſus eos* dicantur, quoquo modo ſe cetera iter habeat, ſine reſpectu ad ſitum loci ſive borealem, ſive editiorem in montibus, ut Jud. I, 16. VI, 3. 1 Reg. XI, 15. 2 Reg. XVIII, 13. al." Haec. C. B. Michaelis in *Diſſertat. chorographica de notionibus Superi et Inferi in Cod. S.* §. XXX. (in *Commentatt. Theologg.* a Velthuſenio et Kuinoelio editt. Vol. V. p. 442. ſeqq.). כֹּל אַנְשֵׁי הַמִּלְחָמָה׃ *Omnes bellatores,* Deut. II, 14., q. d. fruſtra tamen, imo nociva vobis haec omnia molimina erunt. Cf. Jeſaj. VIII, 9. 10. Hieronymus: „Locus iſte dupliciter intelligitur: quidam enim arbitrantur haec ſanctis gentibus praedicari, ut praeparentur ad bellum, et pro populo Dei dimicent. — Nobis autem Hebraeorum opinionem ſequentibus videtur eſſe contrarium. Ideo enim gentes adverſariae Iſraeli parantur ad pugnam, et contra Domini exercitum congregantur, ut occumbere Dominus faciat robuſtos earum, et intelligant ſe Deo adverſante ſuperatas." Cui poſteriori ſententiae et nos cum praeſtantioribus interpretibus accedimus.

10. כֹּתּוּ *Tundite,* cudite, Jeſaj. II, 4. Chaldaeus: אַתְקִינוּ, *parate.* אִתֵּיכֶם *Vomeres,* ſ. ligones *veſtros,* 1 Sam. XIII, 20. לַחֲרָבוֹת *In gladios,* Ezech. XXXVIII, 4. וּמַזְמְרֹתֵיכֶם *Et falces veſtras,* Jeſaj. XVIII, 5. et cf. not. ad Jeſaj. II, 4. LXX: Τὰ δρέπανα ὑμῶν. לִרְמָחִים *In haſtas,* Num. XXV, 7., contrario ſtudio, quam Jeſaj. II, 4. Mich. IV, 3. Inſtrumenta ad agriculturam pertinentia in arma bellica vertite. Tempore enim belli horum, non illorum, uſus eſt; culturâ terrae relictâ homines ad pugnandum ſua ſtudia conferunt. Virgilius *Georg.* I, 506. ſeqq. de incommodis belli querens:

. . . . Non ullus aratro
Dignus honos: ſqualent abductis arva colonis,
Et curvae rigidum falces conflantur in enſem.

Ovidius *Faſtor.* I. 697. ſeqq.

Bella diu tenuere viros; erat aptior enſis
Vomere; cedebat taurus arator equo.

Sar-

Sarcula cessabant, versique in pila ligones
Factaque de rastri pondere cassis erat.

הַחַלָּשׁ *Debilis* etiam; adjectivum hoc nomen hoc solo loco exstat, sed cf. verbum, unde derivatum, Exod. XVII, 13. Grotius: „Etiam infirmi numerum augeant, quasi aliquid possint." יֹאמַר גִּבּוֹר אָנִי *Dicat: fortis ego* sum, animos sibi sumat. Ridet hostilem temeritatem et audaciam.

11. עוּשׁוּ LXX *συναθροίζεσθε*, *congregate vos.* Ita et Syrus, atque Chaldaeus: אִתְכַּנְּשׁוּן *congregent se.* Quae *congregandi* notio huic verbo, heic tantummodo obvio, satis est apta. Nonnullis ex Hebraeis interpretibus idem est quod חוּשׁוּ, *festinate*, gutturalibus ע et ח inter se permutatis. Hieronymus: *erumpite*, q. d. prodite magno cum impetu ex omnibus urbibus vestris. Arabibus عاس (pro عوس) est *circumire noctu*, maxime ad praedam captandam, ut lupus aliaeque ferae; et cognatum غَسَّ, *ingressus fuit*, *pervasit* regionem. J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1875. collato غوث, *exclamare alta voce ad opem implorandam*, indeque in IV. Conjug. *suppetias ferre clamanti*, vertendum putat: *ad auxilium concurrite.* Nos quidem antiquissimam verbi hebraei interpretationem, primo loco positam, retinendam arbitramur. וּבֹאוּ כָל־הַגּוֹיִם *Et venite, vos omnes,* inimicae *gentes,* Vs. 12. Jes. LX, 12. מִסָּבִיב Undiquaque *ex circuitu*, ut Vs. 12. Jerem. IV, 17. Ezech. XXXIX, 17. וְנִקְבָּצוּ *Et congregamini.* Ita Hieronymus. Imperativi forma minus usitata, cui similem tamen adducunt נִלְווּ (pro נִלְווּ), *conjungimini,* Jerem. L, 5. Alii: *congregent se*, quicunque volunt. שָׁמָּה הַנְחַת יְהוָה Verum *illuc*, in vallem Josaphat, *descendere fac, Jova!* Apostrophe prophetae ad Deum, qui adnuit Vs. 12. Verbum est Imperativus Hiphil a נָחַת, Jer. XXI, 13. Ps. XXXVIII, 3. quod tamen Chaldaeis magis in usu pro יָרַד, quod ipsum synonymum et mox Vs. 13. usurpatur. גִּבּוֹרֶיךָ *Fortes,* heroes *tuos*, opponendos hostium robori, Vs. 9. Alii *angelos* intel-

intelligunt, coll. 2 Reg. XIX, 35. Pf. XCI, 11. CIII, 20. Vid. et Apocal. XIX, 11. 14. Chaldaeus postrema Versus nostri verba sic vertit: יְתַבַּר יְיָ תְּקוֹף גִּבָּרֵיהוֹן *confringet Jova robur fortium eorum.* Eodem sensu Syrus, et Hieronymus: *occumbere faciet.* Ceperunt הַנְחַת significatione *dejiciendi, profligandi,* atque suffixum ad גִּבּוֹרֶיךָ retulerunt ad *hostem.* Verum simplicius est, affixum ad *Jovam* referre; de hostibus, quorum in plurali hic constanter fit mentio, ponuntur affixa pluralia, in אֲחֵיכֶם et מַזְמְרוֹתֵיכֶם Vs. 10.

12. יֵעוֹרוּ *Suscitentur, consurgant,* ut Hieronymus haud male. Vid. Vs. 7. Jerem. L, 41. Habac. III, 9. וְיַעֲלוּ *Et ascendant,* vid. de hoc verbo, quod hic cum אֶל־עֵמֶק, *ad vallem,* jungitur, adeoque *descendere* commodius vertendum videri possit, not. ad Vs. 9. Ceterum verba haec יֵעוֹרוּ וְיַעֲלוּ satis apte in *Futuro* verti possunt: *suscitabuntur, ascendent,* ut Deus, prophetae precibus annuens, affirmet, se id certissime daturum effectum, quod ille flagitavit. הַגּוֹיִם *Gentes* inimicae, Vs. 9. 11. אֶל־עֵמֶק יְהוֹשָׁפָט *In vallem Josaphat,* s. *judicii divini,* Vs. 14., vid. not. Vs. 2. כִּי *Nam,* ratio additur nominis et istius excitationis. שָׁם אֵשֵׁב *Ibi sedebo,* in tribunali judex, quomodo verbum יָשַׁב et Pf. IX, 5. Dan. VII, 9. 10. usurpatur. Cf. Apoc. XX, 4. Chaldaeus: תַּמָּן אִתְגְּלֵי *ibi revelabor,* ipso videlicet opere et effectu. לִשְׁפֹּט אֶת־כָּל־הַגּוֹיִם מִסָּבִיב *Ad judicandum omnes gentes circumquaque,* ex cunctis terrae partibus. Cf. Pf. IX, 8. 9. XCVI, 13. XCVIII, 9.

13. שִׁלְחוּ *Mittite,* immittite, vos executores judicii divini, qui *fortes Jovae* dicti Vs. 11. מַגָּל *Falcem,* ut Jerem. L, 16., praeterea id nomen non occurrit. De ejus significatione tamen nulla est dubitatio, nam Syris ܡܓܠܐ, et Arabibus مِنْجَل itidem est *falx.* A messe ducta allegoria, qua indicatur, adesse tempus, quo delendae sint gentes. Chaldaeus: אוֹשִׁיטוּ בְּהוֹן חַרְבָּא *stringite in eos gla-*

gladium, ut ſicut ager falce demetitur, ita gladio hoſtes. כִּי בָשַׁל קָצִיר *Quia maturuit meſſis*, maturuerunt ad ſupplicia de iis ſumenda. Chaldaeus: אֲרֵי מְטָא זְמַן קִצְהוֹן *nam venit tempus finis eorum.* Cf Jeſ. XXVII, 11. Jer. LI, 33. Matth. XIII, 39. Apoc. XIV, 15. בֹּאוּ רְדוּ *Venite, deſcendite!* „Locus, in quo fit pugna vel proelium," inquit C. B. Michaelis in Diſſertat. ſupra ad Vs. 9. laud., „ab Hebraeis concipitur eſſe humilis, campeſtris, profundus, probabiliter, quod proelia ordinarie in planitiebus, ac locis campeſtribus committuntur. Hinc fit, ut iter ad bellum, ſeu ingreſſus in aciem bellicam, *deſcenſus* in proelium appelletur, ut 1 Sam. XXVI, 10. *In proelium deſcendet et conſumetur*; cf. XXIX, 4." Chaldaeus: חוּתוּ דוּשִׁישׁוּ קְטִילֵי גִּבָּרֵיהוֹן *deſcendite, conculcate interfectos fortium eorum.* Additur alia imago a vindemia deſumta: כִּי־מָלְאָה גַּת *Nam plenum eſt torcular*, refertum eſt uvis, Thren. I, 15. Qua ſimilitudine quidam abundantiam ſcelerum ſignificari exiſtimant; nam ad eam indicandam metaphora a menſurae plenitudine deſumitur Geneſ. XVI, 16. *Iniquitas Amoraei nondum completa eſt.* Matth. XXIII, 32. Καὶ ὑμεῖς πληρώσατε τὸ μέτρον τῶν πατέρων ὑμῶν. Sed hoc loco potius copia hoſtium, inſtar uvarum conculcandorum, quibus repleti ſint campi, notatur. Chaldaeus: כְּמָעוּט דְּמִתְבְּעֵט בְּמַעְצַרְתָּא *ſicut quod calcatur in torculari.* הֵשִׁיקוּ הַיְקָבִים *Exundabunt lacus torcularium*, vid. ſupra ad II, 24. Chaldaeus per Imperativum: אוֹשִׁידוּ דְּמְהוֹן *fundite ſanguinem eorum,* qui et alias cum vino comparatur, vid. Jeſaj. LXIII, 3. Similiter interitus hoſtium populi Hebraei deſcribitur Jeſaj. XLIX, 26. LXVI, 16. Cf. Apoc. XIV, 19. 20. כִּי רַבָּה רָעָתָם *Quia magna* facta, et nimis cumulata eſt *malitia eorum*, Geneſ. XVIII, 20. Jon. I, 2. Hieronymus: „Et haec [quae Vs. 12. 13. leguntur] juxta ſuperiorem ſenſum [vid. ad Vs. 9.] interpretantur bifariam. Alii enim gentes aſcendere in vallem Joſaphat, quae interpretatur *Domini judicium*, et ſedere ibi Deum, ut dijudicet omnes gentes, quae de circuitu veniunt, in bonam partem intelligunt, quo ſcilicet et ſancti con-

contra Dei adverſarios congregentur, et mittant falces ſuas, ut maturam hoſtium meſſem demetant, et veniant atque deſcendant, calcentque torcularia, quia adſit vindemia, et intantum muſta exuberent, ut torcularia capere non poſſint. Et ut ſciremus, quae ſit vindemia, plenumque torcular, intulit: *multiplicata eſt malitia eorum,* haud dubium quin eos ſignificet, qui contra Dominum congregati ſunt. Alii autem conſurgere gentes, et convenire in vallem Joſaphat, et ſedere Dominum, ut omnes judicet nationes, ideo aſſerunt, ut parent ſe et aſſumant univerſa arma pugnantium, et in valle Joſaphat Domini falcibus demetantur. Veniſſe enim contra eos tempus judicii, et intantum eorum creviſſe mala, ut Dei vincerent patientiam. Nam et Amorrhaei tunc expulſi ſunt, quando expleta ſunt peccata eorum. Judaei iſtum locum ad Gog et Magog, gentes ſaeviſſimas, referunt, de quibus ſupra diximus arbitrantes ultimo tempore, quando Jeruſalem fuerit inſtaurata, ſub mille annorum imperio contra Dei populum eſſe venturas, et in valle Joſaphat, quae ad orientalem partem Templi ſita eſt, eſſe ruituras."

14. הֲמוֹנִים הֲמוֹנִים *Populi, populi,* Chaldaeus: מַשְׁרְיָן מַשְׁרְיָן *exercitus, exercitus,* q. d. quot et quantos conſpicio exercitus! Geminatio nominis indicat multitudinem, vid. Gen. XIV, 10. Exod. VIII, 10. 2 Reg. III, 16. בְּעֵמֶק הֶחָרוּץ Erunt *in valle conciſionis,* ut Hieronymus vertit, ut deſignetur vallis, in qua gentium hoſtilium copiae excidendae ſint. Alii: *in valle deciſionis,* ſ. definiti et ſeveri judicii; ſatis probabiliter, eſt enim hic locus, ubi Jova *ad judicandum ſedebit,* ut ipſe Vs. 12. dixit. Et חָרַץ etſi proprie *incidere* vel *concidere* ſignificat, aliquando per metaphoram eſt *decernere, judicare,* vid. 1 Reg. XX, 40. Jeſaj. X, 22. Ita noſtrum חָרוּץ intellexerunt LXX, qui τῆς δίκης verterunt, et Chaldaeus, qui פְּלוּג דִּינָא, *diviſionis judicii,* ut ſupra Vs. 2. 12. poſuit. Hieronymus: „Ubi nos diximus *in valle conciſionis,* ſequentes translationem Aquilae et Sym-

Symmachi, et Quintae Editionis, Septuaginta et Theodotio τῆς δίκης καὶ τῆς κρίσεως, id eſt, *cauſſae* et *judicii* transtulerunt; pro quo in Hebraico ſcriptum eſt *Harus*, quod Hebraei non ſolum *conciſionem*, ſed et *aurum* interpretari putant, quo ſcilicet in valle judicii, quam ſuſpicantur Gehennam, excoctis ſordibus peccatorum purum aurum remaneat." Sunt quoque, qui חָרוּץ h. l. ſignificatione *tribulae* capiunt, ut Jeſ. XXVIII, 27. XLI, 15. coll. Amos I, 3. *Vallis tribulae* ſeu *triturationis* tum talis erit vallis, in qua Deus ſui populi hoſtes ibi congregatos eodem modo concidet, quo matura frumenta in areis collecta, tribulis ſuper iis tractis (pro more in iſtis regionibus recepto) conteruntur et comminuuntur. Vid. Bocharti *Hieroz.* P. I, L. II. C. XXXII. T. I. p. 315. edit. Lipſ. כִּי קָרוֹב יוֹם יְהוָה *Nam prope aderit dies Jovae*, qua de hoſtibus ultionem ſumet, cf. I, 15. II, 1. III, 4.

15. שֶׁמֶשׁ וְיָרֵחַ קָדָרוּ *Sol et luna obſcurabuntur*, cf. ſupra II, 10. III, 4. et ibi not. וְכוֹכָבִים אָסְפוּ נָגְהָם *Et ſtellae colligent*, retrahent (cf. not. II, 6.) *ſplendorem ſuum*, cf. Jeſaj. LX, 20., ubi oppoſitum: *Non occidet amplius ſol tuus*, וִירֵחֵךְ לֹא יֵאָסֵף, *et luna tua non recipiet ſe*, aut deliquium patietur.

16. וַיהוָה מִצִּיּוֹן יִשְׁאָג *Jova autem e Sione rugiet*, tonabit e Sione, ſede ſua peculiari, vid. Pſ. CXXXII, 13. 14. וּמִירוּשָׁלַםִ יִתֵּן קוֹלוֹ *Et ex Hieroſolymis*, ubi templum ſuum, *edet vocem ſuam* terribilem. Diverſis verbis idem dicit; nam *vox Jovae* eſt tonitru, vid. Pſ. XXIX, 3. et ibid. not. וְרָעֲשׁוּ שָׁמַיִם וָאָרֶץ *Ut contremiſcant coelum et terra*, terrae motus erit, et coelum tonitru concutietur. Similia vid. II, 10. Jeſaj. XIII, 13. XXIV, 18. Ezech. XXXVIII, 20. Pacuvius: *Tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbûm occaecat nigror, flamma inter nubes coruſcat, coelum tonitru contremit.* Sunt autem haec Dei hominum peccata ulturi terrificae potentiae argumenta; vid. Matth. XXIV, 29. Luc. XXI, 26. וַיהוָה מַחֲסֶה לְעַמּוֹ *Erit* tamen *Jova refugium*

populo suo, cf. Jesaj. IV, 6. XXV, 4. וּמָעוֹז לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל *Et munimentum filiis Israel,* cf. Zephan. III, 14. seqq. Hieronymus: „Quum solis et lunae cunctarumque stellarum splendor tenebris fuerit commutatus, Dominus de Sion instar leonis rugiet, sive clamabit, et tam excelsa vox ejus erit atque terribilis, ut coelorum cardines et terrarum fundamenta quatiantur. Quumque tam severus fuerit in eos, qui puniendi sunt, erit clemens erga populum suum, et dabit eis fortitudinem, qui appellantur filii Israel . . . . . Haec Judaei et nostri Judaizantes ad mille annorum fabulam referunt, quando putant Christum habitaturum in Sion, et in Jerusalem aurea atque gemmata sanctorum populos congregandos, ut qui in isto seculo oppressi sunt ab universis gentibus, in hoc eodem cunctis imperent nationibus."

17. וִידַעְתֶּם כִּי אֲנִי יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם *Ut cognoscatis, me esse Jovam Deum vestrum,* II, 17. Ezech. XXXVI, 11. XXXVII, 6. 13. 14. שֹׁכֵן בְּצִיּוֹן *Habitans in Sione,* protector populi mei, Vs. 16. 21. Jesaj. VIII, 18. Zephan. III, 17. הַר קָדְשִׁי *Monte meo sancto,* vid. not. ad Ps. II, 6. Chaldaeus: אַשְׁרֵיתִי שְׁכִנְתִּי *manentem ponam majestatem meam in Sione, monte meo sancto.* וְהָיְתָה יְרוּשָׁלַםִ קֹדֶשׁ *Et erit Hierosolyma vere sanctitas,* sive, subaudito עִיר, *urbs sanctitatis,* sancta, i. e. cara erit Deo, et sub ejus cura, favore ac tutela ab inimicarum gentium dominio, direptione atque possessione (qua *profanari* et *pollui* dicitur) libera et immunis. Cf. Obadj. Vs. 17. Drusius: „*Sanctitas,* i. e. sacrosancta et inviolata. Quod cum diceret propheta, respexit, meo animo, ad locum ejus nominis, qui in Templo erat, a quo profani arcebantur: ideo infert, *et extranei non transibunt per eam amplius.* A Sancto, atque adeo a sacris, arcebantur profani; sic ab ea extranei. Ergo *sanctitas erit Jerusalem,* non solum quia pura et impolluta, verum etiam, quia ab hominum injuria, Deo eam defendente, tuta erit. Aliter: *erit sanctitas,* s. *ut* sanctitas. Vult dicere: ut res Deo consecrata, quam non licebat ulli attingere."

gere.“ וְזָרִים לֹא־יַעַבְרוּ־בָהּ עוֹד *Et alieni*, hostes (vid. ad Jesaj. I, 7.) *non amplius pertransibunt per eam*, „ut amplius malefaciant illis,“ ut Kimchi explicat, vel: „hostili exercitu,“ ut Grotius. Syrus: ܠܐ ܢܬܥܡܪܘܢ ܒܗ̇ *non habitabunt in ea.* Sensu quidem minime incommodo; sed vera Pocockii observatio videtur, Syrum interpretem scripsisse ܠܐ ܢܬܥܒܪܘܢ, *non transibunt*, ut librarius quidam pro ܒ posuerit ܡ. Ceterum eadem, quae h. l., promittuntur et Jesaj. XXXV, 8. Jerem. XXX, 8. Zach. XIV, 21., quae repetit auctor Apocalypseos XXI, 27.

18. וְהָיָה בַיּוֹם הַהוּא *Et fiet in die illa*, gentibus inimicis deletis, et instaurata Hierosolyma, Vs. 17. יִטְּפוּ הֶהָרִים עָסִיס *Stillabunt montes musto*, Chaldaeus חֲמַר מֵרַת *vino mero.* Significat rerum nobilissimarum copiam et abundantiam, et simul quod illa omnia ἀπονητί, *sine labore*, sint proventura. Cf. Amos IX, 13. Jesaj. XXX, 23. Talis erat aurea illa aetas, de qua Ovidius *Metam.* I, 111. 112.

Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant,
Flavaque de viridi stillabant ilice mella.

וְהַגְּבָעוֹת תֵּלַכְנָה חָלָב *Et colles fluent lacte*, dictum quasi per hypallagen: *lac fluet per colles*, tanta lactis copia colligetur ex pecudibus, pabulum in collibus quaerentibus, ut ipsi colles videantur rivos lactis effundere, vel ipsi in lac resoluti, quod inde deflueret. וְכָל־אֲפִיקֵי יְהוּדָה יֵלְכוּ מָיִם *Et omnes alvei Judae manabunt aquis*, cf. Jesaj. XXX, 25. XLIV, 3. 4. וּמַעְיָן מִבֵּית יְהוָה יֵצֵא *Et fons e domo Jovae*, templo, *egredietur*, vid. not. ad Ezech. XLVII, 1. et cf. Zachar. XIV, 8. וְהִשְׁקָה אֶת־נַחַל הַשִּׁטִּים *Et rigabit vallem Schittim*, in campestribus Moabitarum erat haud longe a mari mortuo, Transjordanicae Israelitarum regioni vicina, vel potius in confinio, ut videtur, Israeliticae et Moabiticae dictionis. Inde enim ad Jordanem venientes in terram promissam transiverunt, Jos. III, 1. Vid. et Num. XXV, 1. XXXIII, 49. Mich. VI, 5. Sed quae hic memoratur vallis

Schittim a transjordanica illa diversa videtur; vid. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. II. P. I. p. 161. et p. 166. not. 20. Cum igitur dicit *fontem e templo manantem rigaturum* hanc *vallem*, quae in extremis finibus terrae Ifraelitarum erat ad Orientem Australem, nihil aliud vult, quam, rerum omnium abundantiam singulari Dei beneficio longe lateque diffusam iri. Nomen שִׁטִּים LXX et Hieronymus habuerunt pro appellativo, quamvis LXX alias, ut Num. XXV, 1. pro loci nomine habeant, atque reddant Σαττείμ, vel Σαττεῖν, ut Jos. II, 1. Sed hoc loco verterunt: τὸν χειμάῤῥουν τῶν σχοίνων. Hieronymus: „Pro *torrente spinarum* Septuaginta transtulerunt: *torrentem funiculorum*, id est, σχοίνων, quod aut *funiculos* significat, aut, juxta Aegyptios, mensuram certi itineris, Psalmista dicente [Ps. CXXXIX, 2.]: *Semitam meam et funiculum meum tu investigasti.* In Nilo enim flumine, sive in rivis ejus, solent naves funibus trahere, certa habentes spatia, quae appellant *funiculos*, ut labori defessorum recentia trahentium colla succedant. Nec mirum, si unaquaeque gens certa viarum spatia suis appellet nominibus, quum et Latini *mille passus* vocent, et Galli *leucas*, et Persae *parasangas*, et *rastas* universa Germania, atque in singulis nominibus diversa mensura sit. Haec propterea, quia verbum Hebraicum *Sattim* Septuaginta *funiculos* transtulerunt. Ceterum nulli dubium est, omnia, quae in tabernaculo Dei legimus, de lignis *Settim* esse perfecta, quae LXX interpretati sunt *ligna imputribilia* [vid. Exod. XXV, 5.]. Est autem genus arboris in eremo, spinae albae simile, colore et foliis, non magnitudine. Alioquin tam grandes arbores sunt, ut latissime ex illis tabulata caedantur, lignumque fortissimum est, et incredibilis levitatis et pulchritudinis, ita ut ex his etiam vasa torcularium, quae ἄρσενας et θηλύας vocant, ditissimi quique et studiosissimi faciant, quae ligna in locis cultis, et in Romano solo, absque Arabiae solitudine, non inveniuntur. Pro *torrente funiculorum*, sive *spinarum*, Symmachus interpretatus est *vallem spinarum*. Est autem locus juxta Liviadem trans

trans mare mortuum, ſexto ab eo diſtans milliario, ubi quondam cum Madianitis fornicatus eſt Iſrael. Hujus loci ex perſona Dei Michaeas propheta meminit, dicens [VI, 5.]: *Populus meus, memento quaeſo, quid cogitaverit Balaach, rex Moab, et quid reſponderit Balaam, filius Beor, de Settim usque ad Galgalam.*" Abarbenel ſolus inter ſuae gentis interpretes quae hic de fonte e templo emanante, et vallem Sittim irrigante leguntur, allegorice dicta exiſtimat; quibus ſignificetur, cultum Jovanum, e Sione proditurum, per totum terrarum orbem propagatum iri, coll. Jeſaj. II, 3. Quam interpretationem e Chriſtianorum interpretum commentariis videtur hauſiſſe, quorum haud raro rationem habet.

19. מִצְרַיִם לִשְׁמָמָה תִהְיֶה *Aegyptus in deſolationem erit,* deſolata reddetur, quod repetiit Ezechiel XXIX, 9. Cf. eandem phraſin Mich. VII, 13. וֶאֱדוֹם לְמִדְבַּר שְׁמָמָה תִּהְיֶה *Et Edom in deſertum deſolationis erit,* vaſta ſolitudo evadet. מֵחֲמַס בְּנֵי יְהוּדָה *Propter violentiam filiorum Judae,* quae iis ab Aegyptiis et Idumaeis illata eſt. Recte Hieronymus: *pro eo quod inique egerunt in filios Judae.* Genitivus hic eſt patientis, ut Obad. Vs. 10. מֵחֲמַס אָחִיךָ יַעֲקֹב, *propter injuriam fratris tui Jacobi,* i. e. quae fratri tuo illata eſt. Eodem ſenſu חֲמַס cum Genitivo jungitur Jud. IX, 24. Habac. II, 8. 17. Judaeos iſtis temporibus multis injuriis vexatos et oppreſſos fuiſſe ab Idumaeis, patet quoque ex Amos I, 11. ſeqq. אֲשֶׁר *Eo quod,* ut Vs. 5. Alii: *quorum* (Judaeorum) ſanguinem innoxium fuderunt, quos temere ac ſine cauſa occiderunt. שָׁפְכוּ *Fuderunt,* ut Pſ. LXXIX, 3. 10. דָם־נָקִיא *Sanguinem innocuum,* Jeſ. LIX, 7. Pſ. X, 8. XCIV, 21. Scribitur נָקִיא h. l. cum א, ut Jon. I, 14.; ita נָבִיא, נָשִׂיא. בְּאַרְצָם *In terra eorum,* Judaeorum, quam hoſtiliter invaſerunt. Alii ſuffixum ad Aegyptios et Idumaeos referunt, ut ſignificetur, eos trucidaſſe Judaeorum illos, qui in fidem eorum ſe receperant in Aegypto aut Idumaea refugium ſibi quaerentes.

20.

20. וִיהוּדָה לְעוֹלָם תֵּשֵׁב *Juda vero,* i. e. Judaea, *in aeternum habitabitur,* verbum eſt paſſive vertendum, ut Jeſaj. XIII, 20. Ezech. XXVI, 20. XXXV, 9., ad quae loca vid. not. וִירוּשָׁלַםִ לְדוֹר וָדוֹר *Et Hieroſolyma* habitabitur *in generationem et generationem,* per omnes generationes, ut Jeſaj. LVIII, 12. LX, 15. Similia promittuntur ſupra II, 26. 27. Jeſaj. LX, 21. Jer. XXXI, 40. Ezech. XXXVII, 25. XLIII, 7. 9.

21. וְנִקֵּיתִי דָּמָם לֹא־נִקֵּיתִי *Et mundabo,* i. e. mundos, innocentes declarabo, hoſtium exitio, illos, *quorum ſanguinem non mundaveram,* pro innocenti non tractaveram, ſed quos veluti impios trucidari hoſtibus permiſeram. נִקָּה *Mundare* pro inſontem declarare, dicitur Pſ. XIX, 13. Job. IX, 28. X, 14. Pronomen relativum poſt דָּמָם ſubaudiendum, ut Pſ. LI, 10. et ſaepius. LXX: Καὶ ἐκζητήσω τὸ αἷμα αὐτῶν, καὶ οὐ μὴ ἀθῳώσω. *Et requiram ſanguinem eorum, inultumque eſſe non patiar,* reddidit Hieronymus. Id ſequutus Syrus: ܘܐܬܒܥ ܕܡܗܘܢ ܘܠܐ ܐܚܘܣ *et ulciſcar eorum ſanguinem, et non parcam.* Eodem fere ſenſu Abarbenel: „*an abſolvi gentes a ſanguine Iſraelis,* quem fuderunt in terra ſua? Sane ego *nondum abſolvi* eos, ſed ultionem ab eis ſumam." Hieronymus: *et mundabo ſanguinem eorum, quos non mundaveram.* In Commentario: „Mundabit Dominus ſanguinem omnium peccatorum, quem prius non mundaverat, ut mundet in Evangelio, quos in Lege peccantes immundos reliquerat." Jarchi: „Etiamſi eos (populos Judaeis inimicos) a reliquis, quam commiſerunt, peccatis, abſolvero, caedes tamen Judaeorum eis non condonabo." Kimchi: „Ab argento et auro, quod acceperant, *purgabo,* vel abſolvam eos, quia etiam Iſraelitae talia ab illis, tanquam ſpolia, accipient futuro tempore; at *a ſanguine eorum,* quem fuderunt, eos non mundabo, ſed vita pro vita (נפש תחת נפש) reddenda erit. Nam ſi omne argentum et aurum, quod in orbe eſt, darent pro pretio occiſorum Judaeorum, non abſolventur a ſanguine eorum,

eorum, quem fuderunt." Quum igitur דָּמָם jungat poſteriori dictioni, לֹא־נִקֵּיתִי, addit, Chaldaeum דָּמָם referre ad prius נִקֵּיתִי, reddit enim verba hebraeae hoc modo: וּדְאִתְפְּרַעִית דְּמְהוֹן מִן עַמְמַיָּא תּוּב אֲנָא עָתִיד לְאִתְפְּרַע, *et quorum ultus ſum ſanguinem a gentibus, adhuc ſum vindicaturus.* Quod particulam לֹא non expreſſit, inde minime colligere licet, eam in codice hebraeo, quo eſt uſus, non exſtitiſſe. Quae ab eo affirmative ſunt reddita, ſenſu negationem includunt. Eodem enim redit: *iterum eos ulturus ſum,* atque: *nondum eos eo ultus ſum modo, quo ulciſci conſtitui.* A qua interpretatione haud longe abludit R. Tanchum, qui, Pocockio referente, in Commentario inedito, arabice conſcripto, דָּמָם exponit دِيَتَهُم, *pretium ſanguinis eorum,* vel, *mulctam pro eorum ſanguine fuſo,* quomodo דָּמִים accipi contendit Exod. XXII, 2., ut noſtrorum verborum ſenſus hic ſit: ad extremum progrediar exigendo pretium, ſ. vindictam pro ſanguine eorum, quod huc usque non plene exegeram. וַיהוָה שֹׁכֵן בְּצִיּוֹן *Et Jova habitans* erit *in Sione,* vid. Vs. 17.

Sumtibus JOA. AMBR. BARTHII prodierunt:

BRETSCHNEIDER, K. G., Historisch-dogmatische Auslegung des Neuen Testaments, nach ihren Principien, Quellen und Hülfsmitteln dargestellt. 8. 1806. 20 gr.

——— Systematische Entwickelung aller in der Dogmatik vorkommenden Begriffe nach den symbolischen Büchern der protestantisch-luther. Kirche, nebst vollständiger Literatur, besonders der neuern. 3te verb. u. verm. Aufl. gr. 8. 1825. 3 Thlr. 12 gr.

——— Handbuch der Dogmatik der evangelisch-lutherischen Kirche. 2 Bde. 2te verb. u. verm. Aufl. gr. 8. 1822. 4 Thlr. 12 gr.

——— Lexicon manuale graeco-latinum in libros novi Testamenti. 8 maj. 1824. 2 Vol. 4 Thlr. 6 gr.

——— Probabilia de evangelii et epistolarum Joannis apostoli indole et origine 8 maj. 1820. 1 Thlr.

Commentationes theologicae collectae et editae a VELTHUSENIO, KUINOELIO et RUPERTIO. Vol. II—VI. 8 maj. 1794—99. 1 Thlr. 12 gr.

Dio Chrysostomus, ed. REISKE. 2 Vol. 8 maj. 4 Thlr.

Epistola Pauli ad Corinthios posterior graece perpetuo commentario illustravit C. A. H. EMMERLINO. 8 maj. 1823. 18 gr.

Epistola ad Ebraeos, latine vertit atque commentario instruxit perpetuo C. F. BÖHME. 8 maj. 1825. 4 Thlr.

Hering, C. H., Conspectus theologiae dogmaticae et historiae dogmatum in usum studios. theolog. propositus. 8 maj. 1822. 12 gr.

Hildebrandt, M. T. W., Die Geschichte der Apostel Jesu nach Lucas in einzelnen Betrachtungen homiletisch bearbeitet. gr. 8. 1821. 1 Thlr. 16 gr.

——— Die Geschichte der Apostel Jesu nach Lucas exegetisch bearbeitet. gr. 8. 1824. 2 Thlr. 16 gr.

Jeremias vates e versione Judaeorum, Alexandrinorum ac reliquorum interpretum graecorum cur. G. L. Spohn. Vol. I. 8 maj. 1 Thlr. 4 gr.

——— — Vol. II. post obitum patris edidit F. A. G. Spohn. 8 maj. 1824. 1 Thlr. 20 gr.

Jessieu, A., De αὐθεντίᾳ epistolae Judae commentatio critica. 8 maj. 1821. 16 gr.

Keilii, Dr. C. A. Th., Opuscula academica ad Novum Testam. interpretationem grammatico-historicam et theologiae christianae historiam pertinentia, colleg. et edid. Dr. J. D. Goldhorn cum effigie Auctoris. II Vol. 8 maj. 4 Thlr.

Kuinoel, Dr. C. T., Pericopae evangelicae illustratae. Vol. I. 8 maj. 1796. 1 Thlr.

——— Vol. II. 8 maj. 1797. 16 gr.

——— Commentarius in libros historicos Novi Testamenti. Vol. I. Evangelium Matthaei. Editio III. auct. et emendat. 8 maj. 1822. 3 Thlr.

——— Vol. II. Evangelia Marci et Lucae. Editio III. auct. et emendat. 8 maj. 1824. 3 Thlr.

——— Vol. III. Evangelium Joannis. Edit. III. auct. et emendat. 8 maj. 1825. 3 Thlr.

——— Vol. IV. Acta Apostolorum. 8 maj. 1818. 3 Thlr. 8 gr.

Rosenmülleri, Dr. Ern. Fr. C., Scholia in Vetus Testamentum. Pars I. Vol. I. Edit. III. emend. 8 maj. 1821. 3 Thlr. 16 gr.

etiam sub titulo

Pentateuchus, annotatione perpetua illustrat. Vol. I. Genesis.

——— Pars I. Vol. II. Edit. III. emend. 8. maj. 1822. 2 Thlr. 8 gr.

etiam sub titulo

Pentateuchus, annotatione perpetua illustrat. Vol. II. Exodus.

——— Pars II. Edit. III. emendat. 8 maj. 1824. 3 Thlr.

etiam sub titulo

Pentateuchus, annotatione perpetua illustrat. Vol. III. Leviticus, Numeri, Deuteronomium.

——— Pars III. Vol. I. Ed. II. 8 maj. 1810. 2 Thlr. 8 gr.

——— Pars III. Vol. II. Ed. II. 8 maj. 1818. 2 Thlr. 4 gr.

——— Pars III. Vol. III. Ed. II. 8 maj. 1820. 2 Thlr. 12 gr.

etiam sub titulo

Jesajae vaticinia, annotatione perpetua illustr. Pars I. II. III. Edit. II.

——— Pars IV. Vol. I. Edit. II. emend. 8 maj. 1821. 3 Thlr.

——— Pars IV. Vol. II. Edit. II. emend. 8 maj. 1822. 2 Thlr. 16 gr.

——— Pars IV. Vol. III. Edit. II. emend. 8 maj. 1823. 3 Thlr. 8 gr.

etiam sub titulo

Psalmi, annotat. perpet. illustr. Vol. I. II. III. Ed. II.

——— Pars V. Ed. II. emend. 8 maj. 1824. 4 Th. 12 gr.

etiam sub titulo

Jobus, latine vertit et annotat. perpet. illustr. Ed. II.

——— Pars VI. Vol. I. Edit. II. emend. 8 maj. 1826. 2 Thlr. 16 gr.

Rosenmülleri, Dr. Ern. Fr. C., Scholia in Vetus Testamentum. Pars VI. Vol. II. Edit. II emend. 8 maj. 1826. 3 Thlr.

etiam sub titulo

Ezechiel, latine vertit et annotatione perpetua illustr. Vol. I. II. Ed. II.

——— Pars VII. Vol. I. Edit. II. emend. 8 maj. 1827. 1 Thlr. 20 gr.

etiam sub titulo

Prophetae minores, annotat. perpetua illustr. Vol. I. Hoseas et Joel. Edit. II.

——— Pars VII. Vol. II. 8 maj. 1813. 1 Thlr. 16 gr.

etiam sub titulo

Prophetae minores, annotat. perpetua illustr. Vol. II. Amos, Obadias et Jonas.

——— Pars VII. Vol. III. 8 maj. 1814. 1 Thlr. 20 gr.

etiam sub titulo

Prophetae minores, annotat. perpetua illustr. Vol. III. Micha, Nahum et Habacuc.

——— Pars VII. Vol. IV. 8 maj. 1816. 1 Thlr. 16 gr.

etiam sub titulo

Prophetae minores, annotat. perpetua illustr. Vol. IV. Zephania, Haggai, Zacharias, Maleachi.

——— Pars VIII. Vol. I. 8 maj. 1826. 2 Thlr. 16 gr.

——— Pars VIII. Vol. II. 8 maj. 1826.

etiam sub titulo

Jeremiae Vaticinia et Threni, latine vertit et annotatione perpetua illustr. Vol. I. II.

Schott, Prof. H. A., Epitome theologiae christianae dogmaticae in usum scholarum academicarum. Edit. II. plurimis locis aucta et immutata. 8 maj. 1822. 1 Thlr. 12 gr.

Wahl, M. C. A., Clavis Novi Testamenti philologica in usum schol. et juv. theolog. stud. accommodata. II Vol. 8 maj. 1822. 5 Thlr.